BSB Bayerische StaatsBibliothek

MDZ Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Institutiones Ad Eloquentiam ad usum scholarum Austriacarum

Bd.: 2

Vindobonae 1781

L.eleg.g. 205 d-2
urn:nbn:de:bvb:12-bsb10574101-8
VD18 80055400-001

L. leg. g. 205 d/2

205 d Institutiones

BIBLIOTHECA
REGIA
MONACENSIS.

<36630265440010

<36630265440010

Bayer. Staatsbibliothek

# INSTITUTIONES AD ELOQUENTIAM.

*PARS POSTERIOR*
INSTITUTIONES POETICAS
COMPLECTENS
AD USUM
SCHOLARUM AUSTRIACARUM.
*venalis eſt 36 Crucif.*




VIENNAE,
TYPIS JOAN. THOM. NOB. DE TRATTNERN
TYPOGRAPH. ET BIBLIOPOL. AULIC.

1781.

Bayerische
Staatsbibliothek
München

# INSTITUTIONES
AD
# ELOQUENTIAM.

## PARS II.
QUAE INSTITUTIONES POETICAS COMPLECTITUR.

## TRACTATIO
DE
## PROLEGOMENIS.

a. Alteram eloquentiæ partem Poëtica constituit, quæ, universe loquendo, iisdem artis præceptionibus continetur, quibus Oratoria; sed tot tamen etiam titulis deflectit, ut merito aliud

eloquentiæ genus, ac aliam proinde eloquentiæ partem efficere videatur.

b. Facile ex accurata diſcriminis hujus meditatione diſpicitur, quo conſilio Poëticam eloquentiæ partem poſteriorem eſſe voluerimus, eamque in finem ſtudiorum Humanitatis rejecerimus; ordinem nimirum naturæ ſecuti ſumus a facilioribus perpetuo ad difficiliora progreſſi.

*Annot.* Sunt ſane viri graviſſimi, qui ex antiquitatis memoria artem Poëticam ante orationem extitiſſe; hancque ex illa derivatam atque adeo perfectam fuiſſe acriter pertendant; atque hinc in Poëtica prius inſtitui jubeant, quam Oratoria: *det primos verſibus annos*: nos tamen hæc præcepta fortaſſis ad juvenes, nequaquam vero ad pueros vix grammatica elementa egreſſos pertinere poſſe arbitramur.

2. Cum apud omnes gentes ſummus idemque difficillimus eloquentiæ gradus in Poëtarum ſermone regnare obſervetur, nunc demum poſt combibita faciliora, & illa præcepta, quæ utrique eloquentiæ communia ſunt, operæ pretium nos facturos putamus, ſi ad delibanda Poëtica juventutem noſtram adducamus, ſine quorum cognitione nulla litteraria eruditio exiſtere, nemo eruditus dici poteſt. Itaque jam ad Poëticam propius accedamus.

## §. I.

## *Prænotiones de re Poëtica univerſe.*

a. Poëtica, ſeu Poëſis definitur: *Ars imitandi actiones humanas oratione*, ſeu quemadmodum alii

alii nonnulli: imitatio actionum humanarum cum fictione convenienti oratione expressa.

1. *Annot.* Potestas nominis *factionem* seu *fictionem* significat; oritur enim a græco Verbo ποιέω, quod facere vel fingere interpretamur, unde ποιητική (Poëtica) ars faciendi, fingendi; ποιητησ autem (Poëta) fictor vel effector derivata sunt.

2. Quoniam hoc ipsum fictionis nomen imitationem exprimit, quemadmodum in artibus cognatis statuaria aut plastica manifestum fit, quæ cum imitantur naturam, fingere, effingere opus suum dicuntur: recte hinc cum præceptoribus celeberrimis post Aristotelem concludimus, totam & intimam Poëticæ naturam in imitatione sitam esse; quod oratione autem imitatur Poësis, eo discerni a ceteris artibus naturæ imitatricibus, puta: pictoria, statutaria, saltatoria, musica &c.

b. Primam originem artis Poëticæ deberi naturæ, ut ceterarum ominum, extra controversiam judicamus, præsertim in tanta hominum ad imitandum proclivitate; perfectionem autem artis ad diuturnas observationes perpolitionesque referimus,

1. *Annot.* Antiquissimas proinde gentes pro communi in cantum propensione hymnorum quodam genere Deum aut Deos suos primum honorasse tanto minus dubitare debemus, quod monumenta historica, quousque pertingere possunt, id passim nobis confirment. Quo ordine autem ad robur masculum apud gentes singulas adoleverit Poësis, id minutatim inquirere & prolixum & satis incertum, postremo fructu vacuum reputamus.

2. Id interim certum tenebimus: Græcos primos omnium fuiſſe, qui artem hanc, ut multas alias, certis ſtatisque finibus ac regulis circumſcripſerunt, atque omnem Poëticam in ſuaviſſimæ artis ſyſtema conformarunt. Quidquid lucis vel hodie adhuc arti poëticæ affuſum eſt, id totum ex Homeri, Heſiodi exemplaribus, & Ariſtotelis praeceptionibus depromtum reperitur.

c. Neque alio fine homines Poëticam vel invevenerunt, vel deinceps ad faſtigium usque excoluerunt, quam ut ſuis ſuorumque neceſſitatibus ſubvenirent, aut dulcedine ſaltem & delectatione animos perfunderent, non raro utrumque horum ſimul præſtarent, quod qui facerent, ii univerſis propterea grati carique eſſent. Ita nimirum Horatius de Arte canit v. 13. ſeqq.

*Aut prodeſſe volunt, aut delectare Poëtæ:*
*Aut ſimul & jucunda & idonea dicere vitæ.*

— — — — — — — —

*Omne tulit punctum, qui miſcuit utile dulci,*
*Lectorem delectando pariterque monendo.*

*Annot.* Quo modo Poëtæ humano generi prodeſſe conſueverint, Horatius ſatis nitide explicat: *pariterque monendo.* Prodeſt enim certe & juvat, qui monet & docet quid faciendum fugiendumve ſit, quid deceat, dedeceatque; id quod fere in quocunque Poëſeos genere liberaliſſime efficitur.

d. Clariſſime hinc officium Poëtæ deducitur, cujus partes erunt: tam apte accommodateque fictiones ſuas concinnare, & tam opportuna

tuna oratione eloqui, ut in hominum animos ultro & cum voluptate quadam influere; atque eosdem, quocunque libebit, deflectere valeat.

e. Materia Poëſeos res omnis & quæcunque eſt, quæ fictione imitationeque aliqua exornari poteſt. Cœlum, terra, pontus, aër &c. materias Poëtæ ſuppeditant, quoniam hæc omnia fictionibus ad uſum delectationemque humanam traduci poſſunt.

*Annot.* Eminent vero inter ceteras fictiones eæ, quæ in præcipuis Poëticæ ſpeciebus adhibentur, puta in Epopœia aut Dramate, quæ cum circa actiones potiſſimum humanas occupentur, inde a nonnullis artis præceptoribus actiones humanæ materia Poëſeos κατ᾽ ἐξοχὴν, ut ajunt, appellatæ ſunt.

f. Formam, qua Poëſis conſtituitur, & ab omnibus aliarum artium operibus diſtinguitur, absque hæſitatione Fictionem dixeris, quoniam ſic Poëſi propria eſt, ut ſine illa plus minusve adhibita opus poëticum aliquod ne cogitare quidem fas ſit.

*Annot.* Regnat ſane fictio in majoribus Poëticæ artefactis, regnat in Epopœia, regnat in Dramate, quod nemo controvertit, ſed tamen in minoribus quoque operibus ſuus Fictioni debet eſſe locus, in Lyrico, in Satyra, in Didactico, in Elegiaco &c. ſi non in materia, in oratione ſaltem, qua Poëta materiam ſuam conveſtit & proponit. Hanc orationem aliqui non iniuria formam externam Poëſeos vocarunt.

9. Poëfis, quam late patet, fpectata intima rei natura in duo præcipua genera dividetur, nimirum in *Epicum* & *Dramaticum*, ad quorum alterutrum ceteræ quæcunque poëfeos divifiones facile reducuntur.

1. *Annot.* Auditu nimirum & vifu cognitiones rerum extra nos pofitarum haurimus. Res enim aut videmus ipfi, aut narrari audimus. Itaque cum res repræfentatas videbimus ipfi, aut agentes perfonas audiemus coram ipfi: *Poëfis Dramatica* erit; cum neutrum horum accidet, fed narratione aliena totum nobiscum communicabitur, *Poëfis Epica* appellabitur. Utrumque genus Horatius de Arte affignat:

*Aut agitur res in fcenis, aut acta refertur.*

2. Epica porro notiffimas Poëfis fpecies: *Didactica*, *Georgica*, *Oden*, *Elegiam*, *Epigrammata*, *Epiftolas*, *Satyram* &c. complectetur; ad Dramaticam autem *Tragœdia*, *Comœdia*, *Bucolica* & *Fabulæ* referentur, de quibus fingulis II. parte harum inftitutionum prolixior redibit fermo.

3. Non funt vero fpecies, imo ne ad fpeciem quidem aliquam carminis conftanter alligatæ denominationes nonnullæ operibus poëticis quandoque tribui folitæ, puta: Carmen *Genethliacum*, *Soterium*, *Epinicion* &c. quæ paffim ex fine, aut ex eo, quod continent, interpretabimur, fereque ex fola vi græci nominis innotefcunt. En earum in exemplum paucas aliquas cum fua interpretatione:

*Apobaterium*, quod redeuntibus accinitur.

*Diræ* feu carmen imprecatorium.

Dithy-

*Dithyrambus* erúmpentes effectus inopinatæ lætitiæ aut doloris vario carminum genere exprimens.

*Epicedium* ſeu *funebre* luctum & lacrimas in morte continet.

*Epinicion* de victoria gratulatur.

*Epithalamium* ſeu *nuptiale* in nuptiis cani ſolitum.

*Eucharisticum*, quo beneficia celebramus, aut gratias agimus.

*Genethliacum* ſeu *natalitium* carmen, quod natalem diem celebrat.

*Panegyricon* complectitur laudes Deorum hominumque.

*Propemticon* peregre abeuntes proſequitur.

*Protrepticum* ſeu *monitorium*, quo inſtruimus.

*Soterium* ſalutem redditam gratulatur.

*Sylvæ*, extemporalis effuſio &c. &c.

h. Poëſeos dignitas & veneratio ſemper ſumma apud omnes gentes fuit, quemadmodum Ovidius notavit:

*Cura Deum fuerant olim Regumque Poëtæ,*
*Præmiaque antiqui magna tulere viri;*
*Sanctaque majeſtas & erat venerabile nomen*
*Vatibus, & largæ ſæpe dabantur opes.*

Cujus quidem cultus & ſtudii multiplex cauſſa facile deprehenditur. Namque

1. Poëtæ homines divini & quodam ſpiritu ſeu furore divino afflati atque agitati reputabantur; propterea *Enthei* vocati; furor ipſe *Enthuſiaſmus* dictus eſt. De quo iterum Ovidius canit:

*Eſt Deus in nobis, agitante caleſcimus illo,*

*Impetus hic ſacræ ſemina mentis habet.*

Et grandiloquentior Ovidio Claudianus de eodem:

*Jam furor humanos noſtro de pectore ſenſus*

*Expulit, & totum ſpirant præcordia Phoebum.*

*Annot.* Etſi noſtra item ætate homines Poëſi præcellentes ſingulariter ſuſpicere conſueverimus, cave tamen Enthuſiaſmum poëticum tantopere a veteribus præceptoribus celebratum aliquid divini, aut humanis rebus maius credideris: Natura & ingenium Poëtæ eſt, contentiori imaginatione accenſum, de quo infra.

2. Poëtæ primi fuerunt, qui de Diis immortalibus ſcripſerunt, atque eam ob rem primi nationum Theologi nuncupati ſunt, homines inde divina ſcientia & prope familiaritate præſtantes habiti.

3. Neque parvam in populos vel incultiſſimos utilitatem contulerunt, dum præclaras & illuſtres eorum memorias cantibus ac verſibus conſecrarunt, & gratæ poſteri-

rita-

ritati conſervarunt, Hiſtoricorum quoque officio apud gentes pleraſque remotiſſimas ita perfuncti.

4. Denique maxime barbaros homines non raro ſermonis ſui ſuavitate & dulcedine a feritate ad morum culturam, a vitæ licentia ad Diſciplinæ patientiam feliciter traduxerunt; unde Poëtas vi carminum ſaxa, ſilvas, & ipſos inferos traxiſſe commenti ſunt. Id nimirum docet in Arte Horatius:

*Sylveſtres homines ſacer interpresque Deorum*
*Cædibus & victu foedo deterruit Orpheus;*
*Dictus ob hoc lenire tigres, rapidosque leones.*
*Dictus & Amphion Thebanæ conditor arcis*
*Saxa movere ſono teſtudinis, & prece blanda*
*Ducere, quo vellet.*

i. Ad Oratoriæ exemplum omnes item poëticæ præceptiones ad quatuor ſumma capita revocabuntur, ad *Inventionem*, *Diſpoſitionem*, *Elocutionem*, ac *Pronunciationem*; ſecundum quæ infra omnem doctrinam huc pertinentem iterum partiemur.

k. Verum ad hæc ipſa rite præſtanda deſiderantur ſubſidia, communia equidem artibus & ſcientiis omnibus, ſed tamen in Poëticæ ſtudio nonnihil fortaſſis eminentiora, videlicet

1. *Natura* ſeu ingenium, & quidem excellentius ceteris paſſim mortalibus, ſublimius acriusque; neque enim aut raro, aut mediocriter, ſed acerrime contendere oportet vim animi ad igneas illas imagines fingendas, pingendasque, quæ anima & vita poëticarum lucubrationum ſunt. Quod adeo verum eſt, ut de paucis illis, quibus forte meliore de luto finxit præcordia Titan, quique inter Poëtas nomen ferunt, prolepſis aliqua ſit: Poëtas natos & diviniori aliquo ſpiritu afflatos, id eſt, præſtantiori ingenio a liberali natura donatos fuiſſe.

*Annot.* Non igitur plebi omni ſtudioſæ aditus temere ad iſtud Muſarum Sanctuarium permittendus, longo minus ad carmina pangenda promiſcue quisquam cogendus eſt.

2. *Ars* non minus quam ipſa natura, & quidem tanto magis eſt neceſſaria, quod ſine hac ductrice ardentia & ſumma ſæpe ingenia in præceps ſus deque ferri frequentiſſime animadvertimus.

*Annot.* Prudenter pro more Horatius de Art. componit controverſiam, ingenione apud Poëtas, an arti primæ ſtudendæ ſint? ibi:

*Natura fieret laudabile carmen, an arte?*
*Quæſitum eſt: ego nec ſtudium ſine divite vena,*
*Nec rude quid proſit, video, ingenium; alterius ſic*
*Altera poſcit opem res, & conjurat amice.*

3 Ex-

3. *Exercitationem* poëticam intermittere nunquam debet, qui proficere in arte hac cupit, & ſicubi verum eſt illud Apellis: nulla dies ſine linea, hic præſertim locum habet, nam & Muſæ cultores ſuos minus aſſiduos aſpernantur. Hinc Horat. de Arte:

*Qui ſtudet optatam curſu contingere metam,*
*Multa tulit, fecitque puer ſudavit & alſit.*

Et ibidem paullo poſterius:

*Bis terque expertum fruſtra delere jubebat,*
*Et male tornatos incudi reddere verſus.*

4. *Imitatio* tandem maximorum Poëtarum fœcunda mater, non quotidiana, ſed tota contentione ſuſcipi debet ab eo, qui ad veri Poëtæ laudem aſpirat, ſibique inculcatum de Latinis credat, quod Horat. in Art. de Græcis acclamat:

—— —— —— —— *Vos exemplaria graeca*
*Nocturna verſate manu, verſate diurna.*

*Annot.* De Imitatione opportuno hoc ſaltem loco, ſi nondum tempore ſupplementa aliqua adhuc inſerere juvat ad declaranda ea, quæ jam alias de Imitatione tradidimus, accommodatiſſima, quorumque uſum in poëticis aliquanto poſterius, poſtquam robuſtiores facti erunt, aſſumere ex libitu & ductu præceptorum ſuorum poterunt juvenes Poëtices ſtudioſi; imo ad oratorias etiam imitationes traducere commodiſſime uti-

utilissimeque valebunt, qui oratoriis seu Institutionibus, seu exercitationibus daturi sunt operam adolescentes.

## §. II.

## *De Imitatione.*

1. Quicumque ad celebritatem nominis pervenerunt Poëtæ, imitando magnitudinem suam consecuti sunt. Latini Græcos, aut si qui inter suos etiam eminerent; Itali, Galli, Angli, Germani Latinos Græcosque juxta, si qua eorum virtus extabat, imitati sunt; Græci ipsi, qui imitationi universorum proponi meruerunt, naturæ saltem sedula cautaque imitatione exemplaria extiterunt.

1. *Annot.* Quis nescit divinum Virgilium nostrum ex Homero, Theocrito, Hesiodo, Lucretio, Catullo, imo Ennio & Accio ad suam magnitudinem profecisse? Quis Horatium ignorat ad Pindari, Arati & Virgilii; Ovidium ad Virgilii Horatiique exemplaria identidem respexisse? &c. Neque dubitare debemus, si sit, qui laborem in se suscipere malit, celebres hodie nostros Germanorum Poëtas accurate cum Latinis Græcisque conferendi, quemadmodum complures viri docti alii principes Poëtas latinos, alii Gallos, Italos, Anglosque cum græcis latinisque contenderunt, palam futurum, per quos nostri item ad famam suam imitando pervenerint.

2. Non hoc loco imitationem eam intelligimus, quæ naturam sibi exemplar fictionis picturæque suæ constituit, de qua infra pluribus redibit sermo, & quam animam omnis artis Poëticæ appel-

lavimus; ſed de ea hic tractamus, quæ Poëticæ ſubſidium nominatur, quam in oratoriis Inſtitutionibus deſinivimus, quæque in exprimendis ad imaginem propoſiti alicujus exemplaris verbis, ſententiis, & ideis verſatur.

b. Aegre vero vel præſtantiſſima exemplaria imiteris, niſi rationem probe teneas, & adeo fere palam videas, qua principes illi imitationes ſuſceperunt, *atque* modos item in enumerato & expedito habeas, quibus ad ſimilitudinem propoſiti exemplaris colluctari valeas.

c. Itaque ex Hermogenis veteris græci præceptoris mente Recentiores nonnulli totam imitationes diſpiciendi, atque etiam imitandi rationem in his duobus conſtituerunt: in Separatione & Aſſumtione.

1. *Separatio* (græce Choriſmos) adhibebitur ad ſententiam aut periodum aliquam in plures partes, commata, ſeu propoſitiones, imo in cogitationes diverſas diſſecandam.

2. *Aſſumtio* autem (Græcis Prolepſis) ſingula vel aliqua ſibi bene viſa horum diſſectorum membrorum amplificabit, & ad libitum augebit.

*Annot.* Accurate in rem intuenti patebit: modos hos in idem recidere cum *Analyſi* & *Geneſi*, quarum alias, ubi de Imitatione, meminimus, atque ita non tam de verborum, quam rerum,

non

non de puerili, ſed de maſcula imitationis hic curam eſſe.

d. De Separatione quidem res tota in plano & per ſe clara eſt; Aſſumtio autem peragi dicetur, cum e. g. membrum diſſectum aut genus, aut totum, aut actio &c. fuerit, ſi ad illud ampliandum, ſpecies, vel partes, vel cauſæ, vel effecta, vel adjuncta, vel antecedentia & conſequentia &c. aut ſimilia, comparationes, ſententiæ, adagia, hiſtoriæ &c. arceſſita fuerint.

*Annot.* Adhibetur hujus Aſſumtionis loco frequenter Contractio quoque, qua item utuntur illuſtriſſimi imitatores, ut, quæ in diſſecta periodo fuſa & copioſa forte repererint, ea preſſius offerant, & in rem ſuam quaſi aliud agentes transferant.

e. Dubium non eſt, qui modis his recte & cum judicio uti norit, in oratione ligata pariter ac ſoluta (ad utramque enim hi modi ex æquo porriguntur) feliciſſime ſimul & dexterime ſic imitaturum, ut deprehendi vix poſſit, quid imitatione ſuum fecerit, longe minus in furti litterarii ſuſpicionem adducendum.

f. Exempla in hoc doctrinæ genere utramque facient paginam, Ut enim proficua ſit, quanta eſt, præſertim adoleſcentibus ſub obtutum ſiſti debet. Quare in ſolutæ primum orationis exemplo tanquam magis obvio & faciliori applicatum inſpiciemus mox recenſitum

imi-

imitandi compendium; tum Veterum nonnullas imitationes ad examen revocabimus; denique quemadmodum Recentiores Veterum hac eadem ratione imitationem peregerint, ſollicite intuebimur.

## I. *Exemplum Imitationis in oratione ſoluta.*

Cicero L. XIII. Famil. 3. mire coarctat argumenta, ob quæ Memmio Fuſium commendare debeat, eaque tali oratione effert:

*A. Fuſium unum ex meis intimis, obſervantiſſimum ſtudioſiſſimumque noſtri, eruditum hominem, & ſumma humanitate, tuaque amicitia digniſſimum, velim ita tractes, ut mihi coram recepiſti. Tam mihi gratum id erit, quam quod gratiſſimum. Ipſum præterea ſummo officio, & ſumma obſervantia tibi in perpetuum devinxeris.*

Hæc argumenta fere ſingularibus verbis concluſa ſi ſeparaveris primum, tum quæ ſeparata ſunt, Aſſumtione amplificaveris, congruaque elocutione veſtiveris, imitatione hanc Fuſii commendationem ſic novam reddidiſti, ut imitationis veſtigia penitus non appareant, vix Cicero ſuum quid hic adeſſe agnoverit. Jam hoc ut efficiatur,

a. *Separatio* primum ſuſcipienda eſt, per eamque commendatio Ciceronis diſcinditur in octo argumenta, quorum duo a perſona Ciceronis; duo a perſona Fuſii, quatuor autem a perſona Memmii ducta ſunt. En ſingula:

1. *Unum*

1. *Unum ex meis intimis*, id eſt: Fuſius eſt unus ex intimis Ciceronis.

2. *Obſervantiſſimum ſtudioſiſſimumque noſtri.* Fuſius eſt obſervantiſſimus ſtudioſiſſimusque Ciceronis.

3. *Eruditum hominem.* Fuſius eſt eruditus.

4. *Summa humanitate.* Fuſius humaniſſimus eſt.

5. *Tuaque amicitia digniſſimum.* Fuſius amicitia Memmii oppido dignus eſt.

6. *Velim ita tractes, ut mihi coram recepiſti.* Memmius Ciceroni promiſit Fuſium amici loco habiturum.

7. *Tam mihi gratum id erit, quam quod gratiſſimum.* Receptio Fuſii in amicitiam Memmii erit Ciceroni gratiſſima.

8. *Ipſum ſummo officio & ſumma obſervantia tibi in perpetuum devinxeris.* Memmius Fuſium receptione hac ſibi obligabit. Sequitur deinde

b. *Aſſumtio*, per quam propoſitiones ſeparatæ extenduntur, & augentur. Quod ut promte fiat, conclude membra diſſecta argumentationibus, argumentationum autem propoſitiones vel probationibus vel illuſtrationibus ſuffulci in hunc fere modum:

1. Qui-

1. Quicunque eſt ex intimis amicis meis, illum præ ceteris commendare debeo, ſed Fuſius eſt -- &c. ergo.

*Major Prob.* Amicorum commoda mutua eſſe debent.

*Min. prob.* per comparationem: Nemo eſt, cui inter amicos plus fidam. *Illuſtretur* ſimilitudine aliqua vel proverbio &c.

*Conclus.* hic omitti, vel aliquibus ſequentibus addi, vel plane in finem rejici poteſt.

2. Qui ſtudioſiſſimus noſtri eſt, debet commendari, ſed Fuſius eſt -- ergo.

*Maj. prob.* Amor enim amorem provocat.

*Min. prob.* Nullum officium, quod amicus amico præſtare poteſt, intermiſit unquam Fuſius. Addi poteſt amplificatio per enumerationem &c.

3. Qui eruditus eſt, debet commendari, ſed Fuſius eſt -- ergo.

*Maj. prob.* Eruditio habet bonorum omnium complexum, & honor illi debetur.

*Min. prob.* Probavit ſe talem omnibus eruditis.

4. Qui ſumme humanus eſt, commendari meretur, ſed Fuſius eſt -- ergo.

*Maj. prob.* Humanitatis enim vinculo homines inter ſe colligantur.

*Min. prob.* Plurimos viros insignes hac ratione sibi devinxit.

5. Qui amicitia tua dignus est, debet tibi commendari, sed Fusius est dignus -- ergo.
*Maj. prob.* Delectum enim inter amicos habes.
*Min. prob.* Virtutes in Fusio sunt, quæ apud te pretium habent. *Amplificatur* ab enumeratione: honestas, fides, amor patriæ &c.

6. Qui promisit se amicum suscepturum, promissum servare debet; sed tu Memmio promisisti - ergo.
*Prob. Maj.* Boni viri & amici fides in hoc versatur.
*Prob. Min.* Meministi scilicet, quæ inter nos de illo acta fuerint.

7. Quidquid amicus gratum amico esse noverit, præstare debet, sed Memmius novit gratum esse Ciceroni, si Fusium recipiat -- ergo.
*Prob. Maj.* argumento a contrario: si ignotos nobis conciliare omni ope adlaboramus, longe magis amicorum benevolentia conservanda est.
*Prob. Min.* Nisi sibi gratum esset, non tanto studio id a te Cicero contenderet.

8. Qui novum amicum sibi comparare potest, non debet occasionem hujus acquisitio-

tionis prætermittere, ſed Memmius poteſt comparare in recepto Fuſio -- ergo.

*Prob. Maj.* Aucto amicorum numero fortunas noſtras augemus. *Illuſtretur ſimili.* Nemo theſaurum ſponte ſibi oblatum reſpuit.

*Prob. Min.* Fuſius ipſe recipi ambit.

ε. Si Aſſumtiones iſtæ univerſæ, aut earum ſaltem aliquæ ſecundum monita Rhetorum elocutione opportuna proponentur, (quod & a loco hoc, & a propoſito noſtro nunc quidem alienum eſt) nemo non videt, non modo epiſtolam aliam, ſed orationem integram ſub manum quaſi aliud agentibus enaſci, imitationis artificio ita tecto, ut neque plagii ſuſpicio concipi jure ulla poſſit, neque facile imitatio epiſtolæ Ciceronianæ divinari; ut nihil dicam interim pueros hac imitationis exercitatione ad cogitandi inveniendique artem vel imprudentes pulcherrime duci ac informari.

## II. *Exemplum imitationis apud Veteres.*

Ut infinitos, qui plenis manibus præſertim ex Græcis adferri in hanc rem poſſent, locos Poëtarum omittamus, duos tantum illuſtriores ex Latinis in tironum noſtrorum gratiam ſuſcipiemus & examinabimus, quorum primo Virgilius Catullum; altero Horatius Virgilium conſenſu omnium eruditorum imitatus eſt.

a. Virgilius L. IV. *Aeneid.* querelam Didonis ab Aenea desertæ eleganter depicturus, quoniam argumentum hoc suum penitus convenire cum querela Ariadnæ a Theseo desertæ apud Catullum *in Epithalamio Pelei & Thetidis* videbat, splendidissimum hunc locum sibi imitandum delegit, & ita totum in Aneidem suam transtulit, ut tamen argumentationes, sententiæ, figuras, ordinem, verba, & periodos mutaret. En parallelos locos aliquot querelæ istius, qui rem clarissime demonstrent.

1. *Ariadne apud Catullum.*

Siccine discedens neglecto numine Divum
Immemor ah! devota domum perjuria portas?
Nullane res potuit crudelis flectere mentis
Consilium? tibi nulla fuit clementia præsto?
Immitte ut nostri vellet miserescere pectus?

*Dido apud Virgilium.*

Nec te noster amor, nec te data dextera quondam,
Nec moritura tenet crudeli funere Dido?

*Annot.* Vides per *Contractionem* Virgilium elegantissime imitatum esse Catulli sententias, propositiones, figuram &c. ut cum significent idem, videantur tamen diversa.

2. *Ariadne apud Catullum.*

Tum jam nulla viro juranti fœmina credat.
Nulla viro speret sermones esse fideles:

Qui

Qui dum aliquid cupiens animus prægestit apisci,
Nil metuunt jurare, nihil promittere parcunt;
Sed simul ac cupidæ mentis satiata libido est,
Dicta nihil metuere, nihil perjuria curant.

*Dido apud Virgilium.*

Nusquam tuta fides — — —

*Annot.* Cum Catullus locum communem de virorum infidelitate per *Assumtionem* antecedentium & consequentium ac synonymias latius effert, eumdem Virgilius in tria contraxit verba.

3. *Ariadne apud Catullum.*

Certe ego te in medio versantem turbine leti
Eripui, & potius germanum amittere crevi,
Quam tibi fallaci supremo in tempore deessem,
Pro quo dilaceranda feris dabor, alitibusque
Præda, neque injecta tumulabor mortua terra.

*Dido apud Virgilium.*

— — — — — Ejectum littore, egentem
Excepi, & regni demens in parte locavi,
Amissam classem, socios a morte reduxi.
— — — — — — — — —
Te propter Lybicæ gentes Nomadumque tyranni
Odere, infensi Tyrii: te propter eumdem,
Extinctus pudor, & qua sola sidera adibam,
Fama prior: cui me moribundam deseris hospes.

*Annot.* Manifeste hic vides, *Assumtione* a Virgilio Catullum ampliatum esse, scilicet *eripui ex tur-*

*bine leti*, per enumerationem adjunctorum dilatat 1. ejectum, 2. egentem excepi, 3. amissam classem, 4. socios a Morte reduxi, 5. in parte regni locavi, *Pro quo*-vicem sibi pro beneficiis redditam Ariadne in duos versus contraxit: per enumerationem effectorum diduxit Virgilius recensens: odium gentium Lybicarum, Numidarum Regum, populi Tyrii, pudoris & famæ alias celeberrimæ jacturam &c.

## 4. *Ariadne apud Catullum.*

Quænam te genuit sola sub rupe leæna?
Quod mare conceptum spumantibus expuit undis?
Quæ syrtis, quæ scylla vorax, quæ vasta charybdis?
Talia qui reddis pro dulci præmia vita.

## *Dido apud Virgilium.*

Nec tibi Diva parens, generis nec Dardanus auctor,
Perfide, sed duris genuit te cautibus horrens
Caucasus, Hircanæque admorunt ubera tigres.
Nam quid dissimulo? aut quæ me ad majora reservo?
Num fletu ingemuit nostro, num lumina flexit?
Num lacrymas victus dedit? aut miseratus amantem est?

*Annot.* Quæ Catullus per interrogationem, ea Virgilius per affirmationem extulit, & ultimi versus vocem *Talia* per Assumtionem auget, enumerando duram Aeneae adversum Didonem amantem constantiam: non reddidit gemitum, non aspectum, non lacrymas, non misericordiam.

5. *Ari-*

### 5. *Ariadne apud Catullum.*

Eumenides, quibus anguineo redimita capillo
Frons expirantis præportat pectoris iras,
Huc huc adventate, meas audite querelas,
Quas ego, væ miseræ, extremis proferre medullis
Cogor inops, ardens, amenti cœca furore.
Quæ quoniam vere nascuntur pectore ab imo,
Vos nolite pati nostrum vanescere luctum:
Sed quali solam Theseus me mente reliquit,
Tali mente Deæ funestet seque suosque.

### *Dido apud Virgilium.*

Sol qui terrarum flammis opera omnia lustras,
Tuque harum interpres curarum & conscia Juno
Nocturnisque Hecate triviis ululata per urbes,
Et Diræ ultrices, & Dii morientis Elisæ,
Accipite hæc, meritumque mali advertite Numen,
Et nostras audite preces. Si tangere portus
Infandum caput, ac terris adnare necesse est,
Et sic fata Jovis poscunt, hic terminus hæret:
At bello audacis populi vexatus & armis,
Finibus extorris complexu avulsus Iuli,
Auxilium imploret, videatque indigna suorum
Funera; nec cum se sub leges pacis iniquæ
Tradiderit, regno aut optata luce fruatur;
Sed cadat ante diem mediaque inhumatus arena.
Hæc precor, hanc vocem extremam cum sanguine fundo.

Tum vos o Tyrii, ſtirpem & genus omne futurum
Exercete odiis; cinerique hæc mittite noſtro
Munera. Nullus amor populis, nec fœdera ſunto:
Exoriare aliquis noſtris ex oſſibus ultor,
Qui face Dardanios ferroque ſequare colonos,
Nunc, olim, quocunque dabunt ſe tempore vires,
Litora litoribus contraria, fluctibus undas
Imprecor, arma armis pugnent, ipſique nepotes.

*Annot.* Diras & execrationem Ariadnes Dido copioſiſſime amplificat, ultimas præſertim voces *funeſtet ſeque ſuosque* mirifica Aſſumtione ſplendidiſſime dilatans.

b, Nihil minus luculenta eſt imitatio Horatii, qua chariſſimi Virgilii ſui extantes nonnullas cogitationes decerpſit, easque modo *Contractione*, modo *Aſſumtione* ex Georgicorum lib. II. in Epodon 2. de laudibus vitæ ruſticæ nitidiſſime tranſtulit, ac pro opportunitate ſua hac illacque inſeruit. En locos parallelos nonnullos:

## 1. *Virgilius.*

O fortunatos nimium, ſua ſi bona norint,
Agricolas, quibus ipſa procul diſcordibus armis
Fundit humo facilem victum juſtiſſima tellus.
Si non ingentem foribus domus alta ſuperbis
Mane ſalutantum totis vomit ædibus undam;
Nec varios inhiant pulchra teſtudine poſtes,
Illuſasque auro veſtes, ephyreiaque æra,
Alba neque Aſſyrio fucatur lana veneno,
Nec caſia liquidi corrumpitur uſus olivi:

At

At securа quies, & nescia fallere vita
Dives opum variarum, ac latis otia fundis.

*Horatius.*

Beatus ille, qui procul negociis,
Ut prisca gens mortalium,
Paterna rura bobus exercet suis
Solutus omni fœnore.

*Annot.* Liquido animadvertis, quam contracte quidem, at pariter quam eleganter Virgilianis: *Undam salutantum, inhiant varios postes* &c. *secura quies, nescia fallere vita* &c. respondeat unicum *procul negotiis.* Ita quoque hæc sibi respondent Virgilii: *Agricolis, sua si bona norint, justissima tellus procul discordibus armis fundit humo facilem victum*, & illud Horatii: *Solutus omni fœnore.* Tum ea item Virgilii: *Dives opum variarum, ac latis otia fundis* cum his Horatii: *Paterna rura bobus exercet suis.*

2. *Virgilius.*

Speluncæ vivique lacus; at frigida tempe
Mugitusque boum mollesque sub arbore somni
Non absunt.

*Horatius* paullo posterius.

Libet jacere modo sub antiqua ilice,
Modo in tenaci gramine,
Labuntur altis interim ripis aquæ,
Queruntur in silvis aves,
Fontesque lymphis obstrepunt manantibus,
Somnos quod invitat leves.

*Annot.* Contractior hic Virgilius, cujus versus binos in sex propagavit Horatius, imitator prope

 exem-

exemplari suo hic suavior. Adverte autem: Speluncis *ilicem*, tempe *gramen*, bobus *aves*, lacubus *aquas ripis labentes* & *fontes obstrepentes* mollibus *leves somnos* substitutos.

3. *Virgilius* porro.

Illum non populi fasces, non purpura regum
Flexit, & infidos agitans discordia fratres,
Aut conjurato descendens Dacus ab Istro.
— — — — — — — —
— — — — nec ferre jura,
Insanumque forum, aut populi tabularia vidit.
Sollicitant alii remis freta cœca, ruuntque
In ferrum, penetrant aulas, & limina regum &c.

*Horatius.*

Neque excitatur classico miles truci,
Nec horret iratum mare,
Forumque vitat, & superba civium
Potentiorum limina.

*Annot.* Facile iterum deprehendis metaphrasi Horatiana: *Forumque vitat* ea omnia conclusa, quæ Virgilius versibus istis fusius expressit: *Illum non populi fasces, non purpura regum flexit* & *infidos agitans discordia fratres - - - nec ferrea jura insanumque forum aut populi tabularia vidit.* Ita de aliis quoque.

4. *Virgilius* denique.

Interea dulces pendent circum oscula nati,
Casta pudicitiam servat Domus: ubera vaccæ
Lactea demittunt: pinguesque in gramine læto
Inter se adversis luctantur cornibus hœdi.

Ipse

Ipse dies agitat festos; fususque per herbam,
Ignis ubi in medio, & socii cratera coronant,
Te libans, Lenæe! vocat.

*Horatius.*

Quod si pudica mulier in partem juvet
Domum atque dulces liberos,
Sabina qualis, aut perusta solibus
Pernicis uxor Appuli,
Sacrum vetustis extruat lignis focum,
Lassi sub adventum viri,
Claudensque textis cratibus lætum pecus,
Distenta siccet ubera,
Et horna dulci vina promens dolio
Dapes inemtas adparet; &c.

*Annot.* Meditate imitationem examinanti apparebit commatum Virgilianorum hic Horatium constrinxisse alia; alia diversis Assumtionibus dilatasse.

## III. *Exemplum imitationis recentius.*

Neque per molem libri ad usum juventutis destinati, neque per temporis opportunitatem tam copiosis nobis hic esse licet, quam pro rei utilitate & dignitate promtus nobis labor futurus esset, innumera in rem præsentem congerere exempla. Unicam nitidissimi Poëtæ Belgæ Jacobi Wallii Soc. Jos. imitationem huc adhuc inserimus, qua is admirabiliter mox citatam Horatii odam Epod. 2. *Beatus ille* &c. comtissimo Poëmate transtulit. Inspice in hujus exemplaris locis aliquot plurimorum vice

vice *Separationem Aſſumtionemque* dexterrime adhibitas, nonnunquam *Contractiones* aut ſimplices ſolum *Converſiones*; perpetuo per figurarum, periodorum &c. variationes diſſimulatam artem, caput omnis maſculæ Imitationis.

## 1. *Horatius.*

Beatus ille, qui procul negotiis,
Ut priſca gens mortalium.

## *Wallius.*

Felix ſorte ſua, quem non ignava ſequentem
Otia rus patrium dulci complectitur umbra.
Longe illi curæ inſomnes, comitumque laborum
Inviſæ facies, quæ multa & magna moventem
Huc celerem atque illuc rapiant, perque ardua verſent.

*Annot.* Obſerva primum verſum Horatii in quinque verſus a Wallio diſtractum ſic, ut duo commata in duas periodos partiretur, primamque duobus alteram tribus verſibus exprimeret. Et vocem quidem: *Beatus* ampliatam vides *Aſſumtione* generis & ſpeciei, *negotiis* autem *Aſſumtione* effectorum. Denique totum verſum ſecundum Horatii in opportuniorem locum inferius rejicit.

## 2. *Horatius.*

Paterna rura bobus exercet ſuis,

## *Wallius.*

Ipſe ſibi ſemper vacat, aggrediturque quod inſtat,
Arvaque, quæ quondam proavi non magna tenebant,

Exer-

Exercet, patiens operum, armentoque quot annis
Sortitus ſobolem, fortiſſima corpora, tauros
Inde legit, quos dehinc domitos aſſueſcere cogat
Servitio, & terram impreſſo proſcindere aratro.

*Annot.* Totus locus Horatii Aſſumtione adjunctorum diverſorum amplificatus eſt.

### 3. *Horatius.*

Solutus omni fœnore.

### *Wallius.*

Non pretio nummos redimit, pretiove redemtos
Occupat & fœnus tabulis ſubducit avaris.
Fœnus amat, quod ſponte ſua juſtiſſima tellus,
Et gravidæ pecudes, & meſſis reddit, & arbor.

*Annot.* Dilatatum fœnus *Aſſumtione* partitionis rerum ad fœnus pertinentium, tum comparationis cum fœnore juſto, quod natura tribuit.

### 4. *Horatius.*

Neque excitatur claſſico miles truci,
Nec horret iratum mare.

### *Wallius.*

Quid refert alius thalamo ſublimis eburno,
Ille toro, cui ſponda ſalix, aut fiſſile robur,
Componat caput? heic mulcet reficitque jacentem
Alta quies lecto non abrumpenda saligno.
Quippe ubi nec primæ, nec feræ tempora noctis
Diſtinguunt litui, rumpuntque ſilentia, cantu.
Non ſi diſcordes miſcent freta fervida venti,
Aequoreos horret fremitus, humilisque pavensque
Numina conclamat, ne quid nimboſus Orion,

Ne

Ne quid atrox peccet Boreas, laceræque carinæ
Addat opus pelago.

*Annot.* Has priores ampliationes *Aſſumtione* comparationis, deſcriptionis ab adjunctis &c. poſteriores autem item *Aſſumtione* Adjunctorum & Cauſſarum tempeſtatem cientium conſtare intuenti patet.

## Horatius.

Labuntur altis interim ripis aquæ
Queruntur in ſilvis aves,
Fontesque lymphis obſtrepunt manantibus,
Somnos quod invitet leves.

## Wallius.

Interea gelidi fugiunt per gramina rivi,
Arboribusque vagantur aves, nemus omne querelis
Perſonat, irriguo qua fons argenteus agro
Labitur, attritos inter levis unda lapillos
Obſtrepit, & dulces invitat murmure ſomnos.

*Annot.* Simplici converſione metrica & Aſſumtione epithetorum aut modicarum circumſtantiarum hæc dilatata ſunt, e. gr. *lymphis manantibus*, qua fons argenteus irriguo agro labitur. *Fontes obſtrepunt*, attritos inter lapillos levis unda obſtrepit. &c. Gemina prope eſt imitatio loci, qui mox conſequitur, elegantiſſimi alias.

## 6. Horatius.

Quod ſi pudica mulier in partem juvet
Domum atque dulces liberos;

Sa-

Sabina qualis, aut perusta solibus
    Pernicis uxor Appuli
Sacrum vetustis extruat lignis focum
    Lassi sub adventum viri:
Claudensque textis cratibus lætum pecus
    Distenta siccet ubera,
Et horna dulci vina promans dolio
    Dapes inemtas adparat.

*Wallius.*

Quid si contigerit priscis quoque moribus uxor,
Quæ castum servet thalamum, quæ remque domumque
In partem juvet, & dulces educere natos?
Qualis erat Tatio quondam regnante Sabina,
Duratas callosa manus, aut Appula mater
Sole rubens. Quid si posito cum fessus aratro
Vir redit, illa focum lignis & cortice sicco
Extruat, ac lento textis e vimine septis
Includat lætum pecus, turgentia siccet
Ubera? Si quamquam calices & pocula ponat
Fagina, vina ferat, quæ dulci condita plevit
Ipsa cado, mensisque dapes apponat ineмptas,
Delicias faciles.

7. *Horatius.*

Has inter epulas, ut juvat pastas oves
    Videre properantes domum!

*Wallius.*

Ut juvat has epulas inter spectare bidentes,
Cum sese e pastu referunt! ut cruribus ægre
Ubera

Ubera circumeunt! ut multo lacte gravatæ
Ad mulctam injussæ veniunt, gaudentque levari.

*Annot.* Imitatio hæc *Assumtione* perfecta est, scilicet adhibita descriptione ovium redeuntium ab Adjunctis.

g. Fuimus in declarando hoc Imitationes artificio aliquanto prolixiores; sed tamen rati rem & juventuti, & fortasse nonnullis etiam præceptoribus gratam non suspicere, quoniam hoc exercitationis genere, (seu imitationes, seu metaphrases, seu paraphrases, seu denique amplificationes voces) quo illustres & decerptos Poëtarum locos modo in solutam orationem, modo in aliud carminis genus sus deque convertere jubentur, multum ante subigendi sunt adolescentes, quam ad solidiora & graviora concinnanda adducantur. Vide si plura desideras, Morhoffii Polyhistor. Litter. c. 13. & seqq.

h. Ceterum nemo non videt, hic de minoribus & resectis Operum poëticorum partibus imitationi proponendis agi, non de operibus ipsis, in quorum imitatione alias traditæ regulæ diligenter respiciendæ erunt, cavendumque universe, ne quid præpostere attentetur. Neque enim quod hic principio opportunus Imitationem tractandi visus est locus, expeditus propterea etiam potest esse usus, priusquam ad elocutionem poëticam instituti sunt adolescentes.

IN-

# INSTITUTIONUM POETICARUM

## PARS I.

## DE POESI IN GENERE.

Propositum est nobis parte hac illa primum exequi, quæ ad omne & quocdunque opus poëticum requiruntur, tum tandem ad diversas Poëticæ species explicandas transgredi. Concludemus autem partem primam capitibus tribus, quibus Oratoriarum Institutionum methodo de Elocutione, de Inventione, de Dispositione & Pronunciatione agetur.

## CAPUT I.

### *De Elocutione Poëtica.*

Si oratio Poësos vestis est, quod non nemo asseruit: mirum esse non potest; quoniam prima in oculos incurrit, sensusque nostros varie percellit, si Elocutio ante cetera quoque tractationi, præsertim apud adolescentes proponatur, qui externa magis obvia facilius internoscere, quam de interna operis alicujus præstantia distincte judicare valent. Quare §§. sequentibus, quæ ad Elocutionem poëticam spectant, exequemur.

## §. I.
## *De Numero Poëtico.*

a. Cum numerus oratorius ſit modus orationis ex ordine quodam apto ſyllabarum pedumque enaſcens; poëticus contra numerus tantum ex certo ordine, genere, & numero pedum ſimul ſumtis exiſtere poteſt ſic, ut eorum vel unico mutato poëticum numerum interire neceſſe ſit.

1. *Annot.* Fac enim quamcunque vocem verſus, e. g. Heroici: *Serius aut citius metam properamus ad unam* loco ſuo moveri, ac proinde ordine ſtato detrahi, aut numerum pedum minui augerique, vel tandem Spondæis Trochæos aut Jambos &c. ſuffici, ſimul videbis verſum Heroicum & numerum poëticum totum quantum periviſſe.

2. Ex hac neceſſitate, qua ſermo poëticus arctiſſime conſtringitur, *oratio ligata* dictus eſt, quod alibi inſinuavimus, nimirum pro diverſitate generis carminum ad certas & invariabiles numeri ſui leges alligatus, a quibus ſermo oratorius liberius divagatur, merito proinde ſuo *oratio ſoluta* dictus.

b. Declarat vero hæc ipſa numeri poëtici explicatio mox allata, in verſu vim omnem numeri poëtici ineſſe, ac proinde, ſi quid vitii verſibus accidat, eo numerum poëticum vel perturbari, vel jucunditati ſaltem, cum qua numerus hic ad aures pervenire debet, detrahi; ſi comti autem cultique ſint verſus, numerum poëticum mirifice exaltari & in amoribus eſſe.

An-

*Annot.* Verſuum nomenclationes, ſignificatum, diverſa genera, pedes; eorumque varietatem alibi tradidimus, quæ proinde hic repeti neceſſe non eſt.

c. Cum enim verſus omnes ab origine ſua ad Muſicam deſtinati ſint, alii quidem ad cantum tantum, ad lyram & cantum ſimul alii, hinc ſuavitatem & dulcedinem quandam Muſicæ propriam requirunt univerſi, ut cum voluptate & harmonia in animos influant: eaque propter ſollicite cavendum eſt, ne quid ſuavitatem hanc quoquo modo lædet, ne quid durum, aſperum, aut ingratum in verſibus occurrat, quo harmonia tantopere verſibus neceſſaria corrumpatur.

*Annot.* Hæc dulcedo in verſibus nunquam non regnare debet, quodcunque tractes argumentum, quocunque eloquaris affectu, quemcunque verſum adhibeas; etſi plus minusve pro rerum tractatarum varietate eminebit, modo contractior, modo diffluens, aut apertior, aut tectior, Hoc nimirum eſt, quod Horatius de Arte inculcat: *Non ſatis eſt pulchra eſſe poëmata; dulcia ſunto.*

d. Perpetuis porro obſervationibus, & celeberrimorum Poëtarum exemplis ſequentia fere, niſi caute abſtineatur, omnem verſuum ſuavitatem ac dulcedinem vel evertere, vel ut minimum interturbare reperta ſunt.

I. Omnis aſper aut etiam alias ineptus litterarum, ſyllabarum, vocumque concurſus.

a. Literarum concurſus in illis Tullii reprehenditur: *O fortunatam natam me conſule*

*Romam*, *& : Tum pater Altisonans stellanti nixus Olympo*, item *Aut densus stridor, quum celso e vertice montis.* Nempe illa: *natam natam*, *ans stell*, *sus stri* aspera sunt. Nec immerito huc etiam Horatii l. I. ep. I. versus reducitur: *Non ut porticibus*, *sic judiciis fruar iisdem*, in quo frequentatio litteræ exilis i merito arguitur.

b. Voces plures fere ejusdem dimensionis syllabicæ collectæ, & juxta se collocatæ ingratum reddunt versum. Sic Catull. in nupt. Pel. *Hæc circum sedes late contexta locavit*, item *Non illi quisquam bello se conferet heros*, & adhuc: *Funestam antennæ deponant undique vestem.*

c. Voces nimium longæ, præsertim in fine versuum duritiem inamœnam adferunt. Sic cum Horat. ait: *Officiosaque sedulitas & opella forensis*, & *Mitte leves spes & certamina divitiarum*, aut *Non ego avarum quum veto te fieri*, *vappam jubeo aut nebulonem.*

d. Voces quoque unius syllabæ aut coacervatæ in eodem versu, aut singulæ quidem, sed claudentes versum, duriusculum reddunt. Sic idem Horat. (apud quem nævus iste infrequens non est) *Præterea ne sic*, *ut qui jacularia ridens*

alibi:

alibi: *Jupiter exclamet simul, atque audivit? At in se* vel *Nil satis est, inquit, quia tanti, quantum habeas, sis.*

1. *Annot.* Monosyllabum tamen est, præsertim elisum, non insuaviter versum concludit. Ut Horat. *Ille datis vadibus, qui rure extractus in urbem est.*

2. Virgilius item non raro vel ad Casum, vel ad firmitatem & moram exprimendam monosyllabis versus terminat. Hujus generis sunt:
*Vertitur interea cœlum & ruit Oceano nox.*
*Sternitur exanimisque metu procumbit humi bos.*
*Dat latus: insequitur cumulo præruptus aquæ mons.*
*Hostem magnanimum opperiens & mole sua stat.*

2. Elisio (Ciceroni hiatus dicta & jam alias explicata) crebrius aut etiam in prima versus syllaba adhibita ingratum admodum efficit sonum orationis poëticæ, e. g. Horat. *Quid verum atque decens, curo, & omnis in hoc sum.* Item Catull. *Quum interea infirmo quatientes corpora motu.*

*Annot.* Moderate & suo loco adhibita elisio miram orationi suavitatem conciliat. Ita Catull. quam suaviter: *Emersere feri candenti e gurgite vultus. Idem: Desertam in sola miseram se cernit arena.*

3. Cæsura (de qua alibi suo loco) post secundum aut tertium pedem in Heroico versu neglecta titubantem facit orationis poëticæ habitum; rite autem suis locis observata mirum quandam & jucunditatem & simul robur versui confert; utrumque fa-

tum expertus eſt Cicero, prius quidem in verſibus: *Vos quoque ſigna videtis aquai dulcis alumnæ, quum clamore paratis inanes fundere voces;* alterum autem cum cecinit de cornice: *Demerſit caput & fluctum cervice recepit*, & de fulica: *Rara fulix itidem fugiens e gurgite Ponti* &c.

4. Interpunctio e loco ſuo alienum remota hiatum & prope ſtuporem verſui inducit. Cum enim ſecundum rationem interpungendi conformanda ſit ratio recitandi, in recitatione autem pauſis exprimatur interpunctio, facile diſpici poteſt, quanta perturbatio affundi valeat, ſi cæſurarum magnis quam interpunctionum juſtarum habeatur ratio, aut ſi legendo interpunctiones cæſuris affigantur. En quam inepte, ſi ſecundum cæſuram legendo interpungas: *Rara fulix itidem*, aut illud ex Horatio ſic: *Virtus eſt vitium.* Quam maſcule & ſuaviter contra, ſi reſtituas interpunctionem legendo ſic: *Rara fulix — itidem fugiens* &c. *Virtus eſt — vitium fugere.* Et ex eodem Horatio: *Quidam ait: — ignoras te? an, ut ignotum dare nobis* &c.

5. Exitus verſuum, præcipue heroicorum, curate circumſpiciendi, & ſollicite ultimi pedes attendendi ſunt, ne ex eorum uniformitate aut faſtidium, aut durities ruſtica exurgat. Ecce formas quinque variationum harum ex Catullo:

Pelia-

Peliaco quondam prognatæ *vertice pinus.*
Dicuntur liquidas Neptuni *nasse per undas.*
Auratam optantes Colchis *avertere pellem.*
Pinea conjungens inflexa *texta carinæ.*
Hæc vestis, priscis hominum *variata figuris:*

a. *Annot.* Vides hic versus tres priores in voces dissyllabas, duos vero posteriores in trisyllabas desinere (ultra quos terminos vix progredi aut recedere nunquam fas sit) variata semper voce penultima, quæ una pluribusve syllabis constare potest, ut *per* undas. — Junonis *ob* iram &c.

b. Voces penultimas Syllabarum durarum, si ultimæ item dissyllabæ sint, nonnunquam cum virtute aliquando autem non sine vitio adesse aurium judicio certissime deprehendimus, Itaque ad hujus judicis gratorum juxta & ingratorum sonorum acerrimi sententia nequaquam nobis recedere licebit. Certe grati auribus non accidunt hi Horatiani: *O fortunati mercatores, gravis annis* - - - Et alter: *Quo rem deducam. Siquis Deus, en ego, dicat;* cum contra hunc alium Horatii: *Demoveat lucro neque hiems, ignis, mare, ferrum,* aut istum: *Dis inimice senex, custodis, ne tibi desit,* insuavem dicere non audeamus.

c. At certe, si non hiculcus, insuavis est versus, cujus sola vox ultima ad novam sequentis versus sententiam inchoandam pertinet; est enim versui suo, quo comprehenditur, vox hæc penitus extranea. Tales sunt apud Horatium: *Vos hinc mutatis discedite partibus. Eja* - - Item *Ajunt, quum sibi sint congesta cibaria: sicut* &c.

6. Versus spondaicus intemperanter aut sine judicio immistus odiosum facit numerum, quemadmodum scienter nunc ad singularem

gravitatem, nunc ad mollitiem indicandam opportunissime adhiberi potest, & revera a summis Poëtis frequentatus est, a Catullo prope justo plus in amoribus habitus. Plerumque quatuor, aliquando etiam trium syllabarum voce concludi solet hic versus præcedente passim Dactylo. Ita Catull. *Electos juvenes, simul & decus innuptarum.* Et: *Quæque regis Golgos quæque Idalium formosum.* Virgilius autem: *Chara Deum soboles magnum Jovis incrementum.*

7. Similitudo constans aut diuturnior in exitu versuum vicinorum, imo & in incisis, membris, periodis, incredibilem nauseam ciet lectoribus juxta & auditoribus. Lege, si potes, versus hos sex Catullianos sine satietatis aurium periculo:

*Pharsalon coëunt, Pharsalia tecta frequentant:*
*Rura colit nemo, mollescunt colla juvencis:*
*Non humilis curvis purgatur vinea rastris,*
*Non glebam prono convellit vomere taurus:*
*Non falx attenuat frondatorum arboris umbram*
*Squalida desertis rubigo infertur aratris.*

Molestissimæ sane versuum istorum monotoniæ: *vinea rastris, vomere taurus, arboris umbram*, præsertim versibus item singulis singulas sententias claudentibus, prope jam patientiam expectationis evertunt, etsi Catulli Poetæ nobilissimi sint.

e. Qua-

e. Quare principio ſtatim monendi erunt Poëticae Candidati, ut ſi aliquando verſum conſcripturi ſunt, meminerint, praeſtanitius nullum ſuaviſſimi numeri poëtici eſſe compendium, quam variationis multiplicis & perpetuæ ſtudium: ſive de alteratione pedum & cæſurarum ſermo ſit, ſive de ipſis ſententiis modo cum verſu abſolvendis, modo in verſum ſequentem producendis, cujus feliciſſima exemplaria in ſummis Poëtis diligenter intueantur. Ecce interim in paucis his Virgilii Georg. I. verſibus conſpicuum exemplum:

*Continuo has leges, aeternaque foedera certis*
*Impoſuit natura locis, quo tempore primum*
*Deucalion vacuum lapides jactavit in orbem:*
*Unde homines nati, durum genus: ergo age, terrae*
*Pingue ſolum primis extemplo a menſibus anni*
*Fortes invertant tauri: glebasque jacentes*
*Pulverulenta coquat maturis ſolibus aeſtas &c.*

1. *Annot.* Quamquam permiſtio pedum ad carminum numeroſam ſuavitatem & concinnitatem tam neceſſario pertineat, ut Scaliger hanc varietatem virtutum omnium poëticarum maximam nominare non dubitet: eſt tamen etiam ex obſervationibus notatum, ad diverſas expreſſiones indicandas concinne modo plures pedes tardos, modo celeres congeri a Principibus Poëtarum Homero & Virgilio, Catullo, Ovidio &c.

2. Tardi autem pedes reputantur ii, qui omnibus, aut pluribus, aut prioribus ſaltem ſyllabis longi ſunt, quales ſunt: *Spondaeus, Moloſſus, Creticus, Choraeus* &c.

&c. Celeres contra pedes habentur, qui breves habent ſyllabas aut omnes, aut plures, aut priores quo referendi ſunt: *Dactylus*, *Tribrachis*, *Anapoeſtus*, *jambus* &c.

a. Itaque tardioribus pedibus frequentatis utuntur ad difficultatem, cunctationem, gravitatem, molimen, magnitudinem, explicandam. Talia ſunt:

De cyclopibus fabricantibus:
*Illi inter ſeſe magna vi brachia tollunt*
*In numerum, vertantque tenaci forcipe ferrum*,
Virg. De navi iente obverſa:
*Cornua velatarum obvertimus antennarum*. Virg.
De Aenea Veneris filio:
*Chara Deum ſoboles magnum Jovis incrementum*
Virg. De Polyphemo:
*Monſtrum horrendum, informe, ingens, cui lumen ademptum eſt*. Virg.

b. Celeriores autem pedes coacervantur, cum impetus, alacritas, praecipitantia, aut motus celeritas deſignabitur. Sic
De ventis ex cuſtodia erumpentibus:
-- -- -- -- *Venti velut agmine facto*
*Qua data porta ruunt, & terras turbine perflant*. Virg.

De grandine cadente:
*Tam multa in tectis crepitans ſalit horrida grando*. Virg.
De alacritate ad certamen properantium:
*Inde ubi clara dedit ſonitus tuba: finibus omnes*
*Haud mora, proſiluere ſuis; ferit aethera clamor*. Virg:
De praecipitato defendendorum caſtrorum juſſu:
*Ferte citi ferrum, date tela, ſcandite muros*,
*Hoſtis adeſt* &c. -- -- -- -- -- Virg.
De equo celerrime fugiente:

Quas

*Quadrupedante putrem sonitu ferit ungula campum* &c. Virg.

## §. II.

### *De arte metrica.*

a. Versuum condendorum artem prolixis commentariis nonnulli praeceptores in gratiam tironum prosecuti sunt; nos etsi invitis Musis ad carmen scribendum neminem accedere debere, neque adeo versificandi artem ab universis attingendam putemus, tamen etiam illos deserendos non censemus, quibus mens magis ignea, ad carmen faciendum pronior aptiorque est, & aliunde omnibus Poëticae Candidatis, quos ad lectionem intelligentiamque classicorum Poëtarum, atque ad cognitionem artis praecipue ducimus, vias & compendia illa non ignota esse oportet, quibus artis hujus primipili ad divinum plane carminum suorum numerum, suavitatem, facilitatem, varietatemque pervenerunt.

b. Itaque summa saltem capita artis bifariam partita tironibus nostris proponimus, id est, primum ea, quae ordinaria & communia versuum compendia dicere liceat, tum quae rarius offeruntur, & ad quae urgente tantum aliqua particulari caussa seu necessitate confugisse deprehendimus auctores principes.

A. Prima classe igitur compendiorum istorum observationes eas complectimur, quæ etiam orato-

oratoribus nonnunquam ſunt uſitatae, Poëtis vero paſſim & ubique in expedito ſunt. Et huc quidem pertinent:

1. Ea omnia orationem variandi & multipliciter efferendi media, quae juventuti jam alias ad copiam ubertatemque ſermonis impetrandam exhibuimus, nominatim: Enallage, Aequipollentia, Synonymia, conjunctionum aliarumque particularum variatio.

2. Obvii illi orationis verſandae modi:

   a. Cum activum in paſſivum aut contra commutatur, ut: *Tota mihi dormitur hyems. A cane non magno ſaepe tenetur aper.*

   b. Auxiliaris verbi *debeo* ſuppreſſio, ut: *Fletu nox vigilanda venit*; ſpelunca *vix ipſis invenienda feris.*

   c. Suppreſſio relativorum: ut: *patulae recubans ſub tegmine fagi. Toto diviſos orbe Britannos.* Vva *Tentatura pedes olim, vincturaque linguam.* Virg.

   d. Ablativorum abſolutorum uſus, ut: *Decus hoc aevi te conſule inibit.* Virg. *Sive ſub incertas Zephyris motantibus umbras* &c.

   e. Numerorum utrinque commutatio, ut: *Quamvis multa meis exiret victima ſeptis.*

*tis*, Virg. id eſt: *victimae ſepto. Impius haec tam culta novalia miles habebit?* id eſt: *novale milites.*

3. Traiectiones verborum, quae uti verſificationi ſunt maxime neceſſariæ, ita ad numerum quoque poëticum & ſuavitatem ſane plurimum conferunt. Exempla omnis Poëtarum pagina exhibet. En luculentum aliquod ex Virgil. Eclog. 2.

*At mecum raucis, tua dum veſtigia luſtro,*
*Sole ſub ardenti reſonant arbuſta cicadis --*
*Eſt mihi diſparibus ſeptem compacta cicutis*
*Fiſtula, Damoetas dono mihi quam dedit olim*, &c.

*Annot.* Trajectiones, quæ ſententias nimium diſtrahunt implicantque, ut fortaſſe plane obſurant, diligenter fugiendae ſunt. Talia nonnunquam ſummis Poëtis per oſcitationem exciderunt, quale hoc Catulli eſt: *Non, ita me Divi, vera gemunt, juverint*, Intellige: *Non vera gemunt, ita me Divi juverint.*

4. Modi loquendi fere Poëtis magis quam oratoribus familiares, quorum potiſſimi Enallage comprehenduntur, nimirum aut Antimeria, aut Heteroſi, ut alibi explicatum eſt, e. g. *Fiſtula dulce canit* pro dulciter. *Dulce & decorum eſt pro patria mori*, mors. *Nullo, munuſcula cultu*, inculta. *Arboris umbram*, id ed: arborem umbroſam. *Ni faciat, maria ac terras, coelumque profundum, Quippe ferant rapidi ſecum*, id

id eſt : ni faceret, quippe ferrent. Item : *Nunc te marmoreum pro tempore fecimus, at tu, ſi foetura gregem ſuppleverit, aureus eſto*, Virg. id eſt: aureus *eris* &c. &c. Sic per omnes ceteras orationis partes & partium attributa.

5. Conſtructio quorumdam Adjectivorum & verborum cum caſibus inſolitis more Graecorum, quas locutiones propterea Hellenismos appellare conſueverunt. Talia ſunt:

a. Verba quidem, ut:

1. *Deſine mollium querelarum.* Horat. *Abſtineto irarum*, pro: querelis, iris.
2. *Nec noſcitur ulli*, i. e. ab ullo. Item: *Duo nec tuta mihi valle reperti Capreoli*, Virg. reperti a me.
3. *Certent & Cycnis ululae*, Virg. id eſt: cum Cycnis. *Contendere oſtro fucum*, Horat. cum oſtro.
4. *Dignus amari* Virg. ut amaretur. *Et cantare pares & reſpondere parati* loco: cantando pares. Quae conſtruendi ratio apud Lyricos praeſerim Poëtas creberrima eſt: *Indocilis pauperiem pati; Audax omnia perpeti; Puer doctus ſagittas tendere*: Fortuna *praeſens vel imo tollere de gradu* &c.
5. *Nec ſit mihi cura mederi.* Virg. medendi. *Cauſſa perire fuit* pro: pereundi, Tibull.. *Omne quum Proteus pe-*

*eus egit altos visere montes*, Horat. ad visendos. *Soli cantare periti* Virg. pro: catandi. *Ibit frenare cohortes*, pro: frenatum &c.

b. Adjectiva hoc modo copulata reperiuntur:

1. *Integer vitae, scelerisque purus*, Horat, vita, & a scelere. *Fecunda culpae secula*, pro: culpis. *Infelix animi*, *potens armorum*, *dives opum* &c.

2. *Os humerosque Deo similis*, Virg. ore & humeris. *Apio crines ornatus amaro*, crinibus. Item: *Sepes Hyblaeis apibus florem depasta salicti*, id est: ab Hyblaeis apibus, salicti flore &c. depasta est sepes.

3. *Abdita rerum*, *strata viarum*, *Caerula ponti*, *opaca locorum*, *coeli convexa* &c. Nimirum Adjectiva Substantivorum more posita sunt, pro: res abditæ, stratæ viæ &c.

6. Numerorum vel denominationes vel supputus, qui non raro metris Poëtarum inepti forent, propriis quibusdam expressionibus efferre solent.

a. De diebus quidem sic: *Bis quinos silet ille dies*, id est: 10. *Bis senos pepigere dies* — 12. *Bis denas Italo texamus robore naves* — 20 *Alter ab undecima tum me jam ceperat annus*, — 13us. *Sulmo*,

*mo*, *Millia qui novies distat ab urbe decem* — 90 passuum millia &c. &c.

b. Annis numerandis saecula, lustra, Olympiades, *item* partes anni: brumam, ver, aestatem, autumnum; imo pro autumno vindemiam; pro aestate messem adhibent. Sic: *Lustris jam bis mihi quinque peractis*, Ovid. id est: annis 50. *Bis me sol adiit gelidae post frigora brumae. Sexagesima Martiane messis acta est, & puto jam secunda.* Martial. *Hic prope ter senas vixit Olympiades. Idem.* — annos 72.

c. Per numerus *ter* & *quater* Superlativos exprimunt. *O terque quaterque beati*, id est: beatissimi. Numerum autem quemcunque valde magnum incertis Numeris *centum*; *aut mille* & *millia* designant Poëtae, vel similitudinibus tantum quibusdam delineant magis, quam eloquuntur. Ita Catullus: *Quam magnus numerus Lybissae arenae — aut quam sidera multa, quum tacet nox*. De Pompeji meritis: *Quae numero tot sunt, quot in horto fertilis arvi punica sub lento cortice grana rubent*. Ovid.

*Annot* Fere eodem inductionum similium artificio Poëtae rei alicujus perpetuitatem & constantiam, aut impossibilitatem passim declarant, e. g. *Dum juga montis aper; fluvios dum piscis amabit* &c. Virg. id est: semper, *Ante leves*

*ves ergo paſcentur in aethere cervi* &c. Item: *Nam prius incipient turres vitare columbae; Antra ferae, pecudes gramina, mergus aquas* &c. id eſt, nunquam. Ovid.

7. Epitheta non neceſſitati minus poëticæ, quam ornamentis maxime illuſtribus opportuna ſunt. Itaque non ſolum de uſu neceſſariorum, ſed accuratiſſime de ſelectu congruentium epithetorum inſtituendus eſt adoleſcens, monendusque hic principio ſtatim: epitheta ea præferenda eſſe, quæ circumſtantiis ſermonis maxime congruant, neque otioſa ſint. Erunt autem otioſa ea omnia, quorum ratio nulla reddi poterit, panni perperam aſſuti verius, quam decora. Verum de hoc alibi pluribus redibit ſermo. Interim obſervandum:

a. Ut ea epitheta ſecernantur, quae proprietatem conſtantem & communem alicujus rei exprimant, ut; Najades *candidæ*, vaccinia *mollia*, calthae *luteæ* ſeu *flavæ*, lac *niveum*, ignis *liquidus*, mare *ſalſum* vel *profundum*, tempeſtas *ſonora*. Ita Virg. Eclog. 2. *Alba liguſtra cadunt, vaccinia nigra leguntur*. Item. *Tenues foetus viciæ triſtisque lupini*.

b. Meliora hujusmodi epithetorum ſunt, quæ proprietatem non perpetuo communem, ſed aliquando ſupervenientem, aut adſcitam notant, e. g. *cani* montes, propter nives: *immenſae* meſſes ob fertili-

tilitatem; æstas *pulverlenta*, ob siccitatem; campus *segnis*, quia incultus; *improbus* anser, quia nocet segeti; *infelix* lolium, & *steriles* avenae, quia frugem impediunt &c.

e. Elegantiora vero etiam futura sunt epitheta, si metaphoram contineant, praesertim metaphoram a rebus animatis ad inanima deductam, ut: Curae *spinosae*: *dulcis* forma; *truculentum* mare; *morientes* herbae; *virgineus* rubor; *coeci* tumultus; *impia* sæcula &c.

d. Repetentur autem epitheta omnis generis ex iisdem fontibus, ex quibus argumenta conquiruntur. Itaque e. g. ex caussis: *Pallida* mors: *lethifer* arcus, aut: *Attenuant vigiles corpus miserabile curae.* Ex effectis: *Cum spes arrectae juvenum exultantiaque haurit corda pavor pulsans.* Ex adjunctis, ut: *O praestans animi juvenis; Equus froena spumantia mandit; Caput insuperabile bello; Non obtusa adeo gestamus pectora Poeni.* &c. &c. Adde derivari quoque multa epitheta apud Poëtas a Patronymicis (quorum formam ortumque alias explicavimus) e. g. *Saturnia Iuno*, *Delius Apollo*, *Latonia Diana*, *Cyllenius Mercurius*, *Minoia regna* &c, &c.

g. Non-

8. Nonnunquam adjuncta quaedam parva, seu adposita adsciscuntur, quae vix ab epithetis, aut saltem brevibus circumlocutionibus (de quibus mox) differunt, miramque orationi poeticæ conciliant munditiem & gratiam. De appositis his id praecipue cavendum, ne forte rimarum in versibus expletiones potius sint, quam solidum aliquod decus, de quo ipsum Ovidium nonnunquam accusare aliqui non dubitarunt. Sunt autem item ex proprietatibus, caussis aut effectis more epithetorum repetenda hæc apposita, ut: *prolem tarde crescentis olivæ* pro oliva, *inopi metuens formica senectae*, h. e. sollicita de comparando pabulo. *Arctos Oceani metuentes æquore tingi*, h. e. nunquam nobis occidentes. Sic item semina terrae commissa vocantur *anni spes*, lappæ ac tribuli dicuntur *aspera silva*, paupertas vocatur *duris urgens in rebus egestas*, *genus acre leones*, *vigiles provida turba canes*, *immania monstra gigantes*, *rustica numina nymphas* &c.

6. Periphrasis, latine Circumlocutio, est prolixior quædam rem eloquendi & explicandi ratio, sed quæ vim & nervos orationi addit, sæpissime pulchritudinem item, ut: *Tales effudit pectore questus*, pro: questa est. *Infidum remis impellere marmor*; item alibi: *Spumas salis ære ruebant*, id est: navigabant; *secat æthera pennis*, id est: vo-

volat. Sic: *depresso incipiat jam tum mihi taurus aratro ingemere, & sulco attritus splendescere vomer*, pro aratione. *Ferro scindimus æquor*, aramus planitiem. *Subigebant arva coloni*, arabant. Unda murmurans arva irrigat, sic a Poëta effertur: *Illa cadens raucum per levia murmur saxa ciet, scatebrisque arentia temperat arva*: Tunc navigatum est: *Tunc alnos primum fluvii sensere cavatas. Tum laqueis captare feras, & fallere visco inventum*, scilicet venatio inventa. Cum Amygdali florent: *Quum se nux plurima silvis induet in florem, & ramos curvabit olentes.* Ita prepetuo Virgilius.

*Annot.* Non verba solum aut integrae locutiones Periphrasibus aptantur versui ac locutioni poëticæ, sed nomina etiam. Sic virgil. porro: *Croceos odores* pro croco, dixit; *tristis lupini fragiles calamos silvamque sonantem*, lupinos appellavit; *Ruris opaci falce premes umbras* ait, pro putabis arbores; & *grave robur aratri pro* aratro.

B. Altera classis comprehendit extraordinaria, quæ nonnunqnam arcessere necesse est, versuum pangendorum subsidia. Cum enim non obstante cogitationis & sermonis libertate elocutio poëtica duris adhuc semper subjaceat metri legibus, extra quos cancellos Poëtæ egredi nefas est, ad subsidiaria quædam compendia aliquando confugerunt, quibus syllabarum brevitati aut longitudini; prout usus postu-

poſtulabat, mederentur. Sunt autem generis hujus ſequentia, quæ in figuris proſodicis tradidimus pleraque:

1. Infinitis paſſivis nonnunquam ſyllabam *er* adjiciunt; pro accingi, laudari, *accingier*, *laudarier*. Ita Virgil. *Tum Niſus & una Euryalus confeſtim alacres admittier orant.*

2. Diphthongum *æ* genitivi primæ declinationis more græco in vocales *a* & *i* dividunt, & diviſas producunt. Talia ſunt: *pictai*, *aulai*, *vitai*. Virg. *Dives equum, dives pictai veſtis & auri.*

3. Modo conſonantem *v* in vocalem *u*; modo converſa vice vocalem *u* aut *i* in conſonantes *v* & *j* transformant; quorum primo & vocem ſyllaba augent, & hanc ipſam ſyllabam breviant; altero autem ſyllabo detrahitur & producitur. Exemplum primi eſt apud Tibull. *Stamina non ulli diſſoluenda Deo*, pro: diſſolvenda. Item apud Catull. *Condita quin vere pectoris evoluam*, pro: evolvam. Alterius exemplum eſt apud Virgil. *Tenvis ubi argilla & dumoſis calculus arvis*, pro: tenuis; &: *Aedificant, ſectaque intexunt abjete coſtas*, pro: abiete,

4. Contractio vocum creberrima eſt, ut: *vincla*, *periclum*, *oraclum*, *ſæclum* &c. pro: vincula, periculum &c. genitivorum item in plurali: *prudentum*, *natantum* &c. pru-

dentium & natantium loco; imo & *Deum, Divum, virum, equum, Argivum, Trojugenum*, pro: Deorum, Divorum, virorum, Trojugenarum. *Ipſe gubernaclo rector ſubit ipſe magiſter* - - - *Et jam tempus equum, fumantia ſolvere colla*. Virg. Contrahuntur præterea & verborum quædam tempora, ut: *noram, noſſem, norim; audiit*; Vocales duæ nonnunquam in unam ſyllabam, *éadem, déinde, déeſt, alvéo, Dii, déhinc*. Denique nonnunquam littera aliqua expungitur, *impoſta, comprenſus*. Virg. *Una éademque via ſanguisque animusque ſequuntur*. Et: *Eurum ad ſe Zephyrumque vocat, dehinc talia fatur*.

5. Ad obtinendam ſyllabæ longitudinem alias conſonans una duplicatur, ut: *relligio, rettulit*. Virg. *Relligio vetuit ſegeti prætendere ſepem*. — *Multa dies variusque labor mutabilis ævi rettulit in melius*. Alias ad eamdem longitudinem obtinendam conſonans aliqua exteritur, & vocales duæ in ſyllabam unam contrahuntur, ut: *reice* pro: rejice. Virg. *Tityre paſcentes a flumine reice capellas*.

6. Obtinet interdum etiam vocis (compoſitæ nimirum) diviſio ſic: ut ſeparatis partibus componentibus aliquid interſeratur, ut e. g. *inquepeditus* pro: & impedius; *inter enim labentur aquæ*, pro: interlabentur

enim

enim aquæ. Sed & Lyricos præsertim sæpe sic syllabas discerpere animadvertimus, ut prior Syllaba vocis finiat præcedentem versum, posteriores incipiant sequentem, e. g. *Otium* (Sapphicus sequitur:) *Grosphe non gemmis neque purpura ve-nale nec auro* &c. Et alibi de Tyberi: *Vagus & sinistra* (sequitur Sapphicus) *labitur ripa Iove non probante u* - - (sequitur Adonius) *xorius amnis.*

*Annot.* Virgilius frequenter abundantem versus syllabam ultimam vocali vel *m* littera terminatam a vocali, quæ versum sequentem inchoat, absorberi facit, ut: *Jamque iter emensi turres ac tecta Latino—rum Ardua cernebant.* Item: *Et spumas miscent argenti vivaque sulphu — ra Idæasque pices* &c.

7. Licentia poëtica appellatur, cum Poëtæ urgente metri necessitate ex arbitrio suo syllabas breves producunt, aut longas corripiunt. Sic Virgilius; *Ibitis Italiam portusque intrare licebit.* Propert. *Et domus intactæ te tremit Arabiæ.* Aut iterum: *Fluctu nimbosus Orion,* Virg. *Non ita me Divi vera gemunt juverint.* Catull. nimirum *Orion* & *juverint* priorem longam habent.

8. Est & illud licentiæ poëticæ genus apud Poëtas non infrequens, quo syllabam brevem beneficio alicujus cæsuræ, vel etiam principio versus producunt. Talia sunt: apud Iuvenal. *Et animam & mentem, cum*

*qua Dii nocte loquuntur;* apud Virgilium & sæpe alibi, & nominatim: *Pectoribus inhians spirantia consulit exta.* Item apud eundem: *Nam tibi Tymbre caput Evandrius abstulit ensis.* Rursum: *Congredior, fer sacra pater, & concipe foedus.* Adhuc: *Muneribus: tibi pampineo gravidus autumno.*

*Annot.* Iterum atque tertio Candidatis nostris inculcamus, ut ne sibi fortassis licita putent propterea aliqua alia, cum vix magna hæc exempla in illis tolerari queant.

c. Sed næ ista obvia & levia pleraque, quæ recensuimus, artis poëticæ compendia paucissima eorum sunt, quæ attentus lector & diligens imitator in seria pervolutatione veterum Poëtarum nulla opera, & cum magna voluptate deteget, ac sponte sequentia, siquidem carminum scribendorum periculum facere cupiet, in rem suam convertet. Interim si quis præceptionum artis amator immodicus est, Artem metricam Wagneri, aut Observationes poëticas Joannis Dekeni a Morhofio editas adeat, & prolixissimam elegantissimamque hujus generis, ac formularum præterea supellectilem collectam reperiet.

## §. III.

## *De Stilo Poëtico.*

a. Quid Stilus sit, alibi, cum de præceptis oratoriis ageremus, tradidimus, nimirum

est

eſt *certa orationis conformatio ad mentem ſcribentis & res ſcriptas attemperata;* quæ definitio omnino etiam ſtilo poëtico univerſe, qua oratio ſeu pars eloquentiæ eſt, congruit: quia tamen oratio poëtica, ſimul numeris certis adſtricta, paſſim ſublimior eſt, & vulgo ſermo Deorum dicitur, oportet in explicatiorem aliquam poëtici ſtili ideam inquirere, qualis is ab oratorio ſecernatur.

b. Neque id facilius præſtabitur, quam ſi ad ipſam poëticæ artis definitionem revertamur. Hanc enim naturæ imitationem eſſe oratione convenienti expreſſam diximus, neque naturæ qualiscumque, ſed elegantioris & ornatæ naturæ imitationem; (quod infra uberius exequemur) ac proinde etiam imitatio hæc ad ſermonem omnem Poëtæ, quam late patet, extendi debet, id eſt, ſive loquatur Poëta ipſe, ſive Deos, homines, animalia loqui faciat &c.

c. Quoniam vero in hac imitatione duo Poëtæ ſpectanda erunt, primum ut ſermonem congruentem accurate circumſpiciat, quo fortaſſis Dii Ethnicorum, homines illuſtriores, aut etiam quicumque minoris cenſus homines, puta: cives, paſtores, ruricolæ &c. re ipſa & hodiernis moribus exprimere animi ſua ſenſa ſolent: tum quo expreſſuri eſſent, ſi in ſumma, quam concipimus, perfectione, ſeu perſonarum hujusmodi exaltatione loque-

rentur; hinc nobis enaſci videmus duo orationis ſeu ſtili genera: proſaicum ſeu oratorium alterum, quamdiu intra naturales ſimplicis imitationis fines ſermo conſiſtit; metricum autem alterum ſeu poëticum, cum ad exaltatæ, cultæ, comtæque naturæ imitationes progreditur.

*Annot.* Confer, ſi libet, paſtorum aut ruricolarum hodiernorum mores & ſermones (neque dubita hoc genus hominum ſemper & ubique idem eſſe) cum illis, quos apud Virgilium agentes loquentesque reperis, paſtoribus & agreſtibus, & videbis Poëtam non naturam ſolum, ſed elegantem & ornatam naturam imitatione ac ſermone expreſſiſſe.

d. Ex qua imitationis meditatione hoc tandem recte conficere videmur: cum Oratoria habeat verba, habeat deflexiones, harmoniam, numerum, elegantias, virtutes &c. omnia hæc item Poëticæ propria eſſe; ſed longe ſublimiori gradu. Quemadmodum enim id, quod Poëſis imitatur, ornat & extollit; ita ſermonem quoque, quo imitationem eloquitur, elevare debet atque exaltare, ordinem proſæ, flexiones, juncturas, & elegantias conſuetas prope dedignata, ac verborum, collocationis, ornatuum novorum & inſolitorum, virtutumque extraordinarum affectatrix. Atque hoc eſt, quod univerſe ſtilum orationem rei ſcriptæ attemperatam nominavimus.

e. Ita-

e. Itaque ad ſtilum poëticum non minus quam ad oratorium pertinebunt quidem numerus ac ornatus, pertinebunt periodi, membra, inciſa, tranſitiones, pertinebunt tropi, figuræ, atque argumentationes, motus, moresque; ſed ſublimiori, digniori, non raro audaciori modo tractatæ; & ſi in uſu ornamentorum iſtorum Oratori commendatur ſobrietas, Poëtæ interdicenda ſolum eſt intemperantia ac effuſio, monendusque identidem, ut memor ſit Horatiani illius: *Intererit multum Davusne loquatur an herus*, ne ſcilicet ſtilum eumdem poëticum omni etiam elocutioni poëticæ putet eſſe accommodandum.

f. Neque enim minus ſtili poëtici diviſio quam oratorii eſt in tres claſſes, cautionesque ſingulis claſſibus ſtili oratorii alias præſcriptæ, ſervata porportione, poëtico etiam convenient.

1. *Stilus ſimplex*, qui rebus perſoniſque aut argumentis tenuibus tantum, (ut e. g. in Co[illegible]dia) conveniet, a communi loquendi conſuetudine nihil fere recedet; tropis cum multa verecundia utetur, periodis brevibus, affectibus lenibus, ſententiis nullis, (quippe inter humiles perſonas) argumentis & amplificationibus obviis inſtructus. Exemplum habetur apud Virgil. Eclog. I.

O Me-

*O Meliboee, Deus nobis hæc otia fecit.*
*Namque erit ille mihi ſemper Deus: illius aram*
*Sæpe tener noſtris ab ovilibus imbuet agnus.* &c.

2. *Stilus medius* æquabiliter procurrit leni lapſu auditorum animos & expectationem permulcens. Itaque convenit illi rotunditas quædam numeri, neque exilitate rerum & verborum ad humilitatem delapſa; neque dignitate & majeſtate ad ſublimitatem elata. Quidquid vel in numeris, vel in ſententiis, vel in tropis figurisque delectat, ſtili hujus proprium eſt. Exempla hujus ſtili non ſolum in Virgilii Georgicis & Bucolicis multa, & in quibusdam Horatii Lyricis, in laudem præſertim Deorum hominumve exaratis; ſed præcipue in Ovidii, Tibulli, Propertii &c. Elegiis occurrent fere perpetua, quoniam prope omnes in hoc genere verſantur.

3. *Stilus ſublimis* eſt, qui rebus naturâ vel uſu magnis, ac perſonis item magnis congruet. Sunt autem res *natura magnæ*: divinæ, cœleſtes, & terreſtres etiam, quæ admirationem occultasque cauſſas habent, ut: tempeſtates, venti, terræ motus &c. *Uſu magnæ* cenſentur, quæ multum uſu ſuo prodeſſe aut obeſſe conſueverunt, qualia ſunt: opes, honores, liberi, egeſtas,

ſtas, bellum, peſtilentia &c. Jam rebus perſonisque iſtis ſermo conveniet frequentibus, iisque audacioribus tropis, figuris, periodis, affectibus, amplificationibus refertus. Cujus generis Virgilius in Aeneide paſſim utitur, cum ſtudia, officia, geſta Deorum aut magnorum hominum explicat, præcipue autem Lib. II. & VI.

*Annot.* Sapienter viri docti annotarunt, nullum ſtilorum iſtorum perpetuum eſſe debere, ſed pro ratione & opportunitate rerum permiſcendum. Sic Virgilius Aeneid. I. ſublimi, quo Aeneas ad Venerem utitur cœli incertus & curarum plenus, repente interſerit ſtilum tenuem, cum Venerem forma virginis Tyriæ agentem reſpondentemque inducit, ibi;

*— — — Haut ejusdem tali me dignor honore.*
*Virginibus Tyriis mos eſt geſtare pharetram,*
*Purpureoque alte ſuras vincire cothurno:*
*Punica regna vides, Tyrios, & Agenoris urbem* &c.

Idem Virgil. in Eclog. VI. inexpectate ad ſublimem ſtilum divertit, ibi:

*Hinc lapides Pyrrhæ jactos Saturnia regna*
*Caucaſeasque refert volucres furtumque Promethei.*

Sic item res minimæ nonnunquam ſtilo grandi conveſtiuntur, quod Virgilius Aeneid. IV. fecit, ubi in formicarum, animalculi parvi contemtique ſimilitudine, qua ardentem Trojanorum ſedulitatem adumbravit, ad ſublimitatem cogitationum expreſſionumque inopinate ſe ſuſtulit, ibi:

*Ac veluti ingentem formicæ farris acervum*
*Cum populant, hyemis memores, tectoque reponunt:*
*It nigrum campis agmen, prædamque per herbas*

Con-

*Convectant calle angusto: pars grandia trudunt*
*Obnixæ frumenta humeris, pars agmina cogunt*
*Castigantque moras: opere omnis semita fervet.*

g. Cujus tamen cunque classis sermo poëticus futurus est, duabus præcipue dotibus ex mente magni Poëticæ præceptoris Aristotelis eminere debebit, ut nimirum sit perspicuus & insolitus.

1. *Perspicuus* quidem sermo erit, si verba pura, propria, usitata, non ambigua, ex Grammaticæ legibus ordinata & colligata adhibebuntur. Talia sunt illa Virgilii Eclog. I.
*Non equidem invideo, miror magis: undique totis*
*Usque adeo turbatur agris.* - - - - - - - - - - -
Item aliud statim principio ejusdem Eclogæ.
*Tityre! tu patulæ recubans sub tegmine fagi*
*Silvestrem tenui Musam meditaris avena:*
*Nos patriæ fines, & dulcia linquimus arva,*
*Nos patriam fugimus: Tu Tityre lentus in umbra*
*Formosam resonare doces Amaryllida silvas* &c.

a. *Annot.* Attende tamen in postremo exemplo jam intercalata verba impropria & metaphorica ad stilum nonnihil ornandum ac attollendum aspersa; scilicet: *Musam meditaris avena*, & *doces silvas resonare Amaryllidem*.

b. Revocabitur ad perspicui censum *sermo pedester* ab Horatio in Arte dictus: *Tragicus plerumque dolet sermone pedestri*, qui etsi pedibus numerisque alligatus sit, ita tamen libere progreditur, ut vix a soluta oratione differre videa-

videatur. Sermone hoc Horatius in plerisque Satyris & Epiſtolis uſus eſt: adhiberique etiam in jocularibus aut ridiculis poterit. En exemplum ex Horat. Sermon. L. I. Eclog. I.

*Qui fit Maecenas, ut nemo, quam ſibi ſortem*
*Seu ratio dederit, ſeu ſors objecerit, illa*
*Contentus vivat? laudet diverſa ſequentes?*

2. *Inſolitus* ſermo erit, ſi ea accerſentur permiſcebunturque decora, quæ extra uſum quotidianum poſita ſunt. Cujus generis fere ſunt: verba impropria, aliena, & translata, nonnunquam nova etiam, compoſitiones, conſtructiones, collocationesque inſolitæ & liberiores, unde talis denique ſermo poëticus enaſcatur, de quali loquitur Horat. L. III. Od. 1. *Odi profanum vulgus— Carmina non prius audita Muſarum ſacerdos — canto.* Exemplum luculentum ſermonis hujusmodi intuere apud Virg. Aeneid. VI. cum ſacerdotem vaticinari incipientem deſcribit:

*At Phoebi nondum patiens immanis in antro*
*Bacchatur vates, magnum ſi pectore poſſit*
*Excuſſiſſe Deum: tanto magis ille fatigat*
*Os rabidum, fera corda domans, fingitque*
*premendo &c.*

h. Fere ad hæc duo ſuprema genera reduci poterit, quidquid Recentiores in hanc Ariſtotelis doctrinam prolixius de ſtili virtutibus ac vitiis commentati ſunt. Et ſtili poëtici virtutes quidem recenſentur ſequentes:

1. Mo-

1. *Modus* eſt juſta & par argumento ſermonis magnitudo, cujus definitio ex circumſtantiis & prudentia pendet; ſunt namque, quæ brevius preſſiusque efferre deceat; ſunt contra item, quæ fuſius dici poſtulent.

2. *Varietas.* Ut ſimilitudo & uniformitas ſatietatis; ita varietas delectationis mater eſt. Certe gravi ſine cauſſa bis idem dicere vix Oratori ſine nauſeæ periculo liceat, longe minus Poëtæ, cujus præcipuum officium delectatio eſt.

*Annot.* Admirabilis plane & ſtupenda eſt Virgilii in hoc genere excellentia, quemadmodum obſervavit Scaliger, qui nunquam non alias, ſignanter tamen cum cædes & mortes in tanto pugnarum numero frequentiſſimas neceſſe eſſet commemorare, adeo diverſis modis eas narravit, ut nec pugnæ, nec vulnera, nec inſtrumenta eadem recurrant. Itaque ſaxum, torris, clava, bipennis, ſudes, contus, ſagitta, haſta, lancea, enſis &c. ad vulnerandum aſſumuntur; vulnerantur vero jugulum, caput, femur, pectus, poples, manus, genu &c. hoſtis autem eſt adverſus, averſus, ab latere, ſtans, jacens, currens, exprobrans, minuens, timidus, audax &c.

3. *Aequabilitas* ſtili conſiſtit in æquabiliter fuſo & procurrente ſermone, qui neque in ſublimibus turgeſcat, neque in tenuibus repat, pro rerum opportunitate ſui ſemper ſimilis.

4. Dig-

4. *Dignitas* ſtilo ex verborum ac ſententiarum gravi & juſte diſpenſato pondere conciliatur. Neque enim ſatis erit, ut verba pulchra & elegantia proferat vel paſtor vel heros Virgilianus, niſi cum gravitate quoque ſtatui, ætati, perſonæ ſuæ convenienti ea proloquatur. Tunc vero dignitas etiam ſermoni illius inerit.

5. *Vis* ſtili poëtici ex virili & nervoſa oratione naſcitur, mirificeque argumentorum pondere& argumentationum rigore ad acriter inſtandum urgendumque valebit.

6. *Splendor* tandem ſtili poëtici ex ingenii luce, & orationis ſubtilitate ac ſolertia exiſtit. Pluribus modis ſplendorem ac ſubtilitatem hanc orationis acquiri docuerunt præceptores.

a. Ariſtoteles quidem docet comparari ſplendorem hunc vel maxime, ſi rebus vitæ ſenſusque expertibus actio motusque tribuatur. Ita' Homerus lapidem a Siſypho in montis cacumen multo labore ſubvolutum, & identidem relabentem *impudentem* vocat. Sic Horatius L. I. Od.4. tritam & vulgarem ſententiam *mors omnes æqualiter vocat*, ſplendide ita effert: *Pallida mors æquo pulſat pede pauperum tabernas, Regumque turres.*

*Annot.* Eamdem orationi gratiam pariunt, quæcunque oculos, aures, aut reliquos

ſenſus percellunt ac feriunt. Unde recta inferes, unum præcipuorum decorum poëticorum in Deſcriptionibus poëticis reſidere, quibus mire animos teneri & prope abripi vel ipſa puerulorum experientia manifeſtum fit, qui toti quanti ex deſcribentium ore pendere conſueverunt.

b. Subtilitatis & ſplendoris ratio altera poſita eſt in ſimilitudinibus & comparationibus, iisque vel apertis, vel tacitis (quas Methaphoras appellamus). Hujus generis ſunt: *incendere urbem luctu*, *inflammari iracundia*, *ſcribendo conſolari otium ſuum*. Ex quo intelligas pariter, quam elegans & illuſtre ac prope neceſſarium orationis poëticæ ornamentum ſint ſimilitudines comparationesque.

c. Alia adhuc ſubtiliter & ingenioſe eloquendi ratio in Anthitheſi ſeu Oppoſitione reperitur, qui fons uberrimus eſt apud Oratores æque ac Poëtas. Sic Plinius in panegyr. *Alii ſe ſatis vixiſſe, te viſo, te recepto; alii nunc magis eſſe vivendum prædicabant.* Et idem in alio ejusdem Panegyrici loco: *Cum jam pridem*, inquit, *novitas adulatione conſumta ſit: non alius erga te novus honor ſupereſt, quam ſi aliquando de te tacere audeamus.* Poëtæ autem horum undique pleni ſunt; ſic Ovid. in Epiſt-

*Im-*

*Improbe, multorum quod fuit, unus habes.*
Et Catull. ad Ciceronem Carm. 50.
*Gratias tibi maximas Catullus*
*Agit, pessimus omnium Poeta,*
*Tanto pessimus omnium Poeta,*
*Quanto tu optimus omnium Patronus.*

Sic etiam Horat. L. II. Ode. 1. *Audire magnos jam videor Duces non indecoro pulvere sordidos* &c.

d. Denique quod præter spem & expectationem subito exsplendescit, oculosque mentis repentino aliquo fulgore perstringit; fons subtilitatis non injuria reputatur. Sic apud Senec. Act. 2. cum nutrix Medeam ab audaci facinore deterret, omnique auxilio destitutæ nihil undique superesse monet; *Medea superest* inquit desperationis plena.

*Annot.* Solet ex hujusmodi ingeniose subtiliterque dictis non raro oriri stili sublimitas, sed enim circumspectissime attendendum est, ut, quæ dicuntur, vera rerum dignitate resplendeant, veraque magnitudine & excelsitate nitantur. Tale est illud apud Horat. L. II. Od. I. *Cuncta terrarum subacta præter atrocem animum Catonis.* Tale est item illud Galgaci apud Tacitum: *Ituri in aciem & majores & posteros cogitate.*

7. *Sententia* ( Græcis gnome, de qua hic nobis sermo) est aliquod simplex, universe tamen, pronunciatum ad vitam actio-

nesque hominum informandas. Talia sunt illa Horatii: *Dulce & decorum est pro patria mori;* vel *Raro antecedentem scelestum deserit pede poena claudo.* Sunt autem sententiæ hujusmodi lumina orationis poëticæ, quibus oratio distingui, non tegi aut obrui debet.

a. *Annot.* Facile opportunæ sententiæ concinnabuntur, si id, quod de singularibus dictum est, ad universos tamen informandos valere potest, ad universos etiam oratione communi transferatur. *Sic: quia te amo, tibi timeo.* Ovidius sententia tali expressit: *Res est solliciti plena timoris amor.* Si pronuncies: *Sum fortis, igitur ubique mihi partia est*, aut, *Fortuna te juvabit, si audebis*, nudæ propositiones sunt, quas si abstrahas a singulari, & ad generalem expressionem transferas, sententias habes: *Omne solum forti patria.* Ovid. I. Fast. *Audaces fortuna juvat.* Virg.

b. Est autem secundnm opinionem præceptorum discrimen inter *sententias* & *acute dicta* accurate dignoscendum, quorum posteriora fere ex pugna aliqua & conflictu exurgunt; cum priora omni pugna careant. Sic illud Senecæ: *Cogi qui potest, nescit mori*, ad sententias pertinere ajunt; illud alterum autem Senecæ: *Ille tot Regum parens caret sepulcro Priamus, & flamma indiget ardente Troja*, ad acute dicta relegant propter conflictum & oppositionem.

c. Observatur apud Poëtas modus triplex sententiis utendi: vel enim rebus narrandis præmittuntur, & ab illis narrationes inchoantur; ut apud Virgil. Aeneid. II. *Heu nihil in-*

*invitis fas quemquam fidere Divis.* Tum subjungitur narratio raptatæ crinibus Cassandræ, & irruentis in hostium globos Choræbi. *Ecce trahebatur passis Priameia virgo crinibus* &c. Vel interseruntur narrationibus, simulque Transitionum locum subeunt. Sic apud Ovid. Fastor. II. de Lucretia:

*Quantum animus errori inest? parat inscia rerum*
*Infelix epulas hostibus illa suis.*

Vel tandem orationi finitæ subnectuntur, ut Virg. Aeneid. III. narrationem de perfide occiso propter thesauros Polydoro sententia concludit: *Quid non mortalia pectora cogis auri sacra fames!* Cujusmodi clausulas passim *Epiphonemata* appellant.

d. Raræ admodum ab epicis aspergi solent Poëmatis sententiæ, ita enim majestatem dignitatemque carmini conciliant; apud Elegiacos contra, Satyricos, Lyricos, Tragicos earum usus aliquanto largior est, semper tamen adhuc sobrius; quoniam mire ornant & delectant, more præsertim Elegiographorum tractatæ: qui sæpe sententias ab inductionibus similium aut comparationumconfirmare solent. Sic apud Ovid. vides sententiam: *Mora dat vires*, inductione uvarum segetum & arborum confirmatam:

*Nam mora dat vires, teneras mora percoquit uvas*
*Et validas segetes, quæ fuit herba, facit;*
*Quæ præbet latas arbor spatiantibus umbras,*
*Quo posita est primum tempore, virga fuit.* &c.

i. In vitiis poëticis merito numerabuntur hæc, quæ sequuntur:

1. *Obscuritas & perplexitas*; quæ nonnunquam ex verbis vel perperam adscitis,

vel perperam collocatis, vel demum perperam omissis: aliquando, & quidem longe turpissima, etiam ex perturbato cogitandi modo oritur.

2. *Brevitas & prolixitas* immodica æque sermonem poëticum vitiant; prior enim in obscuritatem eum delabi faciet, posterior delectationis loco tædium creabit. *Indocti*, ait Quintilianus, *dicunt omnia, doctis est electio & modus.*

3. *Tumor & elatio* in oratione item, ut in corpore vacua inflatio eorum Poëtarum est, qui semper *nubes & inania captant.* Grandia nomina, quæ adhibent, magnifica epitheta, & sententiæ ampullatæ nihil, nisi inanes rerum & vacui sanæ mentis soni sunt, quibus, cum res magnas se proferre existimant, sine mensura & moderatione limites omnes verisimilitudinis & decori supergrediuntur. Quis ferat Lucanum L. V. canentem:

*Tunc quoque tanta maris moles crevisset in astra,*
*Ni Superum Rector pressisset nubibus undas.*

*Annot.* In hoc vitium pronus tunc præsertim lapsus est, cum argutias passim temere, sublimitatem autem incautiores consectamur. Quando idem Lucanus de Pompejo insepulto ait: *Cœlo tegitur, qui non habet urnam*, quam falsa & minime ad laudem pertinens argutia est, eodem sepulcro condi, quo latrones, ut ali-

alitum ac ferarum præda fis? Quam impie & inepte affectata fublimitas ejusdem: *Magno fe judice quisque tuetur, victrix cauffa Diis placuit, fed victa Catoni.*

4. *Humilitas & abjectio*, vitium priori oppofitum, in quod ii plerumque præcipites ruunt, qui fine diviniori afflatu, quem fupra explicavimus, tam carminibus neceffario, ad fcribendos tamen verfus, aut ad opus aliquod poëticum conftruendum præfidenter accedunt. De utroque hoc vitio Hor. in Art. *Decipimur fpecie recti --Profeffus grandia turget, ferpit humi, tutus nimium, timidusque procellæ.*

5. *Frigus* vitium eft, quamquam ex argutiis intemperanter quæfitis ortum, argutiæ tamen ipfi oppofitum, cum nempe pueriles verborum lufus & acumina conglomerantur, aut anxie conquifita in orationem coguntur.

k. Nullum tamen certius ftili poëtici comparandi medium, quam ante alia ad jufte accurateque ex legibus Poëticæ cogitandum (de quo infra, ubi de inventione agemus) diligentiffime conari. Cum enim ftilus omnis rebus primum cogitatis, tum verbis cogitata feliciter exprimentibus contineatur, dubium nullum effe poteft, follicitudinem primam in cogitandi accurationem effe conferendam, tum vero facile verba opportuna præfto futu-

tura. Idquod scientissimus Artis poëticæ Horatius universos commonefacit:

*Scribendi recte sapere est & principium & fons,*
— — — — — —
*Verbaque prævisam rem non invita sequentur.*

## §. IV.

### *De stili Poëtici ac Oratorio differentia.*

a. Non elocutione sola stilum poëticum niti, sed præsertim cogitatu elocutioni substrato mox dicimus, quod idem diserte inculcat Horat. Serm. L. I. Eclog. 4.

— — — *Neque enim concludere versum*
*Dixeris esse satis, neque si qui scribat, uti nos,*
*Sermoni propiora, putes hunc esse Poëtam:*
*Ingenium cui sit, cui mens divinior, atque os*
*Magna sonaturum, des nominis hujus honorem.*

b. Quare solertissima curatione providendum est, ut Poëticæ Candidati primum discrimina ea penitus intelligant, quæ inter cogitatum elocutionis oratoriæ & poëticæ intercedunt; tum illa demum, quæ dictiones tam diversas in duobus his eloquentiæ generibus efficiunt:

c. Atque cogitatum quidem poëticum fere hæc ob oratorio secernunt,

1. *Vis & fortitudo* cogitatus, qua Poëta rem aliquam insignem, aut ea rei attributa omissis ceteris arripit, quæ in re proposita

sita sunt præcipua, & maxime sensum feriunt. Hinc vividam ajunt enasci cogitationem. Sic Virgil. magnum æstatis calorem expressurus, scopulos siccos solis radiis expositos, atque adeo radios cum magna vehementia reflectentes cogitat, atque Georg. II. *Gravis incumbens scopulis arentibus æstas.* Sic pariter arbores cogitans ventorum viagitatas, concussionem earumdem arborum & confractionem vivide intuetur: *Ipsæ Caucaseo steriles in vertice silvæ, quas animosi Euri assidue franguntque-feruntque.* &c. Et Aeneid. I. relaturus, quid Dido allato Ascanio egerit; curiositatem cupiditatemque aspiciendi filium Aeneæ ante alia cogitat, quæ satiari non possit, sed crescat etiam: *Expleri mentem nequit, ardescitque tuendo Phoenissa.* Sic item cum narrat, quid adductus Iulus egerit, oscula patris ante alia omnia sibi imaginatur & exprimit: *Ille ubi complexu Aeneæ colloque pependit.* In incendio rapiditatem flammæ, quæ non progreditur, sed volvitur, spectat: *Ilicet ignis edax summa ad fastigia vento volvitur, exsuperant flamma, furit æstus ad auras.* &c.

*Annot.* Quamcunque vim in Oratore tibi fingas, nunquam ille Poëtam assequitur; quoniam hic limites prope naturæ cogitatione sua transilit: *Gravis æstas incumbit, animosi Euri frangunt, ignis volvitur* &c. quod Oratori nunquam licitum esse potest.

2. *Imaginatio* calens semper, sæpe ardens, & non raro æstuans, ex qua imagines & picturæ fortes ac nervosæ oriuntur, quæ in Oratore sunt raræ, graves, pressæ: apud Poëtas pro diversa rerum opportunitate frequentissimæ, ditissimæ & fere perpetuo luxuriantes occurrunt. Vide rem in exemplo Virgilii Georg. III.

*Qualis Hyperboreis Aquilo cum densus ab oris*
*Incubuit, Scythiæque hyemes atque arida differt*
*Nubila: Tum segetes altæ campique natantes*
*Lenibus horrescunt flabris, summæque sonorem*
*Dant silvæ, longique urgent ad littora fluctus:*
*Ille volat simul arva fuga, simul æquora verrens.* &c.

Observas nimirum, quam fortes & coacervatæ a Poëta hic abhibeantur imagines, ut ventum Boream vivide pingat: *Condensatus* atque adeo tanto majori impetu non flat, sed jugitur flat, adeoque *incumbit*, frigus & siccas nubes undique *distribuit*, campi segetibus altis *natantes horrescunt flatu*, arbores summæ dant *sonitum*, *longi* fluctus urgent littora, ventus *volat*, & fugiens agros ac maria *verrit*.

a. *Annot*. Tanto major imaginum cogitatuumque poëticorum laus est, quanto plures rei proprietates; effectus &c, paucis verbis enunciant: Talis est loci amoeni apud Virgil. imago Eclog. IX.

*Hic ver purpureum, varios hic flumina circum*
*Fundit humus flores, hic candida populus antro*
*Imminet, & lentæ texunt umbracula vites.*

b. Optimæ autem præ ceteris imagines censentur, quæ vel brutis rationem, vel rebus inanimatis vitam, sensum, actionem tribuunt. Hujus generis undique occurrunt in operibus Poëtarum multa, fere autem in Lyricorum carminibus plurima. Sic Virgil. Georg. I.

——— ——— ——*inopi metuens formica senectæ.*
Item:

——— ——— ——— ——— ——— ——*Ardua palma*
*Nascitur, & casus abies visura marinos.*
Rursum de arbore insititia:

——— ——— ——— ——— ——— ——— ——*Et ingens*
*Exiit ad cœlum ramis felicibus arbos,*
*Miraturque novas frondes, & non sua poma.*
Tandem sic Horat. Carmm. L. I. Od. 35. de Fortuna:

*Te semper anteit sæva necessitas*
*Claves trabales & cuneos manu*
*Gestans ahena: nec severus*
*Uncus abest, liquidumque plumbum* &c.
Iterum idem Horat. Carmm. L. II. Op. 3.
*Qua pinus ingens, albaque populus*
*Umbram hospitalem consociare amant*
*Ramis, & obliquo laborat*
*Lympha fugax trepidare rivo.* &c.

3 *Eruditio*, cum ad varias allusiones, historias, fabulas, sententias, ritus &c. cogitatus reflectitur, quæ reflexioues deinde brevissime & quasi transvolitando solum in ipsam dictionum poeticam transeunt. Sic Virg. Georg. I. *Quo tempore primum Deucalion vacuum lapides jactavit in orbem.* Et

ali-

alibi: *Et veterem in limo ranæ cecinere querelam.* Scilicet priore loco ad Diluvium Deucalionis, posteriori per verba *veterem querelam* ad Metamorphosim Rusticorum Lyciæ (de qua apud Ovid. Metamorph. VI. 5.) alludit. Sic idem Poëta Georg. IV. *Aut invisa Minervæ in foribus laxos suspendit aranea casses*, respicit fabulam textricis Arachnes. &c.

*Annot.* Huc refertur etiam usus Patronymicorum: *Saturnia* Iuno, *Cynthius* Apollo, *Nereides* Nymphæ Nerei filiæ; *Laërtiades* Ulysses Laërtis filius, *Cecropidæ* Athenienses a Cecrope eorum rege &c. &c.

d. Elocutiones deinde poëticæ ad oratoria discrimen latissime per plurima, & tantum non omnia, Rhetorum ornamenta vagatur. Longe felicius sane ex Auctorum Poëtarum lectione, quam ex copiosis præceptionibus discrimina hæc, quantacunque sint, condiscet adolescens. In gratiam tamen Candidatorum potiora aliqua eorum capita sigillatim intuebimur.

1. Periodi omnis generis apud Poëtas itidem, ut apud Oratores in usu sunt. Itaque membris & incisis suis instructæ sunt orationes poëticæ, suspenduntur particulis, modo intra paucos justosque membrorum terminos subsistunt, modo autem ad quatuor, quinque, imo etiam ad octo aut decem

mem-

membrorum magnitudinem extenduntur, totidemque verſibus abſolvuntur. Sola, quam obſervare licet, differentia in eo ſita eſt, quod nexus particularum plerumque tectior eſt, vel quia propter metri numerum particulæ ex loco patenti in remotiorem rejiciuntur; vel quia, cum facile ſubintelligantur, conſulto omittuntur, atque ideo paſſim in oculos univerſorum non incurrunt. Cetera communiter cum Oratoribus apud Poëtas obtinent omnia. Quacunque Virgilium aperueris, exempla præſto erunt.

a. Periodus *unimembris:*

*Neu nihil invitis fas quemquam fidere Divis.*

Item:

*Non ignara mali miſeris ſuccurrere diſco.*

b. Periodus *bimembris:*

*Arma virumque cano,*
*Trojæ qui primus ab oris*
*Italiam fato profugus Lavinaque venit littora.*

Membrum primum commatis duobus, *arma* & *virum*; poſterius item duobus diſtinctum eſt: *Italiam profugus*, & *Lavina littora venit.*

Talis eſt etiam alia Virgilii:

*Qui te cumque manent iſto certamine caſus.*
*Et me Turne manent.*

c. Pe-

c. Periodus *trimembris:*
*Quam pro me curam geris:*
*Hanc precor Optime pro me deponas,*
*Letumque ſinas pro laude paciſci.*

d. Periodus *quadrimembris:*
*Jamque propinquabam portis,*
*Omnemque videbar evaſiſſe viam:*
*Subito cum creber ad aures viſus adeſſe pedum ſonitus,*
*Genitorque per umbram proſpiciens:*
*Nate, exclamat, fuge nate, propinquant.*

Item *alia:*
*Namque etſi nullum memorabile nomen foeminæ in poena eſt;*
*Haec habet victoria laudem:*
*Extinxiſſe nefas tamen, & ſumſiſſe merentis laudabor poenas;*
*Animumque expleſſe juvabit ultricis flammæ, & cineres ſatiaſſe meorum.*

e. Periodus *quinque membrorum:*
*Poſtquam res Aſiæ, Priamique evertere gentem immeritam viſum Superis;*
*Ceciditque ſuperbum Ilium, & omnis humo fumat Neptunia Troja:*
*Diverſa exilia, & diverſas quærere terras auguriis agimur Divum;*
*Claſſemque ſub ipſa Antandro, & Phrygiæ molimur montibus Idæ;*

In-

*Incerti quo fata ferant, ubi sistere detur.* &c.

1. *Annot.* In Epicis fere longiores occurrere solent periodi; in Elegiis autem, Lyricis, Comicis, & Historicis breviores locum habent.

2. Res amplæ; & affectus graviores periodice plerumque efferuntur a Poëtis: affectus autem concitatiores *incisim*. Hujusmodi est illud: *Ferte citi ferrum, date tela, scandite muros, hostis adest*, &c.

3. In narrationibus autem præcipue *membratim* dicere Poëtis usitatissimum est. Talis est apud Virgil. Aeneid. II. narratio simulati abitus Græcorum, & solutæ obsidionis Trojanæ:

*Est in conspectu Tenedos notissima fama*
*Insula, dives opum, Priami dum regna manebant,*
*Nunc tantum sinus & statio malefida carinis:*
*Huc se profecti deserto in littore condunt.*
*Nos abiisse rati & vento petiisse Mycenas.*
*Ergo omnis longo solvit se Teucria luctu,*
*Panduntur portæ: juvat ire, & Dorica castra,*
*Desertosque videre locos, littusque relictum* &c.

2. Transitiones seu ad partes majores, seu ad minores fibulæ carminum non minus, quam orationis solutæ sunt, neque tectas solum transitiones aut reales, ut vocant; sed apertas etiam & verbales; perfectas pariter & imperfectas passim abhibent.

*Annot.* Vix tamen apud Lyricos hoc genus apertarum Transitionum usus est, præsertim cum Entheo afflati carmina effundunt, sæpissime toti

ti quanti re ſua occupati, vix multum vel de ordine, vel de nexu orationis ſolliciti.

a. Tranſitiones *perfectæ*. Hæ aut harum ſimiles occurrunt apud Virgil. in Eclog.
*Hæc Damon: vos, quæ reſponderit Alpheſibæus,*
*Dicite Pierides.*
Item in Georg.
*Hactenus arvorum cultus & ſidera coeli,*
*Nunc te Bacche canam.*

b. Tranſitiones *imperfectæ* apud eumdem Virgilium talibus fere particulis efferuntur:
*Dixit, — Dixerat — tum — Cum,*
*Quid tempeſtates autumni & ſidera dicam?*
*Tum vero ardemus ſcitari & quærere cauſſas.*
*Talia jactabam* &c. *Cum mihi* &c.
*Interea magno miſceri murmure pontum.*
*Ecce trahebatur* &c. *Ecce autem ſubitum* &c.
*Jamque adeo ſuper unus eram.*
*Ergo aderat promiſſa dies.*
*Forte ſub arguta conſederat ilice Daphnis.*
*Haud tamen audaci ceſſit fiducia Turno.*
*Atque hic Aeneas - - - Ille autem - - -*
*Namque ut conſpectu in medio.*
*Vix e conſpectu* &c.
*Nec mora, continuo* &c.
*Quin etiam — Extemplo — Protinus* &c. &c.

*An-*

*Annot.* Quot figuræ ſunt, tot tranſitiones variandi modos apud Poëtas æque ac Oratores deprehendas, quæ varietas, ſi Oratori jucunda, Poëtæ neceſſaria eſt. Diſcrimen, quod unice fortaſſis in dictione & numero orationis regnat, ex formulis ipſis conſpicuum fit.

3. Tropi neque alii quidem, neque pauciores apud Poëtas recepti ſunt, quam ii, quos in Oratoria late explicavimus. Uſus tamen Troporum apud Poëtas, quod inſinuatum jam eſt ſæpius, longe frequentior, liberior, audaciorque eſt, adde: vix ſermonem poëticum cenſeri poſſe, niſi translationibus totus quantus apte accommodateque efflorefcat. Vix peculiaria quædam de tropis monenda ſuccurrunt; accipe pauca hæc:

a. *De Metaphora.* Tropus hic dominatur & exultat apud Poëtas in verbis, in nominibus, in epithetis, in particulis undique obvius. Tanto igitur major ſollicitudo adhibenda eſt, ut ne in vitia prolabatur, quorum in Oratoria meminimus. Vide paucis his verſiculis Virgilii Georg. II. prope ſingulis eximias translationes incluſas:

*--- Redit agricolis labor actus in orbem,*
*Atque in ſe ſua per veſtigia volvitur annus.*
*Et jam olim ſeras poſuit cum vinea frondes,*
*Frigidus & ſilvis Aquilo decuſſit honorem;*

*Iam tum acer curas venientem extendit in annum*
*Rusticus, & curvo Saturni dente relictam*
*Persequitur vitem attondens, fingitque putando.*

b. *De Metonymia.* Perstringunt illæ tropi hujus species validius, cum vel caussa pro effectu, & vicissim; aut auctor pro opere assumitur: *Concussaque famem in silvis solabere quercu.* Virg. id est. glandibus, caussa pro effectu. *Excussaque pectore Juno est.* Virg. Scilicet: Consilium Junone auctrice susceptum. Naves quassatæ *accipiunt inimicum imbrem*, quia nocet. *Amica silentia lunæ*, quia proderant. Apes *spem gentis*, *adultos educunt foetus*, qui sunt caussa spei.

c. *De Synecdoche.* Cum genus pro specie abhibetur, nisi cognita jam sit species, generico nomini nota aliqua adjungenda est, qua internosci valeat. Ita Aeneid. VII. cum Virgilius canit:

*- - - Magno veluti cum flamma sonora*
*Virgea suggeritur costis undantis aheni,*
*Exsultantque æstu latices: furit intus aquæ vis,*
*Fumidus atque alte spumis exuberat amnis;*
*Nec jam se capit unda; volat vapor ater ad auras &c.*

*Annot.* Fortaſſis *flamma ſonora* in hoc loco, *latices exſultantes*, *amnis exuberans* obſcuræ dubiæque locutiones eſſent, niſi per addita: *Virgea flamma*, & *furit intus aquæ vis* declararentur.

d. *De Ironia.* Mire tropum hunc animat, ſi Ironiæ etiam irriſio aut ſarcaſmus annexus ſit. Elegantia hujus generis apud Virgilium ſunt exempla Aeneid. I. ubi Neptunus Aeolum, & L. IV. ubi Juno Venerem mordet. Loco priori ſic Neptunus:

*---- Illa ſe jactet in aula*
*Aeolus, & clauſo ventorum carcere regnet.*

Nimirum cavernæ ventorum, & immania ſaxa per irriſionem Aula dicuntur. Locus alter Junonis acrior adhuc:

*Egregiam vero laudem, & ſpolia ampla refertis,*
*Tuque puerque tuus: magnum & memorabile nomen,*
*Una dolo Divum ſi foemina victa duorum eſt.*

e. *De Periphraſi.* Circumſcriptio rerum verborumque artificium, quod Poëtis in deliciis plane eſt, modo ſola rei verbique loco ponitur, modo cum circumſcripta re claritatis cauſſa copulatur. Utriusque exempla inſpice:

*--- Dum mane novum, dum gramina canent,*
*Et ros in tenera pecori gratissimus herba est.*

Aut:

*Solis ad occasum, quam frigidus aëra vesper*
*Temperat, & saltus reficit jamroscida luna.*

Item:

*Et quam tristis hyems etiam nunc frigore saxa*
*Rumperet, & glacie cursus frenaret aquarum.*

Vides nimirum & *mane*, & *solis occasum*, & *hyemem* cum circumscriptionibus suis aperte adesse; at sequens Periphrasis Occasus ab effectis deducta rem, non nomen repræsentat.

*Et jam summa procul villarum culmina fumant.*
*Majoresque cadunt altis de montibus umbræ-*

*Annot.* Postremum hoc qui tentat, characteres rei circumscribendæ assumat necesse est omnibus notos, ne forte in Perissologiam aut Aenigma prorsus decidat.

f. *De Hyperbole.* Longe hic tropus & familiarior & liberior Poëtis est præ Oratoribus sive augendi sive minuendi gratia. Virgil. L. III. Georg. de fluctu maris: *Immane sonat per saxa, nec ipso monte minor procumbit.* Alibi de Trojanis iden-

identidem in mari jactatis *Ventis maria omnia vecti.* Et de iisdem: *Medias acies mediosque per ignes invenere viam.* Rursum Iuno de iisdem: *Absumtæ in Teucros vires coelique marisque* &c. &c.

4. Figuræ omnes seu verborum seu sententiarum non minus fori poëtici sunt, quam oratorii, id quod ex ordine in exemplis ostendere ut facile ita longum foret, & supervacaneum etiam, occursantibus undique, si velis, Poëtarum Schematis. Snnt tamen earum figurarum aliquæ, quas præcipue deamant, & mirifice excoluut Poëtæ principes. In harum numero computantur:

a. *Hypotyposis*, cum res non tam narrare, quam præsentes spectandas exhibere videtur Poëta, figura ex vivida imaginatione ortum ducens, tantoque validior, cum brevibus affectibus interpungitur. Hujus generis habetur apud Virgil. Aeneid. II. insigne exemplum:

*Ecce autem gemini a Tenedo tranquilla per alta*
*(Horresco referens!) immensis orbibus angues*
*Incumbunt pelago, pariterque ad littora tendunt:*
*Pectora quorum inter fluctus arrecta, jubæque*
*San-*

*Sanguineæ exuberant undas: pars cetera pontum*
*Pone legit, ſinuatque immenſa volumina tergo.*
*Fit ſonitus ſpumante ſalo: jamque arva tenebant*
*Ardentesque oculos ſuffecti ſanguine & igni,*
*Sibila lambebant linguis vibrantibus ora.*
*Diffugimus viſu exangues: illi agmine certo*
*Laocoonta petunt: & primum parva duorum*
*Corpora natorum ſerpens amplexus uterque*
*Implicat, & miſeros morſu depaſcitur artus.*
*Poſt ipſum auxilio ſubeuntem, ac tela ferentem*
*Corripiunt, ſpirisque ligant ingentibus: & jam*
*Bis medium amplexi, bis collo ſquamea circum*
*Terga dati, ſuperant capite & cervicibus altis.*
*Ille ſimul manibus tendit divellere nodos,*
*Perfuſus ſanie vittas atroque veneno*
*Clamores ſimul horrendos ad ſidera tollit.*

Aliud nihil minus extans eodem libro eſt:

*Ecce autem! elapſus Pyrrhi de cæde Polites,*
*Unus natorum Priami, per tela, per hoſtes*
*Porticibus longis fugit, & vacua atria luſtrat*

Sau-

*Saucius: illum ardens infeſto vulnere Pyrrhus*
*Inſequiter, jam jamque manu tenet, & premit haſta.*
*Et tandem ante oculos evaſit & ora parentum,*
*Concidit, ac multo vitam cum ſanguine fudit.*

*Annot.* Nonne ſerpentes horrificos adnatantes, & Laocoontis ac natorum cædem oculis uſurpas? An non Pyrrhum ſævè inſtantem Politen fugientem concidentem morientemque coram cernis?

b. *Apoſtrophe.* Affectibus plerumque aliis conjuncta magnam vim orationi poëticæ hæc figura confert. Sic Virgilii paſtor: *Ite meæ, felix quondam pecus ite capellæ.* Elegantiam autem incredibilem orationi conciliat, ſi Apoſtrophe hæc ad res vita ſenſuque carentes dirigatur. Ita Aeneid. L. X. Mezentius equum ſuum Rhœbum alloquitur:
*Rhoebe diu, res ſi qua diu mortalibus ulla eſt,*
*Viximus, aut hodie victor ſpolia illa cruenta*
*Et caput Aeneae referes, Lauſique dolorum*
*Ultor eris mecum; aut aperit ſi nulla viam vis.*
*Occumbes pariter.*
Aeneidos autem L. XII. Turnus haſtam ſuam ita compellat:

*--- Nunc o nunquam frustrata vocatus*
*Hasta meos, nunc tempus adest: te maximus Actor,*
*Te Turni nunc dextra gerit: da sternere corpus,*
*Loricamque manu valida lacerare revulsam*
*Semiviri Phrygis, & foedare in pulvere crines*
*Vibratos calido ferro, myrrhaque madentes.*

c. *Prosopopoeia.* Cum hac figura veræ fictæque personæ, mortui & viventes loquentes indncantur, prudenti circumspectione & vivida sane imaginatione Poetæ opus est. Vix vero unquam figura hæc a Poëtis sine Hypotyposis affectuumque variorum consortio adsciscitur, unde tanto majori vi delectat movetque. Virgil. Aeneid. II. Hectorem Aeneæ præsentem loquentemque inducit:

*Insomnis ecce ante oculos moestissimus Hector*
*Visus adesse mihi, largosque effundere fletus:*
*Raptatus bigis ut quondam, aterque cruento*
*Pulvere, perque pedes trajectus lora tumentes.*
*Hei mihi qualis erat! quantum mutatus ab illo*
*Hectore, qui redit exuvias indutus Achillis,*
*Vel*

*Vel Danaum Phrygios jaculatus puppibus ignes!*
*Squalentem barbam & concretos ſanguine crines,*
*Vulneraque illa gerens, quæ circum plurima muros*
*Accepit patrios.* — — — — — — — — — — — — — — — —
*--- graviter gemitus imo de pectore ducens:*
*Heu fuge, nate Dea, teque his, ait, eripe flammis.*
*Hoſtis habet muros, ruit alto a culmine Troja.*
*Sat patriæ Priamoque datum. ſi Pergama dextra*
*Defendi poſſent, etiam hac defenſa fuiſſent.*
*Sacra ſuosque tibi commendat Troja penates,*
*Hos cape fatorum comites: his moenia quære &c.*

Lucanus autem Pharſal. L. I. Patriæ, id eſt, Romæ hunc ſermonem Hypotypoſi item junctum effingit:

*Ingens viſa Duci patriæ trepidantis imago.*
*Clara per obſcuram vultum mæſtiſſima noctem*
*Turrigero canos effundens vertice crines*
*Cæſarie lacera, nudisque adſtare lacertis.*

*Et gemitu permixta loqui: Quo tenditis ultro?*
*Quo fertis mea ſigna viri?* &c. &c.

d. *Expolitio.* Maximi apud Poëtas uſus & commodi figura, qua nempe varie ſic eamdem rem efferre noverunt, ut fere toties nova videatur. Conſidera in exemplum, quam varie quater Virgilius Georg. II. dicat: vites tum demum putandas eſſe, cum robuſtiores ſunt:

*Inde ubi jam validis amplexæ ſtirpibus ulmos*
*Exierint: tum ſtringe comas, tum brachia tonde,*
*Ante reformidant ferrum: tum denique dura*
*Exerce imperia, & ramos compeſce fluentes.*

Et rurſus Georg. IV. ingreſſus Orphei ad inferos quam multipliciter deſcriptus:
*Tænarius etiam fauces, alta oſtia Ditis,*
*Et caligantem nigra formidine lucum*
*Ingreſſus, manesque adiit regemque tremendum,*
*Neſciaque humanis precibus manſueſcere corda.*

Item alibi Aeneid. L. III. luctum in domo tripliciter enunciat:
*At domus interior gemitu miſeroque tumultu*
*Mi-*

*Miſcetur, penitusque cavæ plangoribus ædes*
*Foemineis ululant, ferit aurea ſidera clamor.*

5. Deſcriptiones illuſtriſſima operum poeticorum ſunt ornamenta, quæ a Poetis non tam claritatis & docendi, quam ſuavitatis & delectandi cauſſa multifariam adhibentur. Neque vero alii tractandarum deſcriptionum ſunt fontes, quam qui Oratoribus præfiniti ſunt. In duas claſſes diſpeſci ſolent Deſcriptiones, nimirum in veras & fictas.

a. *Deſcriptiones veræ* ſunt, quæ etſi rem veram in rerum natura exiſtentem ob oculos vivide vereque proponant, verosimilia tamen pro jure Poëtis proprio admiſcere nihil dubitant. Plena exemplis ſunt Poëtarum ſcripta omnia. En deſcriptionem certaminis curſus pedeſtris, in quo, cum primum Niſus caſu prolapsus eſſet, Euryalum amicum ſuum ordine tertium ad victoriam aſtu promovit. Aeneid. V.

*- - - - - - - - - - - Signoque repente*
*Corripiunt ſpatia audito, limenque relinquunt*
*Effuſi, nimbo ſimiles: ſimul ultima ſignant.*
*Primus abit, longeque ante omnia corpora Niſus*
*Emicat, & ventis & fulminis ocyor alis.*
*Pro-*

*Proximus huic, longo ſed proximus intervallo*
*Inſequitur Salius. Spatio poſt deinde relicto*
*Tertius Euryalus.* - - - - - - - - -
- - - - - - - - - - - - - - -
*Jamque fere ſpatio extremo, feſſique ſub ipſum*
*Finem adventabant: levi cum ſanguine Niſus*
*Labitur infelix; cæſis ut forte juvencis*
*Fuſus humum, viridesque ſuper madefecerat herbas.*
*Hic juvenis jam victor ovans, veſtigia preſſo*
*Haut tenuit titubata ſolo: ſed pronus in ipſo*
*Concidit, immundoque fimo, ſacroque cruore.*
*Nan tamen Euryali, non ille oblitus amorum:*
*Nam ſeſe oppoſuit Salio, per lubrica ſurgens;*
*Ille autem ſpiſſa jacuit revolutus arena.*
*Emicat Euryalus, & munere victor amici*
*Prima tenet, plauſuque volat, fremituque ſecundo.*

Item alia Georg. Libro III. taurorum inter ſe depugnantium:

*Illi alternantes multa vi proelia miſcent.*
*Vulneribus crebris: lavit ater corpora ſanguis,*
*Verſaque in obnixos urgentur cornua, vaſto*
*Cum gemitu reboant ſilvæque & magnus Olympus* &c.

b. De-

b. *Descriptiones fictæ* sunt rerum, quæ extra Poëtæ cerebrum non existunt, adornatæ tamen cum verisimilitudine & observatione decentiæ, quam communis bene moratorum opinio aut natura rerum exigunt. Exemplis Aeneidos Liber VI. abundat, ubi Elisii, Tartarorum, Regiæ Plutonis &c. descriptiones; hic Aeoliæ & Regiæ Aeoli descriptionem inspicere libet ex Aeneid. Lib. I.

*Aeoliam venit. Hic vasto Rex Aeolus antro*
*Luctantes ventos tempestatesque sonoras*
*Imperio premit, ac vinclis & carcere frenat.*
*Illi indignantes magno cum murmure montis*
*Circum claustra fremunt. Celsa sedet Aeolus arce*
*Sceptra tenens: mollitque animos & temperat iras.*
*Ni faciat, maria ac terras, coelumque profundum*
*Quippe ferant rapidi secum, verrantque per auras.*
*Sed pater omnipotens speluncis abdidit atris*
*Hoc metuens, molemque & montes insuper altos*
*Imposuit, regemque dedit, quit foedere certo*
*Et premere & laxas sciret dare jussus habenas.*

*Annot.* Descriptionum quoque omni generi, ut excitent feriantque animos audientium, non

non raro permiſceri Hypotypoſes exemplis Poëtarum liquidum certumque eſt.

6, Similitudines (non raro earum coacervatio) ſtili poëtici ſic propriæ ſunt, ut in hoc ſolo natæ, apud Oratores autem in alienum transplantatæ videantur. Itaque parcus earum uſus Oratorem, creber autem Poëtas commendat. Nempe Similitudines illuſtrando & fulgendo ' ac proinde delectando ſerviunt. Quare merito apud Oratores poſtremum, primum contra apud Poëtas locum occupant. Intuere ſimilitudinum breviſſime, ut decet, ſi plures ſunt, conglomeratarum exemplum ex Virgil. Eclog. III.

*Triſte lupus ſtabulis, maturis frugibus imbres,*
*Arboribus venti, nobis Amarillidis iræ.*
*Dulce ſatis humor, depulſis arbutus hoedis,*
*Lenta ſalix foeto pecori, mihi ſolus Amyntas*

Item aliud ex Ovid. Triſt. V. 12. ubi torpere ſitu ingenium ſuum, ab inductione Similium coacervatorum eleganter oſtendit.

*Adde quod ingenium longa rubigine læſum*
*Torpet, & eſt multo, quam fuit ante, minus,*
*Fertilis, aſſiduo ſi non renovetur aratro,*
*Nil niſi cum ſpinis gramen habebit ager.*
*Tempore qui longo ſteterit, male curret, & inter*
*Carceribus miſſos ultimus ibit equos.*
*Vertitur in teneram cariem, rimisque dehiſcit,*
*Si qua diu ſolitis cymba vacavit aquis.*

a. *An-*

a. *Annot.* Hanc ſimilitudinum frequentationem Inductionem ſimilium appellant, in qua præſertim Ovidii epiſtolæ ad redundantiam divites ſunt.

b. Quoniam omnis ſimilitudo ſaltem tacitam Collationem includit, obſerva Collationes eſſe duorum generum: Sunt namque

I. *Simplices* aliæ, quæ ſola propoſitione conſtant ſine redditione aut applicatione aperta, aut etiam gradu comparativo ſolo contentæ, ſuntque hæ collationes particulis hujusmodi inſtructæ: *Hic, ceu, ſicut, ita, ſic, exemplo, more, ritu, inſtar, qualis, quantus, ſimilis, qui quæ quod, ut, velut.* En exempla Collationum harum ſimplicium & variarum adhibitarum formularum:

Virg. Aeneid. II.
*Hic Hecuba & gnatæ nequidquam altaria circum*
*Præcipites atra ceu tempeſtate columbæ*
*Condenſæ & Divum amplexæ ſimulacra tenebant.*

Item Ovidius:

*Perque ſinus lacrymæ fluminis inſtar eunt.*
*More nivis lacrymæ ſole madentis eunt.* Idem.
*Qualis ab Eois Lucifer ortus aquis.* Idem.

Et Tibull.

*Quam cito purpureos deperdit terra colores,*
*Quam cito formoſas populus alta comas,* &c.
Item Ovidius in Faſtis 6:
— — — *Color oris erat, qui frondibus olim*
*Eſſe ſolet ſeris, quas nova læſit hyems.*
— — — — — *Claraque in luce refulſit*
*Os humerosque Deo ſimilis* — — — Virg.
*Forma novi talis marmoris eſſe ſolet.* Ovid.

Virg.

Virg. Aeneid. 9.

*Volvitur Euryalus letho, pulchrosque per artus*
*It cruor, inque humeros cervix collapsa recumbit.*
*Purpureus veluti cum flos succisus aratro*
*Languescit moriens, lassove papavera collo*
*Demisere caput, pluvia cum forte gravantur.*
*Tu levior folio.* Ovid.
*Ocyor & jaculo, & ventos æquante sagitta.* Virg.

2. *Compositæ* Collationes aliæ duabus partibus constant: propositione, & redditione, cum Callationes per particulas receptas applicantur. Sunt autem particulæ his usibus servientes: *Ac veluti — haud secus, ceu — haud segnius haud aliter, citius — quam, ecce velut — sic, non minus — quam, nec tantum, — quantum, non ita — quam* vel *ut, qualiter — haud aliter, scilicet ut, — sic* &c. Habe adhuc exempla utriusque Collationis simplicis & compositæ ex Virgilio:

Aeneid. L. II. est collatio simplex cum sola propositione:

*In segetem veluti cum flamma furentibus Austris*
*Incidit; aut rapidus montano flumine torrens*
*Sternit agros sternit sata læta boumque labores,*
*Præcipitesque trahit silvas: stupet inscius alto*
*Accipiens sonitum saxi de vertice pastor.*

Aeneid. X. Collatio cum propositione & redditione:

*Ac velut ille canum morsu de montibus altis*
*Actus aper (multos Vesulus quem pinifer annos*
*Defendit, multosque palus Laurentia) silva*
*Pastus arundinea: postquam inter retia ventum est,*
*Substitit, infremuitque ferox, & inhorruit armos:*

Nec

*Nec cuiquam irasci, propiusque accedere virtus,*
*Sed jaculis, tutisque procul clamoribus instant,*
*Ille autem impavidus partes cunctatur in omnes:*
*Dentibus infrendens, & tergo decutit hastas.*
*Haud aliter, Justæ quibus est Mezentius iræ;*
*Non ulli est animus stricto concurrere ferro;*
*Missilibus longe, & vasto clamore lacessunt.*

*Annot.* Quoniam Dissimilitudo aliud nihil est, quam plus minusve Similitudinis: neque alius etiam ejusdem adhibitæ effectus, neque alius tranctandi conferendique erit modus. Exemplum habetur in Sermone pastoris Menalcæ apud Virgil. Eclog. V.

*Lenta salix quantum pallenti cedit olivæ,*
*Puniceis humilis quantum saliunca rosetis:*
*Iudicio nostro tantum tibi cedit Amyntas.*

Et aliud ejusdem Poëtæ Aeneid. L. II.

*Non sit aggeribus ruptis cum spumeus amnis*
*Exiit, oppositasque evicit gurgite moles,*
*Fertur in arva furens cumulo, camposque per omnes*
*Cum stabulis armenta trahit.* &c.

Intellige ex antecedentibus, sicut Danai rupto vi aditu interioris domus Priami.

7. Comparationes eodem fere censu veniunt quo Similitudines, affinia apud Poëtas ornamenta, neque tractatione admodum diversa, nisi quod nec in propositione, nec in redditione (si aperta aliqua adsit) particulas certas formulasque desiderent. Legibus oratoriis continentur item, longe ta-

men uberioribus hic licet esse Poëtis, dum res & circumstantia ferre judicantur. Sic apud Virgilium Aeneid. VI. Aeneas Sibyllam argumentis a comparatione parium ductis persuadere conatur, ut sibi iter ad inferos pandat:

*Si potuit manes arcessere conjugis Orpheus*
*Threicia fretus cithara fidibusque canoris:*
*Si fratrem Pollux alterna morte redemit,*
*Itque reditque viam toties: quid Thesea magnum*
*Quid memorem Alciden? & mi genus ab Jove summo est.*

Juno autem apud eumdem Virgilium Aeneid. L. 1. Comparatione a minori seipsam ad iram & vindictam exstimulat,

*- - - Mene incepto desistere victam,*
*Nec posse Italia Teucrorum avertere regem?*
*Quippe vetor fatis. Pallasne exurere classem*
*Argivum, atque ipsos potuit submergere ponto,*
*Unius ob noxam, & furias Ajacis Oilei?*
*Ipsa Jovis rapidum jaculata, e nubibus ignem,*
*Disjecitque rates, evertitque aequora ventis,*
*Illum expirantem transfixo pectore flammas*
*Turbine corripuit, scopuloque infixit acuto.*
*Ast ego, quæ Divum incedo regina, Jovisque*
*Et soror & Conjux, una cum gente tot annos*
*Bella gero?*

8. Di-

8. Digressiones nonnunquam a Poëtis adhiberi solitæ excursus & deflexiones orationis sunt a materia instituta, vel amplificandi vel delectandi caussa insertæ. Cautio præcipuarum una, ut ne materia, in quam deflectitur, penitus ab instituto sit aliena. Sic Horatius Virgilio amico Athenas naviganti bene precatus Carmm. L. I. Od. 3. digreditur in hominum audaciam & temeritatem. Numerantur vero duorum generum Digressiones:

2. *Minores* alia, quas vix a Parenthesi Majori aliqua segreges: sunt excursus breviores v. g. in affectum aliquem, post quem continuo ad institutum fiat reversio. Ita Virgil. Aeneid. IV. post narratam necem amicorum duorum Nisi & Euryali digreditur:

*Fortunati ambo! si quid mea carmina possunt,*
*Nulla dies unquam memori vos eximet ævo,*
*Dum domus Aeneæ Capitoli immobile saxum*
*Accolet, imperiumque pater Romanus habebit.*

Mox ad narrationis abruptæ filum revertitur:

*Victores præda Rutuli, spoliisque potiti &c.*
Talis item occurrit digressio Aeneid. X. cum Turnus Pallanti a se peremto detrahit baltheum:

*Quo nunc Turnus ovat ſpolio, gaudetque*
*potitus,*
*Neſcii mens hominum fati ſortisque futuræ,*
*Et ſervare modum, rebus ſublata ſecundis!*
*Turno tempus erit, magno cum optaverit*
*emtum*
*Intactum Pallanta, & cum ſpolia iſta diemque*
*Oderit.*

Continuo filum narrationis prioris recipit Poëta:

*- - - At ſocii multo gemitu lacrimisque*
*Impoſitum ſcuto referunt Pallanta frequentes.*

b. *Majores* digreſſiones ſunt, quando Poëta ad locum aliquem communem, vel materiam argumento propoſito affinem, nonnunquam tamen etiam extraneam totus quantus delabitur, unde aliquando ne redit quidem amplius.

1. *Annot.* Satis frequens hæc poſterior apud Lyricos Poëtas, præſertim Horatium, occurrit digreſſio, Georgicorum Liber I. digreſſione hujus generis ad Cæſares clauditur. In Epicis tamen Homerus ac Virgilius & raro nec temere hanc ſibi deflexionem indulſerunt.

2. Diſcrimen poëticarum digreſſionum ab oratoriis in eo ſitum eſt, quod poſteriores hae tantum parciſſime, nec niſi cum principali argumento connexæ permittuntur, reverſionem autem neceſſario deſiderant; Poë-

poëticæ contra in his omnibus longe minus adſtrictæ ſint, ut ſupra vidimus.

e. Atque hæc de elocutione poëtica ad tirones noſtros commonefaciendos plus quam ſatis ſunt, quibus longe & copioſiora & jucundiora lectio aſſidua Poëtarum claſſicorum ſubpeditabit, quæ univerſa ſine dubio præceptionum ſiccitate, atque anguſtiis comprehendi detrectant.

---

# CAPUT II.

## De *Inventione poëtica*.

a. Inventio oratoria conquirit media, quibus fidem dictis ſuis faciat, auditoremque revincat, id quod argumentis potiſſimum effici ſolet; Inventio poëtica contra ejus generis præcipue colligit media, quæ ad delectandum pertineant. Hæc delectatio tam late in omni Poëſis genere patet, ut vix ullum, quamvis utiliſſimum doctrinæ caput in animos Auditorum immitti a Poëta unquam valeat, niſi ſuaviſſimarum rerum verborumque condimentis egregie fuerit oblitum.

b. Non aliunde vero delectationem majorem in animis hominum naſci, quam ex fictionibus fabuliſque, communis omnium ætatum con-

ſenſus & quotidiana, vel a pueris inde repetita experientia ſatis liquido oſtendit.

c. Eſt igitur fictio omne & totum illud, quod Poëtæ ante cetera alia curæ eſſe debet, in quocunque opere poëtico verſetur, majori minorive: & quoniam quodcunque opus poëticum tantum pro ratione bonæ malæque fictionis laudem aut vituperium mereri poteſt; hinc tiro noſter ante alia ad fictionem, id eſt: ad argumenti recte effingendi, vel fictionibus ex Poëticæ legibus inſtruendi artem ſerio inſtituendus, tum poſtea ad fontes adducendus eſt, ex quibus cogitatuum poëticorum adminicula præſto eſſe poſſint.

d. Oritur proinde iſthinc capitis hujus in duas partes diviſio, quarum priore fictionem (quam nonnulli formam interiorem Poëſeos vocare malunt) ſeu materiæ poëticæ inventionem exequemur, poſteriore autem cogitatuum fictioni congruentium (quos alii ad formam exteriorem Poëſeos reducunt) ſeu elocutionis inventionem tractabimus.

## §. I.

### *De materiae poëticæ inventione ſeu de Fictione.*

a. Fictio univerſe & latiſſime conſiderata poſt Ariſtotelem de Poëtica c. 3. definiri poteſt: *Compoſitio & connexio rerum.*

b. Ex

b. Ex qua definitione duo interim in rem præsentem nostram deducere fas est: primum non nuda & simplicia facta, prout vel a natura, vel ab historia præsentantur, sed composita, & ad imitationem elegantis naturæ multipliciter varieque effica Poëticæ materiam esse posse; deinde hanc ipsam effictionem & compositionem satis nondum esse ad suppeditandum argumentum poëticum, nisi quæ composueris, connexa inter se fuerint, apteque devincta.

*Annot.* Itaque sive ex veris factis, sive ex moralibus & allegoricis, imo & mythologicis themata Poësi tuæ assumseris, nunquam sine hac compositione & connexione aptam convenientemque operis poëtici habebis materiam.

c. Fictionem hoc modo declaratam adeo omni poëtico artefacto propriam & necessariam pertendunt summi artis præceptores, ut in ea sola intimam Poëseos naturam sitam esse una voce asseverent, negentque Poësim ullo pacto esse aut dici posse, nisi compositio connexioque fundamentum adsit, cui superstruat Poëta.

d. Itaque seu majus superiorisque ordinis opus poëticum aliquod moliaris, puta: Epopoeiam Tragœdiamque; sive minoris census mediteris aliquod: Satyram, Oden, Elegiam &c. fictio opportuna congruensque primum semper circumspicienda, attemperateque ad propositum tuum constituenda est.

1. *Annot.* Vel ex vi nominis, quod patria nostra lingua opus poëticum exprimit, (ein Gedicht id est: fictio, fabula, commentum) intelligens, Poësim esse nullam posse, nisi fictio accedat, quæ facta fortassis historica aut moralia ingeniose meditaque ad possibilium verosimiliumque classem transferat & exaltet, de quo infra.

2. Non defuerunt maximi nominis eruditi, qui Lucano Poëtæ Pharsalisque illius Poëseos nomina vel eo solum titulo detrahere conati sunt, quod magis ex fide historica narrare, quam pro ingenii poëtici munere fingere videretur.

e. Poëticarum porro fictionum omne genus in tres classes dispescimus, quarum

I. Prima fictiones illas comprehendimus, quæ operum quorumcunque poëticorum principale argumentum & primariam tractationis materiam constituunt; ut e. g. Achillis ira, quæ Iliadis Homericæ materia est; novum regnum in Italia ab Aenea conditum, quod Aeneidis Virgilianæ argumentum fuit, sorte sua neminem contentum vivere, quod Satyræ Imæ thema apud Horatium, & lepidissima fabella, qua item Horatius molestiam garrulitatis involvit Satyra 9. Colloquium cum libello suo & mandata Romam perferenda eidem, libello commissa, quæ tractat Ovidius exul L. I. Tristium Eleg. 1. &c.

*Annot.* Hujus classis fictiones (præcipue cum Epopœiæ aut Tragœdiæ argumentum efficiunt) *Fabula* alio nomine dicuntur, quam ab


opere

opere poëtico minore ejusdem nominis, de quo infra, ubi de Poësis speciebus agemus, distinguere oportet.

2. Altera classe continebuntur eæ fictiones, quæ propriæ sunt episodiorum; aut quæ incidentes solum sunt, seu majoribus seu minoribus operibus poëticis illigari solitæ. Tales sunt in Aeneid. L. I. Iunonis adventus in Aeoliam, preces ad Aeolum, & ab hoc potestas ventis facta: cum Poëta dicere vellet: Tempestatem a Iunone concitatam. Item Neptunus ventos increpans & tranquillitatem mari restituens, cum cessasse tempestatem significaret. Item L. III. amor Didoni a Venere inspiratus fictione Iuli in Idaliæ lucis absconditi somnoque obruti expressus, cum interim Cupido faciem Iuli mentitus a Didone blanditiis demulceretur. Talis habetur item apud Horatium Carmm. L. I. Od. 3. ubi expressurus pericula a ventis contrariis imminentia; præcipitem Africum decertare Aquilonibus; Notum arbitrum Adriatici maris fingit, ex cujus libitu tranquillitas vel fluctus existant. &c.

3. Postrema tandem classe recensebimus illas fictiones minutiores, quæ vel alias jam fabricatæ quasi in transitu attinguntur, vel noviter concinnatæ tanquam ornatus carminibus asperguntur magis, quam affun-

duntur. Hoc genere fictionis plena sunt pleraque Poëtarum scripta. Sic e. g. Horatius Ode mox citata; *Audax Japeti genus ignem fraude mala gentibus intulit.* Vides attingi Promethei fabulam. Et continuo: *Post ignem ætheria domo subductum, macies & nova febrium incubuit cohors.* Intellige Pandoræ pyxidem apertam. Tum paullo infra: *Expertus vacuum Dædalus aëra pennis non homini datis*, alis cereis inquam &c. Et idem Lib. III. Carmm. Od. 4. *Nec peredit impositam celer ignis Aetnam.* Spiritus & flatus igneus fulmine dejecti Gyæ Centimani Gigantis non liquefacit injectum illius pectori montem Aetnam, hoc est, nunquam consumitur mons Aetna ignibus. *Nec Tytii jecur relinquit ales nequitiæ additus custos*, scilicet vultur perpetuo scelestum Tytium exedens &c.

f. Materia quarumcunque fictionum vel in historiis veris, vel in Mythologia seu historiis fictis, vel tandem in fœcundo Poëtæ ingenio, quod moralia, allegorica, fictitia sibimetipsi creat, ceu in fœcundissimis promtuariis præsto semper est & parata, solumque prudentia adhibenda, ut Poëta proposito suo convenientia deligat, materiamque finibus attemperet, excelsis grandia, mediocribus plana, demissis humilia admensus.

An-

*Annot.* Si quando Poëtarum nonnulli, cetera non ignobiles, materias ſibi aliquando delegerunt, quibus cupiditates depravati cordis humani inſtigarunt, utcumque ſuaviter ingenioſeque & finxerunt & elocuti ſunt, graviſſime tamen exerraſſe cenſendi ſunt, quoniam certe nec humano generi iſta vitiorum inflammatione profuerunt, neque pro officii ratione delectarunt, quando alia a Poëtis poſtulari expectarique delectatio non debet, niſi quæ rationalem hominem deceat, perficiatque, non quæ ad animalium brutorumque conditionem nos deprimat. In quo quidem ſi ethnicorum ſcriptorum culpam Deorum ſuorum ſcelerata colluvies minuit: apud chriſtianos Poëtas agnitio veri Numinis vitiorum hanc conſecrationem certe mirifice auget & condemnat.

g. Fictionibus univerſe omnibus, ut juſtæ, legitimæ, delectabilesque ſint, attributa quædam ſeu proprietates competunt, quorum Poëtam oportet eſſe obſervantiſſimum. Sunt vero attributorum iſtorum præcipua hæc: Novitas, Veriſimilitudo, & Mirabilitas.

1. *Novum* reputatur omne id, quod ſupra populares cognitiones elevatum, & extra uſum quotidianum poſitum eſt.

*Annot.* Etſi enim Poëtica non minus quam Oratoria ars popularis ſit, atque adeo delectatio non certi generis hominum tantum, ſed populi integri Poëtæ propoſita eſſe debeat: tamen quæ uſu aſſiduo & quotidiano valde familiaria nobis reddita & attrita prope ſunt, minime vel certe parum nos commovent, neque delectationem proinde ſingularem aliquam

in

in animis nostris ciere consueverunt. Est autem finis principalis Poëticæ delectatio, cui utilitas aliqua adjuncta sit; itaque hinc videas fictionem valere nequaquam posse, nisi novitatis charactere insignita sit. Atque hoc est, quod Poëtis spiritum creatorem aliquem inesse debere contendunt, ut nempe materiam sibi novam effingant fabricentque. Sunt autem Novi poëtici fontes multiplices:

a. Pertinebunt enim huc, quæcunque insolita aut saltem minus frequentia evenire solent. Quantum non enim vel arbor Aloë repente efflorescens, Crocodili aut elephantes &c. ex aliis mundi partibus spectaculo nostro oblati; cometæ, aliaque cœlestium corporum phœnomena subito apparentia, raritate, & ideo novitate sua nos commovent, delectantque?

b. Tempore locoque multum a nobis & cognitione communi remota, peregrini ritus, consuetudines, habitus, qui sensus nostros extraordinarie percellunt, magnitudo juxta & parvitas insolens, denique infinita naturæ identidem se transformantis & renovantis varietas, ad censum Novorum merito suo a Poëtis referri poterit.

c. Tandem compositio & connexio inusitata aut inexpectata rerum quamvis obviarum, partium item non alias mutuo cohærentium apta coordinatio inexhaustus novitatis fons Poëtæ erit. Sic Aeneid. X. Iuno ut Turnum impendenti ab Aenea neci eripiat, larvam Aeneæ ex pugna in navem fugientis assimulat, quo dum persequentem Turnum pellexit, ruptis navigii retinaculis ad patriam urbem clientem suum defert.

fert. Quam inexſpectata hæc umbræ, & navis deligatæ cum Turni periculo compoſitio & connexio? Sed ſimul quam nova rei quotidianæ facies?

d. Quid quod ipſa elocutio non raro novam rebus quotidianis veſtem induit, novitatisque delectabilis faciem fictionibus inducit? ſi nempe in iis nova aliqua rerum compoſitio aut connexio regnet. Ita Virgil. Aeneid. III.

*Quatuor hic, primum omen, equos in gramine vidi*
*Tondentes campum late.*

id eſt: paſcentes.

Aeneid. I.

*Dixerat & ſpiſſis noctis ſe condidit umbris.*

id eſt: Venus diſparuit.

Ibidem:

*At Venus obſcuro gradientes aëre ſepſit,*
*Et multo nebulæ circum Dea fudit amictu.*

id eſt: inviſibiles reddidit. Ecce vero quam nova ſpecies! quam nova compoſitio! *Equos tondere campum, noctis umbris condi, circumfundi amictu nebulæ, obſcuro aëre ſepiri*, &c.

2. *Veriſimile* univerſe dicitur omne id, quod in certis aliis circumſtantiis & ſub certis conditionibus judicio prudentum poſſibile eſt, neque contradictionem involvit. Itaque veriſimilitudinem poëticam ajunt eſſe ſimilitudinem fictionis cum natura; cum natura inquam vel actuali, vel poſſibili. Com-

Compréhendimus autem hic sub *naturæ actu existentis* nomine ea omnia, quæ vel jam in mundo extiterunt, & fere sub historiæ nomine nobis cognita sunt; aut quæ actu & quotidie sub oculis omnium versantur, quo item facta, opiniones, mores, consuetudines, receptos agendi, loquendi, cogitandique modos referimus, atque his universis experientiarum nomen recte impertimur. *Naturæ possibilis* vero nomenclatione designamus illa, quæ deinceps existere nihil impedit, & quorum notiones ab iis, quas intellectu & sensuum experientia hausimus, aut nihil aut minimum discrepant.

a. *Annot.* Intelligimus hinc verisimilitudines omnes & quascunque veri semper plus minusve notas habere debere; & quæcunque cum rerum natura actuali vel possibili penitus pugnant, ex verisimilium numero rejicienda esse. Non maximi Poëtarum Principes ubique a nævis contra has verisimilitudinis leges immunes sunt, aut facile vindicandi. Apud Homerum Vulcanus fabricat tripodes & sellas seipsis in concilium Deorum ambulantes; statuas aureas & loquentes, & cogitantes; Achillis scutum, in eoque figuras innumerabiles & vivas; urbes duas hostiles, in iisque Oratores diversa lingua ardenter ad populum quemque suum orantes &c. An non hæc vel cum rerum natura possibili pugnant? Quis nisi ex stupidissima plebis fæce verosimilia æstimet?

b. Exulabunt item ex verisimilium censu, quæ cum factis certis non cohærebunt, aut plane adversa fronte opponentur. Sic recte repre-

hen-

henditur ab eruditis Criticis Virgilius Aeneam ad Didonem Carthaginem deducens, quoniam ex veritate historica conſtat, a Regina hac trecentis prope annis poſt Aeneæ in Italiam adventum Carthaginem demum conditam eſſe.

c. Veriſimilitudinis defectu præterea laborare cenſebuntur, quæ cum circumſtantiis, puta, moribus, tempore, loco non congruent. Ita Virgilius arguitur L. II. & III. Aeneam inducens narrantem excidium Trojæ, variasque navigationes & pericula ſua Reginæ Didoni ſub unam cœnam, Reginæ inquam patientiſſime auſcultanti. Homerus autem: quod heroës ſuos ferociſſimos jam coram congreſſuros prius opprobriis mutuo ſe laceſſere, facta ſua glorioſius jactare, quin equorum ſuorum genealogias pertexere faciat. An hæc cum circumſtantiis loci & temporis concordant? Quam fœde hodie contra veriſimilitudinem peccares, ſingulari aliquo certamine hoſtes curſu & jactu ſaxorum committens, cum ad curſum jactumque inſtitui diſciplinæ militaris hodiernæ non ſit, etſi egregie id pro ratione circumſtantiarum temporis ſui fecerit Virgilius, cujus Turnus ad mœnia Laurenti in conſpectu utriusque exercitus diutiſſime curſu exagitatus, tandem ingens ſaxum in Aeneam evibrat, imitatus Homerum, cujus Achilles itidem Hectorem ter circa mœnia Trojana velociſſimo curſu agitavit, & tum demum interfecit.

d. Denique ſine veriſimilitudine Novum fictionibus inferri nullum debet aut poteſt; neque enim delectabit, quod veritati oppoſitum putabitur, ſed avertet nos & deterrebit tanquam aperta falſitas & abſurdum mendacium. Unde hic monitum Horatii de Art. diligenter præ oculis ſemper tenendum:

Ficta

*Ficta voluptatis caussa sint proxima veris,*
*Nec quodcumque volet, poscat sibi fabula credi.*

5. *Mirabile* est extremus gradus Novi verisimilis, atque tunc enasci animadvertitur, cum fictio terminos verisimilitudinis prope transcendere, & omnem veritatis speciem deserere videtur, neque tamen reipsa vel a vero penitus recedit, neque cum verisimilitudine pugnat, quoniam limites possibilitatis non exit. Cum enim novum eo usque fortasse profertur, ut verisimile esse desinat; verisimile autem a veritate prorsus discedit, non jam mirabile, sed *incredibile* dicetur, quod nulla animum ad veritatem appetendam natum delectatione, sed tædio molestiaque perfundet. Solet autem mirabile ex novo & verisimili compositum pluribus modis exurgere. Usitatissimi aliqui sunt, qui sequuntur:

a. Cum Poëta res novas procreat, & ope phantasiæ suæ vel res non existentes corpore animaque donat, atque humanarum actionum capaces reddit; vel existentes jam ad sublimiorem gradum naturæ elevat, e. g. silvis, fluviis, regionibus &c. vitam animamque tribuens, aut bruta ad ratiocinandi loquendique prærogativam exaltans, ex quorum primo genere Fabulæ allegoricæ, pu-

ta Virtutum, Vitiorum, affectuum personæ ortæ sunt, ex altero autem Fabulæ Aesopicæ & Apologi extiterunt.

*Annot*. Allegorias fictiones vel in parvo carmine tantum, aut certe in magno non nisi parcissime, & quasi in transitu tantum aliquo locum habere posse docent præceptores Poëticæ, & non in tota Homeri Iliade, nisi unicam L. IV. de terrore, fuga & discordia Martem Pallademque comitantibus, reperiri ostendunt; nec in Virgilio item nisi unicam offerri L. IV. cum famam describit. Apologos autem fabulæ tantum Aesopicæ proprios esse, neque ad aliud fictionis genus transire posse passim notum est.

b. Cum Dei & supernorum spirituum auxilium ad aliquid suscipiendum perficiendumque advocatur, auxiliares vero hæ suppetiæ ad succurrendum imbecillitati intellectus humani in pervidendis rebus spiritualibus, diversimode corporibus vestiuntur, atque inde mirabilia loqui, agere, & perpetrare finguntur.

1. *Annot*. Quod Christiani Poëtæ pro Theologiæ nostræ revelatæ ratione & possumus, & solemus, ut interventu cœlestium spirituum majori efficacitate nodi difficillimi dissolvantur, id ethnici ex commentitia sua Theologia olim fere semper soliti sunt, unde tam crebro mirabiles actiones & effectus consecuti sunt, ut aliquando omnis credibilitatis fines exsuperarint, præsertim si justæ verisimilitudinis ratio negli-

negligentius habita eſt. Sic apud Homerum Dii prœliis immittuntur, vulnerantur, humana remedia quærunt & adhibent. &c.

2. Dubitarunt aliqui, liceatne aut congruat ſaltem Poëtis Chriſtianis hodie adhuc in operibus ſuis hac Deorum ethnicorum colluvie ſeu ad fictiones mirabiliter concinnandas, ſeu ad eas eleganter eruditeque ornandas uti? Quod nos quidem minime vel vetitum vel indecens exiſtimamus, quoniam alio modo ſenſuque non uſurpabuntur, quam perſonæ allegoricæ virtutum vitiorumque appellationibus exprimendis idoneæ, & univerſorum uſu receptæ, e. g. Mars pro bello, Pallas pro ſapientia, Mercurius pro eloquentia, Plutus pro divitiis, Satyri pro petulantia &c. aut tanquam perſonæ ex hiſtoria fabuloſa ſic nobis cognitæ, quemadmodum ex hiſtoria vera Cyrus, Alexander, Fabricius, Craſſus, aut Cato ſunt.

3. Hoc tamen cavendum ſedulo, ne turpiter res hujus generis fabuloſæ Chriſtianorum veris ſacrisque mutuo unquam permiſceantur, ſanctitatique & gravitati per ea detrahatur; ſed *ſunt certi denique fines, quos ultra citraque nequit conſiſtere rectum.*

c. Virtutes juxta & Vitia mirabilia efficiuntur, ſi quotidiana aut ſolita eſſe ceſſent; & ad ſublimiorem aliquem ſui generis gradum aſcendant. Scelera Oedipi apud Sophoclem, & Innocentia Hippolyti admiranda pariter ſunt: & militis glorioſi jactantia, aut ſenis avaritia apud Plautum unguium præſegmina corradentis

æque

æque mirabilia sunt in fabulis, quam Crassi avaritia, Fabricii continentia, Catonis severitas in historiis celebrantur.

d. Nonnunquam effectus caussarum naturalium insoliti & inexpectati admirationem excitare possunt; sed valde diligenter in isto genere curandum, ut ne verisimilitudo ex oculis unquam dimittatur.

*Annot.* Et in hoc genere aliquoties cespitasse optimum Virgilium demonstrant Critici, e. g. cum L. I. Aeneas naufragus rerumque omnium indigentissimus repente cervos sibi oblatos interficit septem in Africa cervorum vacua. Item L. III. ubi ramus myrteus de stirpe revulsus sanguine manat, & corpus putrefactum Polydori e sepulcro vocem humanam emittit. Et rursus L. VI. cum in arbore alia ramus aureus crescit, qui donum Proserpinæ decerpitur. &c.

e. Prodigia & omina sive boni sive mali prænuncia admirationem in hominibus cautissimis & scientissimis nonnunquam suscitare consueverunt, eaque vera juxta & cum verisimilitudine conficta. Immensi illi duo serpentes ex Tenedo apud Virgil. Aeneid. II. allapsi, & Laocoontem amplexi lectores attonitos & stupefactos reddunt. Eodem libro II. Aeneid. apud Virgil. flammæ comas Iuli indemnes depascere visæ; tum tonitru

ex læva parte, & ignis de cœlo per culmina tecti labens, atque sulcum lucentem designans tanquam Deorum monita Anchisen ad excedendum Troja permovent.

*Annot.* In Epicis pariter ac Elegiacis & Lyricis multiplicia reperias eventuum felicium pariter & infelicium omina. Frequentissima a volatu, a cantu, a numero, a specie avium, ab extis animalium in hostias cæsorum, a tonitruis, fulminibus, aliisque phœnomenis cœlestibus, tum ab effectis inexpectatis, sonitu aut stridore, impactione &c. repetunt. Sic equus Trojanus *quater ipso in limine portæ substitit.*

h. Recte intuenti & ex momentis rem hanc omnem ponderanti liquidum erit: Verisimilitudinem poëticarum proprietatum omnium principem esse, quæ ceteras colligat, & prope sola fictionem laudabilem efficit, quoniam nec Novum, nec Mirabile se solo magni pretii unquam esse potest, nisi Verisimilitudine sustentetur. Patebit item, quod tantopere & Aristoteles, & post eum omnes præceptores inculcant: omnem & quidem delicatissimam naturæ elegantioris imitationem fictionis verisimilitudine contineri, atque hinc sine dubio verissimum illud accuratissimumque pronunciatum fluxisse: Ut veritatem historiæ, sic verisimilitudinem Poëseos animam esse; summamque proinde muneris Poëtæ dati in hoc uno cardine versari; ut verum tanquam verosimile es-

efferat; verosimile autem tanquam admirabile proponat.

## §. II.

### *De elocutione poëticæ inventionis*

Post ea, quæ jam superius de poetica elocutione tradita sunt, & quorum pleraque ad sermonem seu dictionem referebamus, quinque nobis hoc loco supersunt capita penitius discutienda, quæ universa ad cogitatum sermoni Poetico substratum diriguntur, nimirum: de Argumentis, de Affectibus, de Moribus, de Characteribus, & de Picturis poëticis.

A. *De Argumentis.*

a. Neque aliud quidpiam est argumentum poeticum ab oratorio, neque alios fontes habet Poetica, unde seu fidei faciendae, seu amplificationum subsidia requirat, quam quae in Oratoria suppeditavimus.

b. Et quoniam Poeta non minus quam Orator eloquens esse debet, quod utique in vacuis & inanibus verborum sonis situm non est, hinc sine ratione & argumentis loqui nunquam potest. Quare loci oratorii omnis generis Poetae sufficere possunt & debebunt materiam cogitatui vel stabiliendo vel extollendo necessariam.

c. Aspice rem intentius in nonnullis exemplis, & nitide deprehendes, in tractandorum item lo-

locorum modo Poëtis egregie cum Oratoribus convenire.

1. *A loco Definitionis* Virgil. Aeneid. IV. propositionem: *Fama differtur* amplificaturus, famae descriptionem a congerie Apjunctorum molitur, qualem jam in Oratoria exhibuimus: *Fama malum, quo non aliud velocius ullum* &c. A congerie Effectorum Horat. Epist. I. 1. *Virtus est vitium fugere, & sapientia prima stultitia caruisse.* &c.

2. *Ex loco Generis & Formae.* Apud Virgil. citato L. IV. Dido ab opprobriis Aeneae factis continuo ad genus redit: *Nusquam tuta fides.* Item Horat. Carmm. L. III. 16. de sua aequanimitate præfatus repente ad genus transit: *Multa petentibus desunt multa: Bene est, cui Deus obtulit parca, quod satis est, manu.* Et conversa vice de eadem a genere continuo bis ad formam seu speciem delabitur, quae generice dixerat sibi ipsi applicans, ibi:

*Crescentem sequitur cura pecuniam*
*Majorumque fames, Jure perhorrui*
*Late conspicuum tollere verticem*
*Maecenas, Equitum decus.*
*Quanto quisque sibi plura negaverit,*
*Ab Dis plura feret. Nil cupientium*
*Nudus castra sequor; transfuga divitum*
*Partes linquere gestio.*

3. *Ab*

3. *Ab Enumeratione partium.* Sic Horat. Carmm. I. od. 28. mortis varios modos recenset:

*— — — Omnes una manet nox,*
*Et calcanda semel via lethi.*
*Dant alios Furiae torvo spectacula Marti:*
*Exitio est avidum mare nautis:*
*Mixta senum ac juvenum densentur funera: nullum*
*Saeva caput Proserpina fugit.*

Ita quoque Juvenalis Satyra 7. morborum omne genus, quod praemiserat, mox enumerat:

*Ille humero, hic lumbis, hic coxa debilis, ambos*
*Perdidit ille oculos.* &c.

Sic item Matri Deorum advenienti omnem populum Romanum obviam processisse narrat, & ex eodem hoc loco amplificat Ovid. Fastor. IV. recensens: Senatum, equestrem ordinem, plebem, viros, mulieres, proles, Vestales virgines.

*Omnis eques, mistaque gravis cum plebe senatus*
*Obvius ad Thusci fluminis ora venit.*
*Procedunt pariter matres, natique, virique,*
*Quaeque colunt sanctos virginitate focos.*

4. *A Caussis & Effectis.* Virgil. Aeneid. I. Junonis in Trojanos iram ab adductis irae hu-

hujus caussis amplificat, nempe 1mo quia noverat Carthaginem urbem sibi charissimam ab illis evertendam; 2do quia jam ad Trojam contra Trojanos pugnaverat; 3tio quia memoriam conservat injuriae illatae tum per judicium Paridis; 4to tum per Ganymedem, qui in Hebes officium successerat. Ita vero eloquitur Poeta:

*Progeniem sed enim Trojano a sanguine duci*
*Audierat, Tyrias olim quae verteret arces.*
— — — — — — — —
*Id metuens, veterisque memor Saturnia belli*
— — — — — — — —
*Necdum etiam caussae irarum saevique dolores*
*Exciderant animo. Manet alta mente repostum*
*Judicium Paridis, spretaeque injuria formae,*
*Et genus invisum & rapti Ganymedis honores &c.*

Et Aeneid. II. Aeneas jam ruiturus in Helenam patrii excidii, ut rebatur, caussam, a Venere docetur & oculis convincitur Deorum inclementia interire Trojam; Ibi:

*Non tibi Tyndaridis facies invisa Lacaenae*
*Culpatusve Paris: verum inclementia Divum*
*Has evertit opes, sternitque a culmine Trojam.*
*Aspice: namque omnem, quae nunc obducta tuenti*

*Mor-*

*Mortales hebetat visus, & humida circum*
*Caligat, nubem eripiam - - - -*
*Hic ubi disjectas moles, avulsaque saxis*
*Saxa vides, mixtoque undantem pulvere fumum;*
*Neptunus muros, magnoque emota tridenti*
*Fundamenta quatit, totamque a sedibus imis*
*Eruit. Hic Juno Scaeas saevissima portas*
*Prima tenet, sociumque furens a navibus agmen*
*Ferro accincta vocat - - - - - - - -*
*Jam summas arces Tritonia, respice, Pallas*
*Insedit, nimbo effulgens & Gorgone saeva.*
*Ipse pater Danais animos viresque secundas*
*Sufficit: ipse Deos in Dardana suscitat arma.*

Tibullus autem L. I. Eleg. II. pacem commendat ab Effectis:

*Interea pax arva colat. Pax candida primum*
*Duxit araturos sub juga curva boves.*
*Pax aluit vites, & succos condidit uvae,*
*Funderet ut nato testa paterna merum.*
*Pace bidens, vomerque vigent. At tristia duri*
*Militis in tenebris occupat arma situs.*

5. *Ab Adjunctis* Poetae saepissime elocutionis amplificationumque suarum subsidia repetunt. Intuere, quam illustre exemplum offerat Virgil. Aeneid. II.

*Ecce trahebatur passis Priameia virgo*
*Crinibus a templo Cassandra, adytisque Minervae,*

*Ad coelum tendens ardentia lumina frustra,*
*Lumina, nam teneras arcebant vincula palmas.*

Et Venus Aeneid, I. elegantissimam narrationem ex hoc loco contexit, Didonis fatum breviter Aeneae exponens; ibi:

*Huic conjux Sichaeus erat, ditissimus agri*
*Phoenicum, & magno miserae dilectus amore,*
*Cui pater intactam dederat, primisque jugarat*
*Ominibus; sed regna Tyri germanus habebat*
*Pygmalion, scelere ante alios immanior omnes.*
*Quos inter medios venit furor: ille Sichaeum*
*Impius ante aras, atque auri coecus amore*
*Clam ferro incautum superat, securus amorum*
*Germanae: factumque diu celavit; & aegram*
*Multa malus simulans vana spe lusit amantem.*
*Ipsa sed in somnis inhumati venit imago*
*Conjugis, ora modis attollens pallida miris.*
*Crudeles aras, trajectaque pectora ferro*
*Nudavit, coecumque domus scelus omne retexit.* &c.

6. *A Simili, Dissimili, Comparatione*, praesertim ab Inductione locorum horum frequentissime advocant amplificationes suas Poëtae; quod mirum non erit meditanti, delectationem praecipue propositam esse Poëtae, ad quam loci hi plus reliquis aliis omnibus conferunt. Ovidius prae multis ceteris hos locos sibi habet familiarissimos. Sic L. I. de Ponto 5. Poesim suam damnat & excusat:

An

*An populus vere ſanos negat eſſe Poëtas?*
*Sumque fides hujus maxima vocis ego?*
*Qui ſterili toties cum ſim deceptus ab arvo,*
*Damnoſa perſto condere ſemen humo.*
*Scilicet eſt cupidus ſtudiorum quisque ſuorum,*
*Tempus & aſſueta ponere in arte juvat.*
*Saucius ejurat pugnam gladiator, & idem*
*Immemor antiqui vulneris, arma capit.*
*Nil ſibi cum pelagi dicit fore naufragus undis,*
*Et ducit remos, qua modo navit aqua:*
*Sic ego conſtanter ſtudium non utile carpo,*
*Et repeto, nollem quas coluiſſe Deas.*

A Diſſimilitudinis autem loco, vide quam ſuaviter amicum Valgium erigat Horatius L. II. Carmm. Ode 9.

*Non ſemper imbres nubibus hiſpidos*
*Manant in agros, aut mare Caſpium*
*Vexant inaequales procellae*
*Usque, nec Armeniis in oris*
*Amice Valgi ſtat glacies iners*
*Menſes per omnes, aut Aquilonibus*
*Querceta Gargani laborant,*
*Et foliis viduantur Orni.*
*Tu ſemper urges flebilibus modis*
*Myſten ademtum &c.*

d. Non refert per omnes, aut per plures ſaltem praeterea locos evagari, cum per ſeipſos in Poëtarum operibus non incurioſo lectori undique obvii futuri ſint, modo ſimul etiam

in

in tractationis poeticae discrimen accuratius intueri non pigeat.

## B. *De Affectibus.*

a. Non aliud efficacius delectationis excitandae caput in omni re poetica succurrit, quam justa affectuum tractatio, qui cum tantum dominentur in animos humanos, ut non injuria perennes fontes omnium actionum nostrarum censeantur; facile hinc inferemus, quantum momentum elocutionis in accurata affectuum cognitione positum sit.

b. Certe autem, si jucundum est spectare, Oratorem affectuum commotiones suscitare pro libitu suo, atque in eam partem deflectere, qua sibi opportunius visum fuerit, ut etiam inde flexanimae nomen meruerit Oratoria: quanta cum voluptate affectus jam suscitatos nobis inspiciendos offerri, eorumque mirabiles effectiones coram vivide pingi sentiemus?

c. Itaque in Oratoria quidem affectuum accendendorum artes tradidimus, in Poetica autem affectuum commotorum & dominantium effectus exhibemus, quod luculentum puto utriusque artis discrimen est, nunquam ex oculis tironis removendum, pro re nata quandoque etiam copulandum, si quando nempe exurgentem affectum inde a primis lineis ad

ple-

plenum usque robur exhibere oportebit, & non effectus modo, ſed cauſſas etiam eorumdem perſequi.

d. Ceterae monitiones de affectibus oratoriis alibi inculcatae ad unam huc valent omnes, ſed illa denique ex Horatii Arte mutuata prae ceteris omnibus: *Si vis me flere, dolendum eſt primum ipſi tibi: tunc tua me infortunia laedent.* Cum enim Poëtae proprium ſit, vel perſonarum commotarum ſenſum, cogitationes actionesque narrando nomine ſuo referre aut perſonis ipſismet commotis pro affectuum concitatorum ratione ſermonem, cogitationes & actiones impertiri: ſemper profecto in affectuum natura, effectibus, ſermone, & ſignis externis intime & rite dignoſcendis prope peritum; in effingendis autem perſpicacem pariter & felicem debet eſſe Poëtam, ut ne aberret. Veriſſime namque Horatius in ſaepe citata Arte:

*Format enim natura prius nos intus ad omnem*
*Fortunarum habitum: juvat aut impellit ad iram,*
*Aut ad humum moerore gravi deducit, & angit;*
*Poſt effert animi motus interprete lingua.*

e. Unicum hic adhuc univerſe diligenter inculcamus Poëtae noſtro, ut affectus ferventes ſint, qui exhibentur, inexpectati, frequen-

tes

tes, ordinarie breves, nonnunquam tamen etiam prolixiores, sermocinationibus figurisque multifariam permixti, ad vim faciendam aliquando conglomerati.

f. Infinitum fit, affectus universos, diversissimasque motuum istorum vices enarrare; Candidato nostro suffecerit, nonnullos eorum magis obvios exempli loco contemplari, quemadmodum a Poëtis praecipuis tractati sint.

1. *Amor* habere *Effectus* & multiplices & admirabiles describitur a Poëtis: sollicitus est, objecti perpetuo memor, & imaginem rei amatae sibi semper præsentem, mutuaque cum eadem colloquia fingit, nomen amati semper in ore habet, amato undique praesens esse cupit, celari nequit, sagax & perspicax, alias timidus, suspicax, & iterum credulus, audax, imperterritus, periculorum contemtor, morae impatiens, officiorum negligens &c. *Signa*, autem, quae conspicuum amorem faciunt, hujusmodi observata sunt ab iisdem Poëtis: Noctes insomnes, ciborum fastidium, vultus decolor, lacrymae continuae, pedum ac membrorum tremor, vestium rejectio &c.

*Annot.* Ut amor diversa objecta habebit, sic alia atque alia illius commemoranda erunt effecta, alia nimirum sunt amoris in *patriam*, alia pa-

tern-

rentum in *liberos*, aut contra liberorum in *parentes*, alia amoris *conjugalis*, rursum alia amoris *amicorum*, denique amoris *insani*, alia &c.

a. Virgil. Aeneid. II. amorem boni civis ita exprimit in Anchise:

*Abnegat excisa vitam producere Troja,*
*Exiliumque pati - - - - - - - - - - - - - - -*

Et paullo deinceps idem Anchises:

*Me si coelicolae voluissent ducere vitam,*
*Nos mihi servassent sedes: satis una superque*
*Vidimus excidia, & captae superavimus urbi.*

Ibidem Aeneas fortis civis patriae sic loquitur:

*Arma amens capio, nec sat rationis in armis:*
*Sed glomerare manum bello, & concurrere in arcem*
*Cum sociis ardent animi: furor iraque mentem*
*Praecipitant, pulcrumque mori succurrit in armis.*

b. Amorem parentum in liberos in Priamo Achilli pro corpore filii interfecti Hectoris supplice egregie expressit Homerus, & post eum Virgilius Aeneid. II. in eodem Priamo, cum amore pariter & dolore abreptus Pyrrho filii Politis inhumanam caedem exprobrat.

*Hic Priamus, quamquam in media jam morte tenetur,*
*Non tamen abstinuit, nec voci, iraeque pepercit.*
*At tibi pro scelere, exclamat, pro talibus ausis*
*Dii (si qua est coelo pietas, quae talia curet)*
*Persolvant grates dignas, & praemia reddant*
*Debita, qui nati coram me cernere lethum*
*Fecisti, & patrios foedasti funere vultus.*
*At non ille, satum quo te mentiris, Achilles*
*Talis in hoste fuit Priamo; sed jura fidemque*
*Supplicis erubuit; corpusque exangue sepulcro*
*Reddidit Hectoreum, meque in mea regna remisit.*
*Sic fatus senior telumque imbelle sine ictu*

*Conjecit, rauco quod protinus aere repulsum,*
*Et summo clypei necquidquam umbone pependit.* &c.

Exhaurit vero prope artificium totum affectus amoris in liberos cum dolore mixti Virgil. L. IX. matrem Euryali audita morte filii repreſentans; L. XI. autem luctuoſum patris Evandri ad funus occiſi unici filii Pallantis amorem exprimens. Ita vero priori loco habet:

*Interea pavidam volitans pennata per urbem*
*Nuncia fama ruit, matrisque adlabitur aures*
*Euryali: ac ſubitus miſerae calor oſſa reliquit:*
*Excuſſi manibus radii, revolutaque penſa:*
*Evolat infelix, & foemineo ululatu*
*Sciſſa comam, muros amens, atque agmina curſu*
*Prima petit: non illa virum, non illa pericli*
*Telorumque memor: coelum dehinc queſtibus implet.*
*Hunc ego te, Euryale! aſpicio? tune illa ſenectae*
*Sera meae requies? potuiſti linquere ſolam*
*Crudelis? nec te ſub tanta pericula miſſum*
*Affari extremum miſerae data copia matri?*
*Heu! terra ignota canibus data praeda latinis*
*Alitibusque jacet! nec te ad tua funera mater*
*Produxi, preſſive oculos, aut vulnera lavi,*
*Veſte tegens; tibi quam noctes feſtina diesque*
*Urgebam, & tela curas ſolabar aniles.*
*Quo ſequar aut quae nunc artus, avulſaque membra,*
*Et funus lacerum tellus habet? hoc mihi de te*
*Nate refers? hoc ſum terraque marique ſecuta?*
*Figite me, ſi qua eſt pietas: in me omnia tela*
*Conjicite o Rutuli: me primum abſumite ferro,*
*Aut tu, magne pater Divum miſerere, tuoque*
*Inviſum hoc detrude caput ſub tartara telo:*
*Quando aliter nequeo crudelem abrumpere vitam.*

Nihilo minus extans in poſteriore loco Evandri dolor & amor eſt; ubi ſimul amoris virilis a foemineo mox praecedente diſcrimen attende:

— — — *Quæ postquam matres succedere tectis*
*Viderunt, moestam incendunt clamoribus urbem.*
*At non Evandrum potis est vis ulla tenere,*
*Sed venit in medios: feretro Pallanta reposto*
*Procumbit super, atque haeret lacrymansque gemensque.*
*Et via vix tandem voci laxata dolore est:*
*Non hæc, o Palla, dederas promissa parenti,*
*Cautius ut sævo velles te credere Marti.*
*Haud ignarus eram, quantum nova gloria in armis,*
*Et prædulce decus primo certamine posset.*
*Primitiæ juvenis miseræ, bellique propinqui*
*Dura rudimenta, & nulli exaudita Deorum*
*Vota, precesque meæ! tuque o sanctissima conjux*
*Felix morte tua, neque in hunc servata dolorem!*
*Contra ego vivendo vici mea fata, superstes*
*Restarem ut genitor. Troum socia arma secutum*
*Obruerant Rutuli telis: animam ipse dedissem,*
*Atque hæc pompa domum me, non Pallanta referret.*

c. Amoris conjugalis affectus perspicacissimè pro more suo pingit Ovidius, in Epistola I. Penelopes ad Ulyssem, effecta hujus amoris copiose interserens.

*Troja jacet, certe Danais invisa puellis,*
*Vix Priamus tanti, totaque Troja fuit.*

— — — — — — — — —

*Quando ego non timui graviora pericula veris?*
*Res est solliciti plena timoris amor.*
*In te fingebam violentos Troas ituros:*
*Nomine in Hectoreo pallida semper eram.*

— — — — — — — — —

*Ausus es o nimium, nimiumque oblite tuorum,*
*Thracia nocturno tangere castra dolo.*

— — — — — — — — —

*Quisquis ad hæc vertit peregrinam littora puppim,*
*Ille mihi de te multa rogatus abit.*

*Quamque tibi reddat, si te modo viderit usquam,*
*Traditur huic digitis charta notata meis.*

— — — — — — — — —

*Utilius starent etiam nunc moenia Phoebi.*
*Irascor votis heu levis ipsa meis!*
*Scirem ubi pugnares; & tantum bella timerem*
*Et mea cum multis juncta querela foret.*
*Quid timeam, ignoro; timeo tamen omnia demens,*
*Et patet in curas area lata meas.*
*Quæcunque æquor habet, quæcunque pericula tellus,*
*Tam longæ caussas suspicor esse moræ.*

— — — — — — — — —

*Forsitan & narres, quam sit tibi rustica conjux,*
*Quæ tantum lanas non sinit esse rudes.*
*Fallar; & hoc crimen tenues vanescat in auras:*
*Neve revertendi liber abesse velis.*

Sed tenerioribus adhuc coloribus affectum hunc adumbrat idem Ovidius in Epist. XIII. Laodamiæ ad Protesilaum. En locos aliquot:

*Incubuit Boreas, abreptaque vela tetendit;*
*Iamque meus longe Protesilaus erat.*
*Dum potui spectare virum, spectare juvabat,*
*Sumque tuos oculos usque secuta meis.*
*Ut te non poteram, poteram tua vela videre:*
*Vela diu vultus detinuere meos.*
*At postquam nec te, nec vela fugacia vidi,*
*Et, quod spectarem, nil nisi Pontus erat;*
*Lux quoque tecum abiit: tenebrisque exanguis obortis*
*Succiduo dicor procubuisse genu.*

— — — — — — — — —

*Nec mihi pectendos cura est praebere capillos:*
*Nec libet aurata corpora veste tegi.*

— — — — — — — — —

*Scilicet ipsa geram saturatas murice vestes:*

Bel-

*Bella sub Iliacis moenibus ille gerat?*
*Ipsa comas pectar: galea caput ille prematur?*
*Ipsa novas vestes: dura vir arma ferat?*
*Qua possum, squalore tuos imitata labores*
*Dicar: & haec belli tempora tristis agam.*

— — — — — — — — — — —

*Hectora nescio quem timeo: Paris Hectora dixit*
*Ferrea sanguinea bella movere manu.*
*Hectora, quisquis is est, si sum tibi chara, caveto,*
*Signatum memori pectore nomen habe.*
*Hunc ubi vitaris, alios vitare memento,*
*Et multos illic Hectoras esse puta.*
*Et facito, dicas, quoties pugnare parabis:*
*Parcere me jussit Laodamia sibi.*

— — — — — — — — — — —

*Sed tua cur nobis pallens occurrit imago?*
*Cur venit a verbis multa querela tuis?*
*Excutior somno: simulacraque noctis adoro,*
*Nulla caret fumo Thessalis ara meo.*
*Thura damus, lacrymamque super: quae sparsa relucet,*
*Ut solet affuso surgere flamma mero.*

— — — — — — — — — — —

*Nos sumus incertae, nos anxius omnia cogit,*
*Quae possunt fieri, facta putare, timor.*
*Dum tamen arma geres diverso miles in orbe,*
*Quae referat vultus, est mihi cera, tuos.*
*Illi blanditias, illi tibi: debita verba*
*Dicimus; amplexus accipit illa meos.*
*Crede mihi plus est, quam quod videatur, imago.*
*Adde sonum cerae; Protesilaus erit.*
*Hanc specto, teneoque sinu pro conjuge vero:*
*Et tanquam possit verba referre, queror. &c.*

d. Amicorum amorem non felicius videas ullibi exhiberi, quam a Virgilio Aeneid. IX. cum inter amicos Nisum & Euryalum communia recenset studia, concordem voluntatem ad pericula adeunda; & tandem cum salvo Niso Euryalus in hostium manus incidisset, in quem Volscens numero irruebat ense recluso;

— — — — *Tunc vero exterritus amens*
*Conclamat Nisus: nec se celare tenebris*
*Amplius, aut tantum potuit perferre dolorem.*
*Me, me, adsum qui feci: in me convertite ferrum*
*O Rutuli, mea fraus omnis: nihil iste nec ausus*
*Nec potuit: coelum hoc & conscia sidera testor,*
*Tantum infelicem nimium dilexit amicum.*
*Talia dicta dabat: sed viribus ensis adactus*
*Transadigit costas, & candida pectora rumpit.*
*Volvitur Euryalus letho* — — — — — —
— — — — — — — — — — — — —
*Tum super exanimem sese projecit amicum*
*Confossus, placidaque ibi demum morte quievit.*

e Denique insani amoris effecta egregie collegit Virgilius in Didone L. IV. Aeneid. brevissime vero, & vix non omnia dexterrime proposuit Seneca in Hippolyto Act. II. Scen. I. ubi Phoedram, quae Hippolytum frustra misere deperibat hac effigie proponit:

*Erumpit oculis ignis, & lapsæ genæ*
*Lumen recusant, nil idem dubiae placet,*
*Artusque varie jactat incertus dolor.*
*Nunc ut soluto labitur moriens gradu,*
*Et vix labante sustinet collo caput.*
*Nunc se quieti reddit, & somni immemor*
*Noctem querelis ducit; attolli jubet,*
*Iterumque poni corpus, & solvi comas,*
*Rursusque fingi, semper impatiens sui*
*Mutatur habitus; nulla jam Cereris subit*
*Cura, aut salutis, vadit incerto pede,*
*Jam viribus defecta, non idem vigor,*
*Non ora tingens nitida purpureus rubor,*
*Populatur artus cura: jam gressus tremunt,*
*Tenerque nitidi corporis cecidit decor,*
*Et qui tenebant signa Phoebeae facis*
*Oculi nihil gentile, nec patrium micant,*
*Lacrymae cadunt per ora, & assiduo genae*
*Rore irrigantur.*

2. *Ira* fere sequentibus *effectis* exterius se prodere consuevit: exardescit, frendet, fluctuat, furit: & sui impos, indignatur, increpat, contemnit, amare ridet, ultionem quaerit, minatur, imprecatur, vociferatur, contentiosa & contumeliosa est. *Signa* affectum hunc comitantur: jam pallet, jam rubet, nullus color certus irato, quassat caput, oculos contorquet, & fere flammae scintillas evibrat, tremit, sudat, gemit, spumat. Vide exempla affectus istius aliquot:

Turnus in proelia irascens sic describitur a Virgilio Aeneid. XII.

*His agitur furiis, totoque ardentis ab ore*
*Scintillæ absistunt: oculis micat acribus ignis.*

Aeneas Helenam ruinae Trojanae caussam spectans ita contra illam exardescit. Aeneid. II.

*- - - - Trojae & patriae communis Erynnis*
*Abdiderat sese, atque aris invisa sedebat,*
*Exarsere ignes animo: subit ira, cadentem*
*Ulcisci patriam & sceleratas sumere poenas.*
*Scilicet haec Spartam incolumis, patriasque Mycenas*
*Aspiciet? partoque ibit regina triumpho?*

*Conjugiumque, domumque, patres, natosque*
*videbit,*
*Iliadum turba, & phrygiis comitata ministris?*
*Occiderit ferro Priamus? Troja arserit igni?*
*Dardanium toties sudarit sanguine littus?*
*Non ita: — — — — — — —*

Sic item Dido apud eundem Virgilium Aeneid. IV. exprobrata Aeneae perfidia: per iram imprecationes etiam addit:

*Heu furiis incensa feror — — — —*
*- Neque te teneo, neque dicta refello.*
*Insequere Italiam ventis, pete regna per undas.*
*Spero equidem mediis, si quid pia Numina*
*possunt,*
*Supplicia hausurum scopulis, & nomine Dido*
*Saepe vocaturum. Sequar atris ignibus absens.*
*Et cum frigida mors anima seduxerit artus,*
*Omnibus umbra locis adero: dabis improbe*
*poenas:*
*Audiam, & haec manes veniet mihi fama*
*sub imos.*

Turnus rursum apud eundem Virgil. Aeneid. XI. a Drance opprobriis & consiliis propositis irritatus contentum & amarissimas contumelias in hunc modum reddit:

*Talibus exarsit dictis violentia Turni:*
*— — — — — — —*
*Larga quidem Drance tibi semper copia fandi,*
*Tunc*

*Tunc cum bella manus poſcunt: patribusque vocatis*
*Primus ades: ſed non replenda eſt curia verbis,*
*Quae tuto tibi magna volant: dum diſtinet hoſtem*
*Agger murorum, nec inundant ſanguine foſſae.*
— — — — — — — — — —
*Imus in adverſos? quid ceſſas? an tibi Mavors*
*Ventoſa in lingua, pedibusque fugacibus iſtis*
*Semper erit?*
*Pulſus ego? aut quisquam merito, foediſſime! pulſum*
*Arguet?* — — — — — —
— — — — — — — —
*Nulla ſalus bello? capiti cane talia demens*
*Dardanio.* — — — — — —
— — — — — — — —
*Nunquam animam talem dextra hac, abſiſte moveri,*
*Amittes, habitet tecum: & ſit pectore in iſto.*

Medea autem apud Ovid. Epiſt. XII. minas Jaſoni intentat, quacunque execratione ſignificantiores:

*Quos equidem actutum — Sed quid praedicere poenam*
*Attinet? ingentes parturit ira minas.*
*Quo feret ira, ſequar. Facti fortaſſe pigebit,*

*Et piget infido consuluisse viro.*
*Viderit ista Deus, qui nunc mea pectora versat:*
*Nescio, quid certe mens mea majus agit.*

3. *Gaudium* raro se intra mentem continet, sed plerumque erumpere, & *signis* exterioribus declarari amat. Sunt autem pro obiectorum personarumque gaudentium varietate *signa* diversissima, scilicet: modo hilaris vultus, color etiam, risus, plausus, clamor, amplexus, gratulatio, vota &c. modo autem taciturnitas, stupor, spes, lacrymae &c.

Tibullus L. III. Eleg. 6. risum gaudii comitem esse docuit:

*Hei mihi difficile est imitari gaudia falsa,*
*Difficile est tristi fingere mente jocum.*
*Nec bene mendaci risus componitur ore &c.*

Et post regale convivium Aeneid. I. ac citharae cantus:

*Ingeminant plausum, Tyrii Troësve sequuntur,*
*Nec non & vario noctem sermone trahebant.*

Ovidius Trist. IV. Eleg. 2. gaudium Romanorum in triumpho Germanici exprimens ait:

*Quaque ibis, manibus circumplaudere tuorum,*
— — — — — — — —
*Miles Jo, magna voce, triumphe canet.*

Claudianus tremorem, fletum, amplexum, gaudii repentini signa narrat de bello Gildon.

Quem

*Quem ſimul ut vidit Natus (nam clara nitebat*
*Cynthia) permixto tremuerunt gaudia fletu,*
*Complexuque fovens, quos non ſperaverat, artus,*
*O mihi poſt Alpes nunc primum reddite, dixit,*
*Unde tuis optatus ades? da tangere dextram &c.*

Lucanus Pharſal. X. epulas gaudiorum teſtes citat:

*Excepere epulae tantarum gaudia rerum.*

Virgilius Aeneid. I. Didonem & ſacrificia & communem epularum laetitiam indixiſſe narrat, ad gaudium ſuum Aeneae teſtandum:

*- - Simul Divum templis indicit honorem.*
*Nec minus interea ſociis ad littora mittit*
*Viginti tauros, magnorum horrentia centum*
*Terga ſuum, pingues centum cum matribus agnos,*
*Munera laetitiamque Dei:*
*At domus interior regali ſplendida luxu*
*Inſtruitur, mediisque parant convivia tectis.*

Elegantiſſime autem idem Virgil. Aeneid. V. Anchiſae patris gaudium conſpecto Aenea filio expreſſit:

*Isque ubi tendentem adverſum per gramina vidit*
*Aeneam; alacris palmas utrasque tetendit,*

*Effuſaeque genis lacrymae, & vox excidit ore.*
*Veniſti tandem, tuaque expectata parenti*
*Vicit iter durum pietas! datur ora tueri*
*Nate tua, & notas audire & reddere voces.*
*— — — — Da jungere dextram,*
*Da genitor: teque amplexu ne ſubtrahe noſtro.*

4. *Triſtitia* ſeu dolor *effectus* gignere ſequentes a ſedulis obſervatoribus animadverſus eſt; mentem perplexam, confuſam & prope hebetem reddit: ſi grandis ſit, ſtuporem & inſenſibilitatem; ſæpe mentis alienationem & furorem adfert. Fugit ſocietatem, & gaudet ſolitudine. Memoriam doloris refricant facile res quaecunque obviae &c. *Signa* autem quae triſtitiam manifeſtant, ſunt: Comarum demiſſio, & conſperſio; lacrymae, oculorum in terram defixio, rigor corporis; in mulieribus etiam oris, genarum ac pectoris laniatio, veſtium laceratio, atrarum veſtium aſſumtio, ſqualor & cultus neglectus, ſingultus, gemitus, planctus, ululatus, vigiliae nocturnae, ſomnia &c. &c.

Prudentiſſime pro more ſuo affectum hunc in Aenea exhibuit Virgilius Aeneid. II. cum perditam uxorem reſcit:

*Quem non incuſavi amens hominumque Deorumque?*

*Aut*

*Aut quid in eversa vidi crudelius urbe?*

— — — — — — — — — —

*Stat casus renovare omnes, omnemque reverti*
*Per Trojam, & rursus caput objectare periclis,*
*Principio muros, obscuraque lumina portae,*
*Qua gressum extuleram, repeto: & vestigia retro*
*Observata sequor per noctem & lumine lustro.*
*Horror ubique, animos simul ipsa silentia terrent.*
*Inde domum* — — — — — — —

— — — — — — — —

*Ausus quin etiam voces jactare per umbram,*
*Implevi clamore vias, moestusque Creusam*
*Nequicquam ingeminans, iterumque iterumque vocavi.* &c.

Dolorum pingendorum artifex sine controversia magnus Ovidius vide quam accurate Niobes dolorem post necem septem filiorum Metamorph. VI. 4. ostendat:

- - - - - - - *At nunc miseranda vel hosti,*
*Corporibus gelidis incumbit, & ordine nullo*
*Oscula dispensat natos suprema per omnes.*
*A quibus ad coelum liventia brachia tendens,*
*Pascere crudelis nostro Latona dolore,*
*Pascere ait, satiaque meo tua pectora luctu:*
*Corque ferum satia dixit: per funera septem*
*Efferor; exsulta* — — — — —

Tum post interitum filiarum etiam e vestigio consecutum:

—

*— — — — — Orba refedit*
*Exanimos inter natos natasque, virumque,*
*Diriguitque malis. Nullos movet aura capillos,*
*In vultu color eft fine fanguine; lumina moeftis*
*Stant immota genis. Nihil eft in imagine vivum.*

Non minus viva per doloris expreffionem apud eundem Ovidium Metamorphos. IV. 4. eft Thisbes imago. Ita vero illa Pyramo fuo exangui reperto:

*Percutit indignos claro plangore lacertos:*
*Et laniata comas, amplexaque corpus amatum*
*Vulnera fupplevit lacrymis, fletumque cruori*
*Mifcuit, & gelidis in vultibus ofcula figens*
*Pyrame clamavit, quis te mihi cafus ademit,*
*Pyrame refponde! tua te cariffima Thisbe*
*Nominat, exaudi: vultusque attolle jacentes.*

Idem ad uxorem fuam Ovidius ipfe Trift. III. 3. ita:

*Ecquid in has fruftra tendens tua brachia partes*
*Clamabis miferi nomen inane viri?*
*Parce tamen lacerare genas, nec fcinde capillos,*
*Non tibi nunc primum lux mea raptus ero.*

Denique Virgilius dolentem vel apud inferos adhuc Didonem hac fpecie proponit Aeneid. VI.

*Talibus Aeneas ardentem & torva tuentem*
*Lenibat dictis animum, lacrymasque ciebat.*

Il-

*Illa solo fixos oculos aversa tenebat:*
*Nec magis incepto vultum sermone movetur,*
*Quam si dura silex aut stet Marpesia cautes,*

*Annot.* Vide sis affectus istius & signa & effecta aliquot jam apud amoris affectum insinuata. Neque id mirum: quoniam non raro sic conjuncti sunt affectus isti, ut pro uno eodemque reputari valeant & tractari soleant.

5. *Pudor* moerorem quemdam internum & poenitudinem *effectum* habet; nonnunquam fugam societatis lucisque secumfert. *Signis* externis conspicuus fere fit: rubore, oculorum dejectione, silentio, nonnunquam clamore, pro personarum differentia etiam lacrymis.

Apud Ovid. Epist. 9. Deianira Herculem ex hoc affectu pudoris concitato ad pristinam animi magnitudinem, & fidelitatem sibi debitam reducere conatur:

*Coepisti melius, quam desinis; ultima primis*
*Cedunt: dissimiles hic vir, & ille puer.*
*Quem non mille ferae, quem non Stheneleius hostis,*
*Non potuit Juno vincere, vincit amor.*

— — — — — — — —

*Moeonias inter calathum tenuisse puellas*
*Diceris, & dominae pertimuisse minas.*
*Non pudet Alcide! victricem mille laborum*
*Rasilibus calathis imposuisse manum?*

*Cras-*

*Crassaque robusto deducis pollice fila.*
*Aequaque formosæ pensa rependis heræ.*

— — — — — — — —

*O pudor hirsuti costas exuta leonis*
*Aspera texerunt vellera molle latus* &c.

Apud eundem Ovidium Diana cum Nymphis ab Actæone casu fortuito & infelici in balneo deprehensa sic puduisse describitur Metamorphos. III. 2.

*- - - - Viso, nudæ sua pectora Nymphæ*
*Percussere viro: subitisque ululatibus omne*
*Implevere nemus: circumfusæque Dianam*
*Corporibus texere suis. Tamen altior illis*
*Ipsa Dea est, colloque tenus supereminet omnes,*
*Qui color infectis adversi solis ab ictu*
*Nubibus esse solet, aut purpureæ Auroræ:*
*Is fuit in vultu visæ sine veste Dianæ.* &c.

Item apud eundem Cydippe Epist. 20. narrat:

*Nomine conjugii dicto confusa pudore*
*Sensi me totis erubuisse genis.*
*Luminaque in gremio veluti defixa tenebam,*
*Lumina propositi facta ministra tui.*

Metamorphos. autem II. 5. plura pudoris signa in Callisto extitisse commemorantur:

*Heu quam difficile est crimen prodere vultu!*
*Vix oculos attollit humo: nec ut ante solebat,*
*Juncta Deæ lateri, nec toto est agmine prima:*
*Sed silet, & læsi dat signa rubore pudoris &c.*

6. Ti-

6. *Timor* varios *effectus* edere solet: perturbationem animi, periculorum horrorem & augmentum, trepidationem, occoecationem, fugam indecoram, circumspectionem justo majorem &c. *Signis* vero indicatur: pallore, frigore, cordis palpitatione, horrore, tremore, crinium arrectione, rigore membrorum, vocis interclusione, genuum vacillatione &c.

Quam nitide Virgilius Aeneid. II. narrationem de amissa Creusa & suo & Anchisis Patris, quem ex ardente Troja per medios hostes efferebat, timore interpungit:

*— — — Ferimur per opaca locorum:*
*Et me, quem dudum non ulla injecta movebant*
*Tela, neque adverso glomerati ex agmine Graji,*
*Nunc omnes terrent auræ, sonus excitat omnis*
*Suspensum, & pariter comitique onerique timentem.*
*Jamque propinquabam portis, omnemque videbar*
*Evasisse viam; subito cum creber ad aures*
*Visus adesse pedum sonitus: genitorque per umbram*
*Prospiciens: Nate, exclamat, fuge nate, propinquant,*
*Ardentes clypeos, atque æra micantia cerno,*

*Hic*

*Hic mihi nescio quod trepido male numen amicum*
*Confusam eripuit mentem &c.*

Aeque viva & aspectabilis est timoris expressio in Androgeo Graeco apud eundem Virgil. paullo ante citatum L. II. eodem:

*Primus se Danaum magna comitante caterva*
*Androgeos offert nobis, socia agmina credens*
*Inscius: atque ultro verbis compellat amicis;*
*Festinate viri* — — — — —
— — — — — — — —
*Dixit & extemplo (neque enim responsa dabantur*
*Fida satis) sensit medios delapsus in hostes.*
*Obstupuit, retroque pedem cum voce repressit.*
*Improvisum aspris veluti qui sentibus anguem*
*Pressit humi nitens, trepidusque repente refugit*
*Attollentem iras & caerula colla tumentem:*
*Haud secus Androgeos visu tremefactus abibat.*

Ad vocem autem Polydori ex sepulcro ascendentem Aeneid. III. apud eundem Virgilium Aeneas:

*Tum vero ancipiti mentem formidine pressus*
*Obstupui, steteruntque comae, & vox faucibus haesit.*

Horatius item L. I. Carmm. Ode. 23. de hinnulo pavido matrem quaerente:

*Nam-*

*Nam ſeu mobilibus vepris inhorruit*
*Ad ventum foliis, ſeu virides rubum*
*Dimovere lacertæ*
*Et corde & genibus tremit.*

Nihil accuratius deſcriptione effectorum & ſignorum timoris in raptis Sabinis, quæ habetur apud Ovidium L. I. de Art.

*Conſtitit in nulla, qui fuit ante color.*
*Nam timor unus erat: faciens non una timoris;*
*Pars laniat crines: pars ſine mente ſedet:*
*Altera moeſta ſilet: fruſtra vocat altera matrem:*
*Hæc queritur: ſtupet hæc: hæc manet: illa fugit.*

g. Sed nimirum exemplarium hucusque affatim eſt, quibus paucis tiro noſter & in Poëtis principibus attente retegere ſplendidiſſima affectuum lumina diſcat, quæ undique emicant; & ſi quis caſus ferat, tractare ipſe ex dignitate noverit.

## C. *De Moribus Poëticis.*

a. Quod jam Oratori magnopere præcepit, hoc idem Poëtæ iterum in præceptionibus ſuis de Poëtica diligentiſſime inculcat Ariſtoteles, & poſt eum Horatius de Arte, ut *oratio ſit morata*, hoc eſt: moribus loquentium audientiumque reſpondens.

b. Hæc cautio eo religiosius observanda est: quod nullus affectus ea neglecta tractari ex merito queat. An non enim diverso modo amat, gaudet, irascitur, timet &c. vir & mulier? senex & juvenis? Quæ si male providus contemnat Poëta, qualis imitatio naturæ? quæ verisimilitudo, & quæ Poësis adeo expectari potest? Quare prudentissimum universe de moribus monitum Horatii extat in Arte:

*Aetatis cujusque notandi sunt tibi mores,*
*Mobilibusque decor naturis dandus & annis.*

c. Partiti vero sunt Aristoteles & Horatius doctrinam de moribus hominum in quatuor potissimum suprema genera, unde necessaria illa pendent discrimina, quorum observatio tantopere commendatur, nimirum: ab *ætate*, a *fortuna*, a *sexu*, & a *natione*.

d. Executi sumus equidem morum istorum genera singula jam in præceptionibus oratoriis, quæ hic repetere omnino proderit: juvabit tamen etiam in usum poëticæ Candidatorum supplementa nonnulla adjicere. Itaque

1. *Aetas* vel juventutis, vel senectutis, vel ætatis mediæ mores denotat.

a. *Juventutis* quidem mores sagacissime exponit Horatius de Arte, ipsos juvenilis ætatis gradus pervadens & ita canens:

Red-

*Reddere qui voces jam ſcit puer, & pede certo*
*Signat humum, geſtit paribus colludere, & iram*
*Colligit, ac ponit temere, & mutatur in horas.*
*Imberbis juvenis tandem cuſtode remoto*
*Gaudet equis, canibusque & aprici gramine campi,*
*Cereus in vitium flecti, monitoribus aſper,*
*Utilium tardus proviſor, prodigus æris,*
*Sublimis, cupidusque, & amata relinquere pernix.*

*Annot.* Sunt ex his moribus pulcherrime formati apud Terentium ferme omnes juvenes, quos in Comoediis ſuis producit: Clinias, Pamphilus, Aeſchinus. Ex his moribus Virgilius Aeneid. IV. Julum puerum in venatione regia Didonis, & Aeneid. V. Gyam juvenem in certamine navali repræſentat. Ita priori loco:

*At puer Aſcanius mediis in vallibus acri*
*Gaudet equo: jamque hos curſu, jam præterit illos,*
*Spumantemque dari pecora inter inertia votis*
*Optat aprum, aut fulvum deſcendere monte leonem*

Poſteriori vero loco de Gya ſic canit:

*Tum vero exarſit juveni dolor oſſibus ingens,*
*Nec lacrymis caruere genæ: ſegnemque Menoeten,*
*Oblitus decorisque ſui, ſociumque ſalutis,*
*In mare præcipitem puppi deturbat ab alta;*
*Ipſe gubernaclo rector ſubit, ipſe magiſter.*

b. *Senectutis* mores prioribus oppositos recenset idem Horat. de Art.

*Multa senem circumveniunt incommoda, vel quod*
*Quærit, & inventis miser abstinet, ac timet uti,*
*Vel quod res omnes timide gelideque ministrat.*
*Dilator, spe longus, iners, avidusque futuri,*
*Difficilis, querulus, laudator temporis acti*
*Se puero, censor, castigatorque minorum.*

*Annot.* Nihil venustius senibus Terentii & Plauti: Euclione, Demea, Menedemo, Mitione &c. in quibus egregie effictum reperies, quidquid hic spectari potest ac debet.

c. *Virilis* vel media ætas moribus quoque sibi propriis informanda est juxta Horatii monitionem de Arte:

*Conversis studiis ætas animusque virilis.*
*Quærit opes & amicitias, inservit honori:*
*Commisisse cavet, quod mox mutare laboret.*

*Annot.* Quemadmodum igitur hæc ætas confinis est & senio & juventuti, ita ex utraque meliora decerpit, & in rem suam convertit. Aeneas Virgilii, & Achilles ac Ulysses Homeri sunt hujus census exempla admodum illustria.

2. For-

2. *Fortuna*, alterum partitionis Aristotelicæ membrum, principum aut subditorum, nobilium aut ignobilium, civium aut militum, divitum denique aut pauperum mores continet, & inspiciendos offert. De plerisque itidem his actum jam in Institutionibus oratoriis, pauca adhuc aliqua annectimus:

a. *Principum* mores quales esse debeant, in Aenea suo acutissime Virgilius proposuit: 1) neque enim solum *pietate in Superos* constanter & ubique eminentem, sed *in homines* etiam clarissimum effinxit: *Sum pius Aeneas, raptos qui ex hoste penates classe veho mecum* &c. Et: *Rex erat Aeneas nobis, quo justior alter nec pietate fuit, nec bello major & armis.* Rursum: *Amissos longo socios sermone requirit;* defiet Palinurum in mare excussum, & prope immodice dolet Pallantem occisum amici Evandri filium, sacrificia & crebra & magnifica, inferiasque fert Diis superis inferisque; Patrem humeris Troja ardente effert, Creusam conjugem vel in mediis hostibus quærit, *omnis in Ascanio cari stat cura parentis.* 2.) *Sapientiæ prudentiæque politicæ* exempla edit plurima; demittit se prope ad omnes, socios cibi, potus, periculorum & habet & appellat; indu-

ſtria plane ſingulari & navibus fabricandis & urbi extruendæ præeſt inſpector aſſiduus ipſe, hortator eloquens & director. 3.) *Virtute ac fortitudine militari imperatoris & ſtrenui militis* juxta præſignis omnia pericula adit, cum ſuis communia habet, & contemnit, adverſorum omnium tolerantiſſimus; nec felicibus ſucceſſibus elatus, erga victos lenis & victor temperantiſſimus &c.

b. *Nobiles* animo magno, alacri, & erecto eſſe ſolent. Claritatis, quam a Majoribus receperunt, tenaces, & vel oſtentandæ vel augendæ, præſertim in bello, ſolliciti; foeminæ præcipue jactantius ſe ob eam offerre, & elatius alios ob eam præ ſe contemnere aſſuetæ. De Camerte Virgilius L. XII. Aeneid. *Cui genus a proavis ingens, clarumque paternæ nomen erat virtutis, & ipſe acerrimus armis.* Et apud Ovid. Ep. 6. Hypſypile Jaſoni exprobrat: *Si te nobilitas, generoſaque nomina tangunt, en ego Minoo nata Thoante feror, Bacchus avus* &c.

c *Ignobiles* in milites & cives primum; tum cives in urbanos & agreſtes tribuere oportebit. 1.) Et *milites* quidem glorioſi, vani, cruenti, iracundi, malefici etiam & motibus nonnunquam intenti paſſim reputantur. Virgilius Aeneid,

V.

V. Daretem ſui fiducia jactabundum inducit: *Dares caput altum in proelia tollit: oſtenditque humeros latos, alternaque jactat brachia protendens, & verberat ictibus auras.* Mezentium Deorum contemtorem facit idem Virgilius, Thraſoni vero apud Terentium, & Pyrgopolinici apud Plautum quam apte mores convenientes aſſignati ſunt? 2) *Cives urbanos* deinde pro genio eorum molles, ignavos, dicaces, timidos, mobiles &c. repraeſentare fas eſt. Egregie Virgilius Aeneid. I. huc reſpexit, cum ait: *Magno in populo cum ſæpe coorta eſt ſeditio, ſævitque animis ignobile vulgus, jamque faces & ſaxa volant, furor arma miniſtrat: tam pietate gravem ac meritis ſi forte virum quem conſpexere, ſilent, arrectisque auribus aſtant. Ille regit dictis animos, & pectora mulcet.* 3.) Poſtremo *cives agreſtes* mores ſtupidi, indociles, duri, ſimplices, facile irritabiles &c. decebunt, Vide quam ſuaviter id Aeneid. VII. obſervarit Virgilius: — — *Duos conclamat agreſtes* — — *Improviſi adſunt: hic torre armatus obuſto, ſtipitis hic gravidi nodis: quod cuique repertum rimanti; telum ira facit.* &c.

3. *Sexus* diſcrimen in mores inducit notius, quam quod multum exponi egeat, paſſim

enim inconstantes, infidæ, fraudulentæ simulatrices, suspicaces, iræ impotentes, & vindictam ardentes, lacrymarum ex libitu arbitræ, & affectibus semper immodicis abreptæ exhiberi solent foeminæ. Apud Ovid. Epist. 6. ex hospite Thessalo de viro Jasone inquirens Hypsypile, quam ex suspicione perturbatur, quam impatienter & quærit, & infert, & quam incogitanter mori parata est!

*Nuper ab Hæmoniis hospes mihi Thessalus oris*
*Venerat, & tactum vix bene limen erat:*
*Aesonides dixi, quid agit meus? ille pudore*
*Hæsit in opposita lumina fixus humo.*
*Protinus exilui: tunicisque a pectore ruptis,*
*Vivit, an, exclamo, me quoque fata trahunt?*
*Vivit, ait, timidumque mihi jurare coëgi.*
*Vix mihi teste Deo credita vita tua est. &c.*

Quid Dido non suscipit, non simulat, ut Aeneam abitum cum classe parantem Carthagine retineat? sororem instruit, moramque impetrare jubet: apud Virgil. Aeneid. IV.

— — — — *Miseræ hoc tamen unum*
*Exequere, Anna, mihi, solam nam perfidus ille*
*Te colere, arcanos etiam tibi credere sensus,*
— — — — — — — —
*I soror, atque hostem supplex affare superbum,*
— — — — — — — —

Ex

*Expectet facilemque fugam, ventosque ferentes.*

— — — — — — — —

*Dum mea me victam doceat fortuna dolere.*

— — — — — — — —

*Quam mihi cum dederit, cumulatum morte remittam.*

4. *Natio* magnam profecto morum varietatem in hominibus efficit; neque enim solum pro regionum situ, pro aëris coelique differentia, diversa humorum in corpore humano commixtione alii innati; sed pro diversa etiam populorum consuetudine, educatione, sentiendi judicandique ratione alii acquisiti considerandi sunt. Quid quod ex historiis, ex proverbiis, vulgique non raro ore nationum ingenia moresque dignoscuntur? Itaque Asiaticorum luxus, Afrorum perfidia, Europæorum acritas, Americanorum stupiditas ex historiis cognita; montani duri & asperi, campestres molliores & desides, maritimi prædones aut mercatores reputati sunt. &c.

*Annot.* Meminerit hic iterum tiro, quod alibi monuimus: mores nationum non ex iis, quæ semper & in omnibus observantur, sed quæ plerumque & in pluribus evenire consueverunt, judicandos componendosque esse.

D. *De characteribus.*

a. Ex hominum moribus & affectibus characteres existunt, longe maxima circumspectione a

Poëta indagandi, & nisi opus suum verisimilitudine omni destitutum, ac proinde eversum funditus cupiat, solertissima imitatione exprimendi.

*Annot.* Quoniam characteribus personas & constitui & invicem secerni ex ipsa rerum natura intelligimus, facile etiam percipimus, quam infelici conatu Poëta elaboraturus sit, si quis characterum diversorum studium aut insuper habeat, aut prætermittat.

b. Est autem character juxta Aristotelem nexus quidam proprietatum, affectuum, morum, talentorumque in eadem aliqua persona convenientium & adunatorum; seu explicatius: Character est compositum quoddam, cujus partes intimæ sunt: proprietates, affectus, mores, talenta, arctissime mutuo devinctæ.

*Annot.* Patet hinc, omnes actiones, cogitationes, sermones, studia personæ hujusmodi ex recensito hoc nexu derivanda, informanda, ac judicanda esse, & peccari admodum, si quocunque demum modo ab hac lege descisceatur.

c. Ut vero characteres personarum legitimi & congruentes a Poëta construantur, tres præcipuæ leges ex ejusdem Aristotelis doctrina delicatissime sunt custodiendæ & observandæ:

I. *Convenientia Characterum.* Neque enim satis erit ad formandum characterem personæ tuæ, colligere affectus quoscumque humanos, aut talenta utcunque rara; sed proprietatum etiam in nexu nostro meminisse

niſſe jubemur, easque ſolum notas chara-cteri inſerere, quæ illi ſoli conveniant & propriæ ſint. Verbo: diligentiſſime in characterum conſtructione ad ætatem per-ſonæ tuæ, conditionem, fortunam, pa-triam, temperamentum, affectus, officia &c. aliaque minima quandoque attributa re-ſpiciendum eſt, & his omnibus dicta facta-que perſonæ prudenter conformanda. Hoc idem monet Horatius de Arte:

*Si dicentis erunt fortunis abſona dicta,*
*Romani tollent equites peditesque cachinnum.*
*Intererit multum, Davusne loquatur an herus,*
*Maturusne ſenex, an adhuc florente juventa*
*Fervidus: an matrona potens, an ſedula nutrix:*
*Mercatorve vagus: cultorve virentis agelli:*
*Colchus an Aſſyrius, Thebis nutritus an Argis.*

a. *Annot.* Fere ut in Pictoria e. g. ad Iphige-niæ virginis immeritæ ſacrificium vehemens animorum commotio ac perturbatio non iis-dem lineamentis in milite cerimoniis advigi-lante, quibus in adſtante Iphigeniæ fratre deſcribi & exprimi debet aut poteſt; alio enim atque alio modo mors victimæ talis concutere debet animum fratris cariſſimi, & militis ad cædes promiſcuas aſſuefacti: Terror item aliquis ſubitus non eosdem in milite & foemina animi ſenſus & effectus producere aſſolet, fugiet nimirum foemina, miles autem ad arma provolabit: ita in Poëtica quoque magno defoecatoque judicio perſonis tuis par-

tes

tes actionum suarum distribuendæ & commensurandæ erunt.

b. In tanta multitudine & varietate proprietatum & effectuum humanorum materia novis characteribus identidem effingendis, & varia compositione diversificandis deesse non potest. Divinum plane ingenium fuit Homeri in hoc inventionis genere, qui in Iliade unius Fortitudinis virtutem in heroibus suis sic variam proposuit, ut nova singuli exemplaria efficiant. Achillem fortitudo ferum & indomitum facit; Diomedis violenta est, auscultatrix tamen & obsequens; Ajacis fortitudo cum ruditate stolida & superbia; Hectoris cum sollicitudine & vigilantia conjuncta est; &c. sic providentia alia est in Nestore, scilicet naturalis, aperta, justa; alia in Ulysse tecta semper, simulatrix & pellax, &c. In qua variandi foecunditate severi artis Critici longe inferiorem deputant Virgilium nostrum, apud quem hanc diversitatem characterum in heroibus non injuria desiderant.

2. *Similitudo Characterum.* Hæc desiderat, ut characteres, quos Poëta exhibet, aut naturæ, aut historiæ, aut fabulæ respondeant. Et de postremis quidem duobus capitibus extra controversiam est; neque enim Neronem tanquam principem lenem clementemque; aut leonem in fabula timidum, lupum mansuetum, agnum crudelem inducere unquam licebit; de priore autem ita intellige: quoscunque Poëta characteres novos, neque fortassis hactenus valde cognitos inducturus est, ii omnes in natura

exem-

exemplar efficionis & imitationis suæ habeant. Atque huc pertinet gravis illa Horatii de Arte monitio:

*Aut famam sequere, aut convenientia finge*
*Scriptor. Honoratum si forte reponis Achillem,*
*Impiger, iracundus, inexorabilis, acer,*
*Jura neget sibi nata, nihil non arroget armis.*
*Sit Medea ferox, invictaque: flebilis Ino:*
*Perfidus Ixion: Jo vaga: tristis Orestes.*

a. *Annot.* Non equidem nimis anxie fides omnis & tota historica in characterum formatione sequenda est, nihilque vetabit, vel praetermittere, imo quandoque etiam occulere nocitura nonnulla, vel nova etiam personæ adscribere, modo priora ne talia sint, quorum omissio characterem reddat aut incognitum, aut incertum vagumque; posteriora autem ne cum fide & auctoritate jam recepta pugnent, remque aliam repræsentent, quam passim nota sit.

b. Characteres, qui admodum raro reperiri consueverunt, aut summam virtutis alicujus perfectionem præferunt nec inducere, nec componere expediet Poëtæ; quod utraque a verisimilitudine aliena esse saltem videantur. Priorum enim exemplaria cum rarissima sint, a paucissimis observantur, & ideo minus verisimilia judicantur; posteriora autem vix in animos nostros illabuntur, altioris ordinis credita, nihilque commune cum cetero hominum genere habere visa.

3. *Constantia Characterum*, quæ præstabit, ut leges priores duæ de characteribus mox præscriptæ ad finem usque observentur per-

perducanturque, & quibus coloribus coepisti, iisdem absolvas characterum tuorum imagines, ne forte sibimetipsis dissimiles ad extremum sint enatae. Hanc eamdem legem Horatius de Arte statuit:

*Si quid inexpertum scenae committis, & audes*
*Personam formare novam, servetur ad imum,*
*Qualis ab incepto processerit, & sibi constet.*

a. *Annot.* Quoniam omnes actiones, sermones, studia, non uni certae alicui characteris proprietati aut affectioni tantum; sed toti composito, quo characterem constitui diximus, commensuranda sunt: satis non erit, abstinere Poëtam a studiis sermonibusque characteri contrariis, sed ne incongrua quidem aut inepta, quamvis domestica admittentur.

b. Quod alias jam de exaltatione cogitationum innuimus, id hic praesertim in aggregandis characteribus, quos morales communes vocamus, valebit, ut res aut actiones, quamvis obvias quotidianas ex communi vita dextre seligas; eas ex prudentis verisimilitudinis lege recisis otiosis aut superfluis coordines, qua licet, naturis rerum imitatione proximas constituas, & denique personae tuae proprias facias. Hoc nimirum est, quod Horatius ipse arduum agnovit in Arte: *Difficile est proprie communia dicere*, sed tamen ita ex artis regulis necessarium, ut alioqui character vel neglectus, vel perperam affictus judicari debeat.

d. Rite exacti ad regulas istas characteres summa animum jucunditate perfundunt, neque audi-

auditorem lectoremve delectant solum, sed abripiunt. *Parasitus* Terentii, *Miles gloriosus* Plauti, *Aeneæ* pietas, aut *Juno* infesta Trojanis apud Virgilium, Homeri *Achilles*, *Ulysses*, *Ajax* a capite ad calcem iidem perseverant.

*Annot.* Quidquid agit, loquitur, moliturve Juno in Aeneide palam aut clam, vel ipsum, cui affigere Aeneam vult, regnum Africæ, omne id ex odio in Trojanos profectum videas: apud Homerum Achilles, non tantum cum pugnat, sed etiam cum abstinet a pugnando, ex ira agit. Ajax autem vel in mediis cædibus, quas Trojani inter Grœcos nebula a Iove involutos largissime faciebant, non de vita conservanda, quod heroëm utique dedecebat, sed de serenitate reddenda Jovem deprecatur, qua fortitudinem suam in hostes exerere possit. L. XVII. Iliad. *Iupiter Pater*, ait, *libera a caligine filios Achivorum, facque serenitatem; daque oculis videre, inque luce etiam perde nos, quandoquidem tibi placuit ita.* Aspice & mirare characterem vel ad minimas etiam sermonis circumstantias sollicite conservatum.

## E. *De Picturis poëticis.*

a. Tota Ars poëtica, quam late patet, pictura dici potest, præsertim quod tota in imitatione posita sit, magnique nominis viri artium harum & convenientiam & discrimina sunt prolixe persecuti: nos tamen hoc loco de ea solum pictura poëtica loquimur, quæ imagines respicit, de quibus supra in transitu mentionem injecimus.

b. Ap-

b. Appellamus vero imagines: cogitatus ſermone competenti veſtitos & ad ſimilitudinem rerum, quas repræſentant, tam fortiter attingentes, ut curioſos juxta ac incurios percellant, & in animo audientis admodum vividam ſpeciem rei præſentatæ efforment.

1. *Annot.* Non immerito igitur quis cogitatum juſtam imaginis delineationem: dictionem poëticam colores, phantaſiam autem ſeu vim imaginatricem pictorem appellaverit, a quibus pictura exiſtat, non oculis corporum, ſed animorum immittenda.

2. Si de Oratoria nimis quam verum eſt, quod Quintilianus Inſtitut. Orator. L. VIII. c. 3. aſſerit: *Magna virtus eſt, res, de quibus loquimur, clare, atque ita, ut cerni videantur, enunciare: non enim ſatis efficit, neque, ut debet, plene dominatur oratio, ſi usque ad aures volet, atque ea ſibi auditor narrari credat, non exprimi atque oculis mentis oſtendi:* quanto majori jure id in Poëtica deſiderabitur, quæ ad id tota facta eſſe videtur, ut pingat, pingendoque delectet.

c. Picturas poëticas dijudicandi concinnandique rationem acute pro more ſuo Horatius de Arte docet:

*Ut pictura Poëſis erit, quæ ſi propius ſtes,*
*Te capiet magis, & quædam, ſi longius abſtes,*

Itaque aliæ quidem picturæ eminus ſpectandæ, aliæ autem cominus judicandæ effinguntur, eosque in fines colores debiti ſeu fortiores ſeu infirmiores eligendi, & perite attemperandi ſunt.

d. At-

d. Attemperatio porro ista in eo solum sita esse potest, ut quæ eminus prospici debent, non multitudine exhibitorum confundantur, sed segregata, paucitate ac vigore spectatorem feriant; quæ cominus autem offerentur, ea & multiplici varietate, & subtilitate, & nitore sæpe ad minutias usque apte splendideque expicta sint.

e. His nimirum compendiis Poëtas artifices perpetuo usos fuisse deprehendimus, atque hinc duas classes picturarum poëticarum recte constituimus:

I. Classis continebit illud picturarum genus, quod ex pluribus circumstantiis, minutis quidem in se, sed apte delectis & ordinatis compositum est, atque viva quadam imagine sensus simul nostros commovet, simul animos admiratione lætitiaque percellit. Ecce exempla hujus generis aliquot obvia:

a. Homerus summus sine omni controversia (teste ipsomet Cicerone in Tusculanis QQ. L. V.) pictor poëticus Iliad. XX. rabiem vulnerati leonis sic nobis exhibet:

— — — — — — *Leo veluti*
*Noxius, quem qui interficere parant*
*Congregati omnis populus; hic autem primum quidem contemnens*

*Incedit, sed quando quis bello-velocium juvenum*
*Hasta petierit, convertitur hians: circumque spuma dentes*
*Oritur, inque ei pectore gemit validum cor.*
*Cauda vero lateraque & lumbos utrinque*
*Verberat: seque ipsum excitat ad pugnandum,*
*Oculis splendens autem recta fertur robore, si quem interficiat*
*Virorum, vel ipse trucidetur prima in turba.*

*Annot.* Animadverte, quam fere nullius in se, sed quam magni ad finem suum momenti circumstantias delegerit Poëta, ut rabiem leonis vivide sensibiliterque exhiberet. Nonne præsentem prope horres & expavescis leonem? exaltant autem imaginem: *incessus leonis contemnens, hians os, spuma in dentibus, cor gemens, cauda lumbos utrinque verberans, oculi splendentes, eruptio in venatores* &c.

b. Idem Homerus Iliad. VI. valedicentem uxori Andromachæ Hectorem describens, vide quibus circumstantiis picturam suam distinguat:

*Sic fatus filium suum prehendere cupiit illustris Hector,*
*At retro puer ad sinum bene cinctæ nutricis*
*Inclinatus est clamans, patris dilecti adspectum expavescens,*

Ti-

*Timens aes, & cristam ex equinis setis factam,*
*Horribiliter a summa galea nutantem advertens.:*
*At in risum erupit pater carus, & veneranda mater.*
*Statim a capite galeam abstulit illustris Hector,*
*Et hanc quidem deposuit in terra undique relucentem.*
*Sed hic suum dilectum filium, ut osculatus est, libravitque manibus* &c.

*Annot.* Quam tenera, quam suavis & simul quasi oculis aspectabilis est hæc scena, ad quam depingendam Poëta magno cum judicio obvias & naturales, sed tamen valde moventes circumstantias congessit: *timorem* pueri Astyanactis expavescentis, ad sinum nutricis refugientis & clamantis; *caussam timoris* hujus in puero: aes splendens galeæ, & præsertim cristam nutantem; tum *consequentia*: risum patris & matris; depositionem galeæ in terram, oscula filio libata, & librationem ejusdem.

c. Virgilius ut semper, ita in picturis quoque Homeri imitator eximius L. III. Georg. in descriptione certaminis curulis & equorum ad metam properantium ita egregie prorsus pingit:

*Nonne vides? cum præcipiti certamine campum*
*Corripuere, ruuntque effusi carcere currus;*

 *Cum*

*Cum spes arrectæ juvenum, exultantiaque haurit*
*Corda pavor pulsans; illi instant verbere torto,*
*Et proni dant lora: volat vi fervidus axis:*
*Jamque humiles, jamque elati sublime videntur*
*Aëra per vacuum ferri, atque assurgere in auras.*
*Nec mora, nec requies. At fulvæ nimbus arenæ*
*Tollitur: humescunt spumis flatuque sequentum.*

*Annot.* Deligit nimirum circumstantias, quæ imaginem suam extollant, ut: *effusi currus ruunt*, spes *arrectas* juvenum demonstrant *corda exultantia*, & tamen *pavore pulsantia*; juvenes *dant lora proni*; *axis fervidus volat*; *nimbus arenæ tollitur* &c. quibus omnibus efficit, ut & currus & equos, & carceres, & juvenes aurigantes victoriæque inhiantes, verbo: ut certamen curule coram intueri videamur.

d. Nihil minus illustris prioribus est pictura allegorica, qua idem Virgil. L. I. Aeneid. bellum olim cessaturum per Periphrasim splendidissime pingit potius quam dicit:

*— — — — Diræ ferro & compagibus arctis*
*Claudentur belli portæ: furor impius intus*

*Sæ-*

*Sæva ſedens ſuper arma, & centum vinctus ahenis*
*Poſt tergum nodis fremet horridus ore cruento.*

2. Claſſis altera comprehendit illud picturæ genus, cui efformando Poëta unam tantum alteramve forte circumſtantiam vel rei faciem, extantiorem tamen aliquam, ex pluribus ſegregatam exhibet (dum ceteras interim omittit vel occulit) eamque in tanta luce collocat, ut totius tamen vividiſſima aliqua imago oriatur, tanto fere ſemper jucundior, quod auditor eamdem ipſe divinatione & acumine ingenii ſui detegere ſibi videatur. Vide rem itidem exemplis aliquot:

a. Sic Virgil. L. II. Aeneid. ait:

*Laxat clauſtra Sinon: illos patefactus ad auras*
*Reddit equus, lætique cavo ſe robore promunt*
*Tiſandrus Sthenelusque duces, & dirus Ulyſſes,*
*Demiſſum lapſi per funem.*

*Annot.* Nimirum poſtremis verbis vividiſſime equi altitudo innuitur, ex quo non ſaltu deſiliri poterat, ſed fune demitti oportebat.

b. Eodem L. II. Aeneid. Virgil.

— — — — — — *Limina Veſtæ*

 *Ser-*

*Servantem, & tacitam secreta in sede latentem*
*Tyndarida aspicio: dant clara incendia lucem.*

*Annot.* Ut pictores imaginibus suis reflexam quandoque lucem admitunt, eodem modo Poëta hic itidem Helenæ ex flammis ardentis undique urbis lucem affundit, simulque illius metum a Græcis & Trojanis, susceptam propterea fugam, occultationem, trepidationem clarissime & quasi sub obtutum sistit.

c. Magnitudinem autem turpissimi gigantis Polyphemi considera, ut non Poëta per membrorum magnitudinem exprimat, non certo aliquo pedum aut orgyarum numero dimetiatur, sed auditoribus æstimandam ostendat, per antrum, quo quiescit; alias per baculum, quo nititur, & quo coecitatem suam regit; & denique postremo per ingressum in mare. Ita vero citatis diversis tribus locis pingit Poëta Aeneid. III.

*Nam simul expletus dapibus, vinoque sepultus*
*Cervicem inflexam posuit, jacuitque per antrum*
*Immensus.*

Et inferius:

*Vix ea fatus erat, summo cum monte videmus*

Pa-

*Pastorem Polyphemum, & littora nota petentem:*
*Monstrum horrendum, informe, ingens, cui lumen ademtum est;*
*Trunca manum pinus regit, & vestigia firmat.*

Et tandem adhuc:

*Dentibus infrendens gemitu: graditurque per æquor*
*Jam medium, necdum fluctus latera ardua tinxit.*

d. Sic adhuc idem Virgilius simul molem saxi, quod Turnus in Aeneam contorsit, simul vires jacientis insinuaturus, L. XII. Aeneid. ait:

*Saxum antiquum ingens, campo quod forte jacebat*
*Limes agro positus, litem ut discerneret arvis.*
*Vix illud lecti bis sex cervice subirent,*
*Qualia nunc hominum producit corpora tellus,*

*Annot.* Judica de saxi magnitudine, quod vix duodecim electi homines elevent; & de Turni item robore, qui solus saxum tale & sustulerit, & projecerit.

f. Rectissime vero artis præceptores censent, omne genus colorum picturis pëticis necessarium præsertim ex epithetis enasci, ac eorum

rum proinde summam, circumspectissimam sollicitudinem habendam esse.

*Annot.* Observarunt Eruditi, in usu epithetorum situm esse totum discrimen inter picturas Homeri & Virgilii, utriusque sane elegantissimas & in suo quasque genere summas. Cum enim Homerus in exponendis circumstantiis, quæ picturis suis actionem vitamque impertiuntur, accuratus fususque sit; Virgilius contra pressior est ope epithetorum, quæ formas & circumstantias rerum declarant; artificis ita majoris speciem præferens, cum sublimitate & nitore colorum id præstet, quod Homerus delectu cogitatuum cum simplicitate naturali conjunctorum efficit.

g. Quemadmodum autem epitheta ea fugienda esse alias jam monuimus, quæ otiosa in oratione censeri poterunt; ita quæcunque vel ad efficaciam expressionis aliquo modo facient, vel ornatum poëticum augebunt extollentque, minime otiosa dici debere, neque adeo parce, sed largiter affigenda esse judicabimus.

h. Triplici porro modo ad efficaciam vel ornatum conferre intelligemus epitheta:

1. Si epitheta servient ad res vivide quasi oculis subjiciendas, unde omnis verisimilitudo picturarum poëticarum pendere consuevit. Hujus generis infinita sunt exempla apud Poëtas classicos, præsertim apud summum epithetorum artificem Virgilium, ut: *fraena spumantia mandit*; *stridentia tingunt*

*gunt æra lacu; tenaci forcipe; pendentes scopuli; pars in frusta secant, verubusque trementia figunt* &c. profecto nihil his coloribus lucidius, nihil significantius.

a. *Annot.* Sicubi, certe summo artificio & judicio in certaminis curulis descriptione paullo hic superius ex Georg. III. allata reperies dispensata epitheta, quibus quasi totidem lucidissimis coloribus imaginem eam undique exsplendescere facit Poëta. Pervade singula: *Spes arrectæ*, id est, spes, quæ collo sublato desideratam rem prospectat. *Exultantia corda*, quo epitheto internam cordis lætitia pleni constitutionem aperit. *Pavor pulsans*, spes subinde metu interturbata. *Verbere torto, proni in lora*, situm aurigantium sub oculos pene sistit. &c.

b. Homerus frequentissime ad efficaciam ornatumque rerum, quibus immorari nolebat, quasi in transitu exprimendam, pro græcæ linguæ genio epitheta composuit, picturisque suis immiscuit; quod etsi latina lingua non item facile ferat, tamen id ipsum non infeliciter Virgilius sæpiuscule tantavit, cujusmodi sunt: *malesuada fames*; *auricomi rami*; *fumigera nox*; *silvicolæ Fauni*; *caprigenum pecus*; *velivolum mare*; *coniferæ cyparissi*; *Palladis armisonæ*; *navifragum Scyllacæum*; *lanigeras pecudes* &c. in quo tamen imitationis genere tirones oportebit esse abstinentissimos.

2. Si epitheta magnitudinis speciem augebunt.

Ita Aeneid. VIII. *Vulnificusque chalybs vasta fornace liquescit. Ingentem clypeum informant, unum omnia contra tela Latinorum,*

Nimirum *vaſta* fornace opus erat ad informandum *ingentem clypeum;* ingenti vero clypeo *contra omnia Latinorum tela.* Sic item Aeneid. II. ad equum inſtar montis ædificandam non ſimplici aliqua, ſed *divina Palladis arte* opus erat &c. Sic denique Aeneid. IV. *Duris genit te cautibus horrens Caucaſus*, ait Dido, ut & iræ ſuæ magnitudinem, & inexorabilem Aeneæ firmitatem exprimeret.

3. Si epitheta ad conciliandam imagini admirabilitatem valebunt, id quod fere fit, cum ideæ duæ contrariæ aut ſaltem diverſæ in eamdem imaginem componuntur. Sic Homerus dixit *horrentes Veneres : ſic ſeges clypeata virorum* apud Ovid. Metamorph. L. III.

*Spargit humi juſſos, mortalia ſemina dentes.*
*Inde (ſide majus) glebæ coepere moveri,*
*Primaque de ſulcis acies apparuit haſtæ :*
*Tegmina mox capitum picto nutantia cono,*
*Mox humeri, pectusque, onerataque brachia telis*
*Exiſtunt : creſcitque ſeges clypeata virorum.*

a. *Annot.* Non defuerunt magni nominis Critici, qui epitheton iſtud Ovidianum : *clypeata ſeges*, ſevera admodum virga cenſoria notarunt, ac vix a nota inſenſati vindicari paſſi ſunt ; ſed recte animum attendenti, præſertim præmiſſa tanta præparatione, quam locus ſupra ſcriptus integer exhibet, immerita liquido videbitur.

Mo-

b. Monendi tamen & præmuniendi ſunt tirones noſtri, nullibi frequentius epitheta tertiæ iſtius claſſis occurrere, quam apud Poëtas ſequiorum temporum & ſequioris cenſus, qui paſſim has admirabilitatis delicias avide conſectati ſunt, & inepte in Poëſes ſuas infarſerunt. Sunt claſſis iſtius fere omnes Poëtæ Romanenſes dicti.

# CAPUT III.

## *De Diſpoſitione & Pronunciatione Poëtica.*

### I. *De Diſpoſitione.*

a. Quoniam inelegans & horridum eſt, quidquid ordine caret, dubitari non debet, Poëticæ item eloquentiæ eo magis ordinem aliquem eſſe neceſſarium, quod fere tota ad delectandum, ac proinde ad elegantias & amoenitates nata ſit.

b. Quare poſt ſumtam caute, verſatamque materiam, poſt conquiſita & reperta neceſſaria fictionis elocutionisque themata, nunc ſedulo Poëtæ in id erit incumbendum, ut & meliora convenientioraque eorum deligat, quæ magno fortaſſis numero oblata ſibi ſunt, & de delectis rite atque loco ſuo collocandis provide ſtatuat.

*Annot.* Erit fortaſſis longe facilius artis caput, multa in rem propoſitam invenire & congerere,

quam

quam multam penum collectam ſagaciter ſortiri, & minus opportunis rejectis prudenti oeconomia & inexorabili ſeveritate delectum inſtituere: adeo nempe amor proprius periculi plenum ſaxum eſt, in quod juventus incautior plerumque illiditur: de quo proinde ſerio & mature commonefacienda erit.

c. Ordinis porro poëtici, quo res delectæ collocentur, rationem penitus omnem ex ſapientiſſimo Horatii præcepto interpretabimur, qui de Arte ita canit:

*Ordinis hæc virtus erit, & Venus, aut ego fallor:*
*Ut jam nunc dicat, jam nunc debentia dici*
*Pleraque differat, & præſens in tempus omittat.*
*Hoc amet, hoc ſpernat promiſſi carminis auctor.*

*Annot.* Licet exemplo ab uſu vitæ quotidianæ deducto præceptionem Horatianam in gratiam tironum Poëtarum ſic illuſtrare: Tumultus in urbe exiſtit, pugna orta eſt inter viros duos tresve, pugnis primum, mox armis confligitur. vulneratus eorum eſt unus & collapſus, reliquis duobus conflictu adhuc occupatis, accurrunt cives, foeminæ &c. ſingillatim primum, mox turmatim ſpectatores coram futuri. Pro ſingulis illorum accurrentium eó demum momento principium poëticum actionis collocandum eſt, quo ſpectator advenit, oculis coram, quæ aguntur, uſurpans: tum demum fortaſſis ſpectatorum plures de ſeparandis interim partibus, de ope vulnerato advocanda, aut læſo in locum opportunum tansferendo; fortaſſis etiam de vulnerantibus caute interim cuſtodiendis tractare aggrediuntur. Sed denique quod principio ſpectaculi ſui nondum de initio tumultus, de cauſſis aliisque

isque circumſtantiis quispiam quærit, id mox a ſpectaculo nonnihil otioſi requirunt, & narratione docentur.

d. Itaque alius quidem ordo rerum naturalis conſiderari debet; alius artificialis: quorum priori Hiſtorici ac Rhetores adſtricti erunt; poſterior autem Poëtarum proprius cenſebitur. Et quidem

1. *Naturalis ordo* appellatur, qui res ea naturæ, temporis, actionumque ſucceſſione proponit, qua geſtæ ſunt, aut geri ordinarie conſueverunt.

2. *Artificialis ordo* contra eſt, qui etſi pro ſucceſſionis circumſtantiarumque naturalium ratione perturbatus videatur, tamen accommodate ad finem Poëtæ poſtrema mediis, media primis ſic remiſcet, ut elegantiſſimus inde aliquis ordo totius exiſtat.

*Annot.* In exemplo paullo ante allegato diſcrimina ordinis utriusque ſic intuere: *Ordo naturalis* non a tumultu, non a pugna, ſed a pugnæ cauſſis principium tractationis ſuæ repetet; *Ordo artificialis* autem ab eo momento initium ſumet, cum ſpectator advenit; medium prope ita ordinis naturalis ingreſſus, nempe poſt vulneratum jam unum; poſtremo autem, ſi conducere viſum fuerit, id narratione exequetur, quod primum in naturali rei ordine offerebatur, pugnæ videlicet cauſſas, pugnam ſuſceptam, tumultum conſecutum, ſpectatores concurrentes, &c. Hoc nimirum eſt, quod tantopere in Homero extollit Horatius de Arte;

— — — — — — *In medias res*
*Non secus ac notas auditorem rapit; & quæ*
*Desperat tractata nitescere posse, relinquit.*

e. Porro hic ipse ordo artificialis bifariam in Poëtica expendendus est; regnat quippe in materia seu fictionis compositione, & tandem in elocutione seu propositionis serie.

1. Summa igitur tota ordinis in quocunque opere poëtico concinnando eo recidet, ut dextre definiatur: quod principium operis esse deceat? quod medium? quem denique finem? Cum enim omnis Poësis totum aliquod esse debeat; juxta Aristotelem autem de Poëtica c. 7. totum tribus istis necessario concludatur; hæc sollicite circumspicienda & coordinanda sibi esse facile intelliget Poëta noster, ut juste constituta sit fabula.

*Annot.* Aristoteli loco mox citato *Principium* est, quod aliud quid ante se necessario non habet: post se autem aliud naturaliter desiderat; *Finis* contraria ratione, qui post se nihil, ante se vero naturaliter petit alia; *Medium* tandem, quod & ante se aliqua, sed non minus post se alia expetit. Ad hæc proinde si Poëta, ut oportet, attendat animum, diligenterque materiam omnem suam secum perputet, vix labi poterit in statuendo: ubi incipiendum, finiendumve sit, aut quæ medium aptius locum sint occupatura, primis æque ac postremis debite cohærentia.

2. Con-

2. Conſtituto rite ordine hoc artificiali in fictione ſeu materia carminis, ordo elocutionis deinceps non multum morabitur Poëtam, quemadmodum perſpicaciſſimus omnis Poëticæ Præceptor Horatius ſupra citatus animadvertit:

— — — — *Cui lecta potenter erit res,*
*Nec facundia deſeret hunc, nec lucidus ordo.*

Neque enim dubitabit, eamdem ſibi ordinis libertatem competere in elocutione, qua in inventione uſus eſt, modo accurate ad ſuavitatem delectationemque ordinare noverit omnia.

*Annot.* Cum libertatem nominamus, nequaquam temere, ſine ordine, ac excuſſis omnibus, ut ajunt, frenis evagari Poëtæ licitum eſſe dicimus. Sit ſane verum, abripi nonnunquam Poëtas Entheo quodam & furore, non vinculorum, non legum patientes eſſe, ac præſtantiſſimum quemque artis præceptiones inſuper habere; ſed nempe divino ſolum afflatu, ut ajunt, & ſacro quodam, non fero impetu incitatos a regulari quidem ordine aliquando recedere, non tamen omnem & quemcunque ordinem negligere, aut promiſcue confuſeque, quidquid in buccam venerit, effutire libertatis poëticæ eſſe arbitrabimur.

£. Ceterum, quem Oratores elocutionis ordinem a natura didicerunt (ut alibi explicatum eſt) & quem omnem quatuor præcipuis capitibus comprehenderunt, eum Poëta item non reſpuit

ſpuit, ſed pro ingenua libertate ſuum non raro facit, ſic tamen: ut quoniam imitator elegantioris naturæ eſt, pro re nata modo dictorum capitum ordini ſe undequaque conformet, modo illorum aliqua transponat, vel penitus repudiet, prout ad cultum, ſuavitatem, & delectationem magis conferre judicaverit.

*Annot.* Notiſſima, in quibus ordo eloquentiæ oratoriæ vertitur, capita ſunt: *Exordium*, *Narratio*, *confirmatio*, & *Epilogus.* Horum uſum, modo univerſorum, modo aliquorum a Poëtis pro lubitu adſcitum fuiſſe deprehendimus, ſi opera eorum meditate inſpicere libebit. Verum hæc ſingillatim nonnihil conſiderare expediet.

1° *Exordium.* Hæc pars ſæpe adbibetur a Poëtis, non raro prætermittitur. Minima quidem opera poëtica perpetuo carent hac præparatione animorum, quia per ſe ipſa & facillime & ſimul breviſſime in animos illabuntur; in majoribus autem fere frequentius ex abrupto & ab affectu aliquo, quam legitima Exordia præfiguntur, id quod præcipue & plerumque in Odis uſuvenit, quas majori fere ſpiritus ardore ſcribere, & in mediam proinde rem ſtatim non tam ingredi, quam involare cenſueverunt Poëtæ. In Dramatis Prologi; in Epopoeis Propoſitiones frequentiſſime, aliquando item Invocationes Exordiorum vice funguntur. Eſt enim Propoſitio pars Exordii,

dii, ad docilitatem attentionemque conciliandam nata; Invocationibus autem Poëtarum Propoſitiones contineri manifeſtum eſt. Horum generum omnium varia exempla inſpice:

Apud Virgil. L. I. Aeneid.

*Ille ego, qui quondam gracili modulatus avena*
*Carmen; & egreſſus ſilvis, vicina coëgi,*
*Ut quamvis avido parerent arva colono:*
*Gratum opus agriculis: at nunc horrentia Martis*
*Arma virumque cano, Trojæ qui primus ab oris*
*Italiam fato profugus, Lavinaque venit*
*Littora* &c.

Vides nimirum hic Propoſitioni innexum Exordium a perſona Poëtæ deductum.

Apud Claudian. de Rapt. Proſerpin.

*Inferni raptoris equos, afflataque curru*
*Sidera tænario, caligantesque profundæ*
*Junonis thalamos audaci promere cantu*
*Mens congeſtat jubet. Greſſus removete profani,*
*Jam furor humanos noſtro de pectore ſenſus*
*Expulit, & totum ſpirant præcordia Phoebum &c.*

Rurſum hic cum Propoſitione excitari attentionem obſerva, petitam a perſona Poëtæ divinitus ad cantandum inſtincti.

Plautus & sæpe alibi, & in Amphitruone Prologum Exordii loco præmittit, in quo dociles reddit Spectatores de personis in fabula agentibus, de loco actionis, & aliis circumstantiis:

*Hanc fabulam hic Jupiter hodie ipse aget,*
*Et ego cum illo. Nunc vos animum advertite:*
*Hæc urbs est Thebæ: in illisce habitat ædibus*
*Amphitruo, natus Argis* &c.

Iterum Virgilus Eclogam VI. a persona sua & Mæcenatis sui exorditur, priusquam ad argumenti Ecloga contenti Propositionem & Narrationem accedat:

*Prima Syracosio dignata est ludere versu*
*Nostra, nec erubuit silvas habitare, Thalia.*
*Cum canerem reges & prælia, Cynthius aurem*
*Vellit, & admonuit: Pastorem Tityre pingues*
*Pascere oportet oves, deductum dicere carmen.*
*Nunc ego (namque super tibi erunt, qui dicere laudes*
*Vare tuas cupiant, & tristia condere bella)*
*Agrestem tenui meditabor arundine Musam.*
*Non injussa cano: Si quis tamen hæc quoque, si quis*
*Captus amore leget: Te nostræ Vare myricæ,*
*Te nemus omne canet: nec Phoebo gratior ulla est*

Quam

*Quam sibi, quas Vari præscripsit pagina nomen.*
*Pergite Pierides. — Chromis & Mnasilus in antro*
*Silenum pueri somno videre jacentem &c.*

Aliquando ipsi Exordio præter Propositionem Partitionem quoque copulant. Sic Virgil. L. II. Georgicor. Exordio brevissime ab anteactis ducto statim implicat Propositionem cum Divisione:

*Hactenus arvorum cultus, & sidera coeli:*
*Nunc te Bacche canam, nec non silvestria tecum*
*Virgulta, & prolem tarde crescentis olivæ.*

Ex abrupto sæpius orsus est Horatius, ut:

*Eheu fugaces Posthume! Posthume!*
*Labuntur anni.* Carmm. II. 14.
*Natis in usum lætitiæ scyphis*
*Pugnare Thracum est.* Carmm. I. 27.
*Quid dedicatum poscit Apollinem*
*Vates?* Carmm. I. 31. &c.

Nonnunquam tamen etiam justum reperias Exordium, ut Carmm. I. 15. Trojæ calamitates & excidium cantaturus a Narratione orditur Nerei ventos omnes subito reprimentis, ut & futura caneret, & quæ præmonebat, perciperentur:

*Pastor cum traheret per freta navibus*
*Idaeis Helenam perfidus hospitam,*

*Ingratoq celeres obruit otio*
*Ventos, ut caneret fera*
*Nereus fata* &c.

Tale eſt item Carmm. I. 24. de morte Quintilii Vari:

*Quis deſiderio ſit pudor aut modus*
*Tam chari capiti? Præcipe lugubres*
*Cantus Melpomene; cui liquidam pater*
*Vocem cum cithara dedit.* &c.

a. *Annot.* Qualecunque & cujus demum cunque generis Exordium a Poëta adhibebitur, ex iisdem fontibus cum Oratoria repetendum, & ad easdem leges exigendum erit, quæ alias Exordiis præfinitæ ſunt.

b. Ea vero monitio de exordiendo præ reliquis longe efficacius inculcanda juvenibus, ut ne vel longe arceſſita, vel grandiora conſectentur Exordia; quorum primis ſe infeliciter irretiant, poſterioribus tandem ad humilia miſere deſciſcant. Sapienter de hoc & conceptis verbis iterum cavet Horatius in Arte:

*Nec ſic incipies, ut ſcriptor cyclicus olim:*
Fortunam Priami cantabo, & nobile bellum.
*Quid dignum tanto feret hic promiſſor hiatu?*
*Parturiunt montes: naſcetur ridiculus mus,*
*Quanto rectius hic, qui nil molitur inepte:*
Dic mihi Muſa virum captæ poſt tempora Trojæ,
Qui mores hominum multorum vidit & urbes.
*Non fumum ex fulgore, ſed ex fumo dare lucem*
*Cogitat, ut ſpecioſa dehinc miracula promat.*

*Propoſitio* iisdem cum Exordio, cujus pars iſte legibus tractata reperitur apud Poëtas,

mo-

modo aperte Exordio adjuncta, alias eidem implicita, nonnunquam in Exordii locum substituta, aliquando penitus sic suppressa, ut tamen ex ipsa tractatione facile innotescat.

a. *Annot.* In Epicis prope semper apertas principio poëmatum Propositiones invenies apud Homerum, Virgilium, Lucanum, Statium, Claudianum &c. apud Homerum etiam Invocatione continuo permixtas, nonnunquam in Bucolicis quoque, rarius in Elegiacis, in Satyris aliquando. Ita videlicet Horat. Serm. I. 1. totius Satyræ argumentum proponit:

*Qui fit Mæcenas, ut nemo, quam sibi sortem*
*Seu ratio dederit, seu sors objecerit, illa*
*Contentus vivat: laudet diversa sequentes?*

Et apud eumdem Horat. Serm. II. 2.

*Quæ virtus, & quanta, boni, sit vivere parvo*
— — — — — — — — —
*Discite* — — — — — — —
— — *hic impransi mecum disquirite* &c.

b. Id in poëticis Propositionibus apud Lyricos peculiare est, quod modo præmissa, modo ad finem rejecta, interdum etiam in medium illata deprehendatur:

Principio Propositionem oblatam vide in exemplum apud Horat. L. I. Carm. Od. 22.

*Integer vitæ scelerisque purus*
*Non eget Mauri jaculis neque arcu.*

Item L. II. Od. 3.

*Aequam memento rebus in arduis*
*Servare mentem, non secus in bonis* &c.

In fine adjunctam epilogi loco videbis L. I. Od. 24.

*— — — Levius fit patientiæ*
*Quidquid corrigere eſt nefas.*

Et L. IV. Od. 12. ad Virgil. lectiſſimam invitationem concludit propoſitione primaria :

*Dulce eſt deſipere in loco.*

Rurſus L. II. Od. 10. non niſi poſt præmiſſam ſimilitudinem maris alti & littoris Propoſitionem de mediocritate diligenda principale Odæ argumentum effert :

*Rectius vives, Licini, neque altum*
*Semper urgendo; neque, dum procellas*
*Cautus horreſcis, nimium premendo*
*Littus iniquum.*
*Auream quisquis mediocritatem*
*Diligit, tutus caret obſoleti*
*Sordibus tecti, caret invidenda*
*Sobrius aula,* &c.

*Invocatio* pars Propoſitionis eſt, ut jam inſinuavimus, aut Propoſitionis nonnunquam vicaria, Poëtis epicis præcipue in uſu poſita; ſed a ceteris quoque non raro frequentata. Cum enim Poëtæ Numine quodam pleni reputarentur, & Divini propterea dici ſolerent ac amarent, Invocationibus hujusmodi opinionem de ſe conceptam ſtabilire, ſimulque de difficultate operis ſuſcepti, ad quod perficiendum peculiari Coeleſtium ope indigerent, perſuadere populis maluerunt. Neque principio tantum ſuorum poëmatum, ſed in decurſu quoque, quoties gravior, admirabilior, aut impeditior aliqua difficultas narranda offerebatur,

ad

ad formulas iſtius generis renovandas recurrerunt, ut obſervavit Quintil. L. III. c. 9. Sic nimirum

Homerus in Iliadis L. I.
*Iram cane Dea, Pelidæ Achillis.*

In Odyſſea idem L. I.
*Virum dic mihi Muſa verſutum, qui valde multum*
*Erravit, poſtquam Trojæ ſacrum oppidum diripuit;*
*Multorum autem hominum vidit urbes, & mores novit.*

Virgilius Aeneid. I.
*Muſa mihi cauſas memora: quo numine læſo,*
*Quidve dolens regina Deum tot volvere caſus*
*Inſignem pietate virum, tot adire labores*
*Impulerit?*

Idem Eclog. 4.
*Sicilides Muſæ, paullo majora canamus.*
*Non omnes arbuſta juvant, humilesque myricæ.*

Et idem Eclog. 10.
*Extremum hunc Arethuſa mihi concede laborem.*

Idem Georg. I.
Invocat *Bacchum, Cererem, Faunos, Dryades, Neptunum, Pana, Minervam* &c.
*Da facilem curſum, atque audacibus annue coeptis.*

Georg. II. idem adhuc Virgilius:
*Huc pater o Lenææ veni: nudataque musto*
*Tinge novo mecum arreptis crura cothurnis.* &c.

Aeneid. VI. Virgilius aggressurus Inferorum descriptionem:
*Dii, quibus imperium est animarum, umbræque silentes,*
*Et Chaos, & Phlegeton, loca nocte silentia late!*
*Sit mihi fas audita loqui: sit Numine vestro*
*Pandere res alta terra, & caligine mersas.*

Aeneid. VII. belli Italici originem & effectus narraturus Virgilius:
*Tu vatem, tu Diva mone: dicam horrida bella,*
*Dicam acies, actosque animis in funera reges,*
*Tyrrhenamque manum, totamque sub arma coactam*
*Hesperiam. Major rerum mihi nascitur ordo,*
*Majus opus moveo* &c. &c.

Horatius pariter Carmm. L. III. 4,
*Descende coelo, & dic: age tibia*
*Regina longum Calliope melos. &c.*

2. *Narratio* pars Poëseos eo magis necessaria est, quod frequentissime vel ipsi Poëtæ narrandum sit pro munere suo, vel narran-

rantes inducendi. Quare dotes virtutesque bonæ Narrationis omnes, quas alibi tradidimus, præ oculis identidem habere debet, illamque præterea, ut ornamentis propriis distinguendam esse orationem poëticam, meminerit.

a. *Annot.* Ornamentorum propriorum nomine non solum ea peculiaria Narrationum decora intelligimus, quæ ad stili poëtici ab oratorio differentiam pertinent, puta: affectus varios, comparationes, similitudines, descriptiones, imagines & picturas &c. sed ordinis præcipue artificialis in narrando rationem observari volumus, & congruenter ad hunc ordinem principium, medium, ac finem Narrationis assignari, sine quorum observatione Narratio poëtica delectabilis, quod debet, nulla esse potest. Itaque cautissime ante omnia de principio Narrationis suæ sollicitus justum inchoandi punctum speculabitur, memor perpetuo Horatii in Arte præcipientis:

*Nec reditum Diomedis ab interitu Meleagri,*
*Nec gemino bellum Trojanum orditur ab ovo.*
*Semper ad eventum festinat:*

b. Virgilius quam jucunde suaviterque Narrationem laborum Aeneæ sui non a Troja eversa, sed post commemoratas odii a Junone in Trojanos suscepti caussas a navigatione ex Sicilia in Italiam incipit: *Vix e conspectu Siculæ telluris in Altum vela dabant* &c. tum naufragio facto Carthaginem delatus Aeneas ibi ex jussu desiderioque reginæ Didonis in convivio ea omnia narrando resumit, quæ sibi ab incendio Trojano usque ad adventum in Lybiam acciderant. — Sic idem Poëta, cum naves L. IX. Aeneid. a Turno incenduntur,

tum demum narrat fabricatas illas fuiſſe in Ida monte, iisque Troja profectum Aeneam id Italiam, quod L. III. in narratione ſua reticuerat Aeneas.

e. Finem Narrationum, præſertim epicarum, memorabili aliquo exitu concludi fere in more poſitum eſt apud Poëtas. Aeneis Virgilii morte Turni, Homeri autem Ilias Hectoris cæde clauditur. Imo obſervatum eſt, Virgilii libros Aeneïdos plerosque inſignis alicujus perſonæ interitu terminari: Creuſæ, Anchiſæ, Didonis, Palinuri, Mezentii &c. &c.

3. *Confirmatio* peculiare apud Poetas vix habet aliquid; neque enim Poëta, quamvis magna libertate alias gaudens, temere & ſine ratione proferre quæcunque poteſt, ſed ad fidem faciendam Poëta item, ut Orator, adſtrictus eſt; niſi, quod illi in delectando omnis & præcipua ratio poſita eſt, & ad delectandum referri tota debet, cum Oratores ante alia omnia revictionem & perſuaſionem reſpiciant. Itaque apud Poëtas frequentes occurrunt tractationes locorum: a *ſimili*, *comparatione*, *effectis*, imo & a *notatione* & *conjugatis* &c. Amplificationes autem & motus animorum pagina omnis poëtica exhibet. Utriusque exempla c. II. hujus Partis allata ſunt.

*Annot.* In Epopoeis Narratio Confirmationis locum occupat, & poſterior non raro immixta ſolum, & undequaque diſperſa deprehenditur.

4. *Epilogus* palam ac apertus rarior eſt. Epica enim omnis & Dramatica in actione ſi-

ta

ta tum cessat, cum actio personæ principalis cessat, ut infra videbimus. Dum Turnus occiditur, Aeneis desinit: Ilias ob funus Hectoris; Andria Terentii, cum Glycerium inventa est civis Attica &c. In Elegiacis tamen, Satyricis, & Lyricis retecta sæpe est concludendi ratio; imo nonnunquam vel in heroicis etiam Poëtis patentiores offeruntur clausulæ.

Virgilius Georgica sic finit:

*Hæc super arvorum cultu, pecorumque canebam,*
*Et super arboribus, Cæsar tum magnus ad altum*
*Fulminat Euphratem &c.*

Ovidius Metamorphosibus suis hunc Epilogum subjunxit:

*Jamque opus exegi, quod nec Jovis ira, nec ignes,*
*Nec poterit ferrum, nec edax abolere vetustas.*
*Cum volet illa dies, quæ nil nisi corporis hujus*
*Jus habet; incerti spatium mihi finiat ævi:*
*Parte tamen meliore mei super alta perennis*
*Astra ferar, nomenque erit indelebile nostrum.*
*Quaque patet domitis Romana potentia terris,*

Ore

*Ore legar populi, perque omnia ſæcula fama,*
*Si quid habent veri vatum præſagia, vivam.*

*Annot.* Diverſa plane ab Oratoribus uſitata Poëtis eſt concludendi ratio; neque enim horum epilogus ſecundum leges Oratorum vel enumerationem habet, vel amplificationem: quæ partes penitus hujus loci non ſunt apud Poëtas; ſed aut ſententia aliqua, aut ſimplici, nuda, & ad rem accommodata propoſitione breviſſime claudunt.

Ita apud Horat. Carmm. I. Od. 3.

*Coelum in ipſum petimus ſtultitia, neque*
*Per noſtrum patimur ſcelus*
*Iraçunda Iovem ponere fulmina.*

Et L. I. 7.

*O fortes pejoraque paſſi*
*Mecum ſæpe viri, nunc vino pellite curas:*
*Cras ingens iterabimus æquor.*

Iterum L. II. 3.

*Omnes eodem cogimur: omnium*
*Verſatur urna; ſerius, ocyus*
*Sors exitura & nos in æternum*
*Exilium impoſitura cymbæ.*

Denique Sermm. L. I. Satyr. I.

*Iam ſatis eſt: ne me Criſpini ſcrinia lippi*
*Compilaſſe putes, verbum non amplius unum.*

Eodem L. I. Satyr. 9.

*Oppono auriculam. Rapit in jus: clamor utrinque,*
*Undique concurſus. Sic me ſervavit Apollo.*

Rurſ. L. I. Satyr. 10.

*I puer, atque meo citus hæc ſubſcribe libello.* &c.

Et adhuc L. II. Serm. Satyr. 5.

— — — — — — — — *Sed me*
*Imperioſa trahit Proſerpina; vive, valeque.*

II. *De Pronunciatione.*

a. Quidquid ſeu regularum ſeu conſiliorum de Pronunciatione oratoria ejusque ſubſidiis memoria,

moria, voce, & geſtu traditum eſt, id omne huc ad Pronunciationem quoque poeticam transferendum eſt.

b. Verum id præterea adoleſcentibus noſtris ſolerter erit præcipiendum, ut ne poeticas Pronunciationes, imo ne recitationes quidem unquam verſibus & pedum poeticorum numero dimetiantur, ſed ad interpunctionum ſenſusque rationem peragant.

*Annot.* Ita nimirum ſubſcriptos e. g. verſus Virgilii ex Georg. II. nequaquam ad ſingulorum verſuum finem aliquantum pauſando; ſed pro ratione ſignificatus & grammaticæ interpunctionis ſic recitando dispunges, quemadmodum verſibus inſertæ lineolæ notant:

*Principio arboribus varia eſt natura creandis. —*
*Namque aliæ — (nullis hominum cogentibus) — ipſæ*
*ſponte ſua veniunt, — camposque & flumina late*
*Curva tenent, — ut: molle ſiler — lentæque geniſtæ, —*
*Populus — & glauca canentia fronde ſalicta. —*
*Pars autem poſito ſurgunt de ſemine, — ut altæ*
*Caſtaneæ, — nemorumque Iovi quæ maxima frondet*
*Aeſculus, — atque habitæ Grajis oracula quercus.* &c.

c. Adde, in Pronunciatione poetica non minus, quam in compoſitione ſuavitatem & harmoniam deſiderari, ac proinde tonos etiam rebus & affectibus ſingulis attemperandos, atque adeo exaltationes & depreſſiones varii generis, intenſiones ac remiſſiones vocis &c. diſpenſandas eſſe; univerſe autem cantum quemdam & melos exiſtere debere: neque enim

alio

alio fine veteres Poeticæ præceptores Melodiam inter partes Poeticæ recensuisse putandi sunt.

1. *Annot.* Vix dubitari jam hodie potest, apud Veteres hanmonicam pronunciationem in omni genere carminum usitatam fuisse, seu Poëtæ ipsi opera sua inter amicos privatim legerent, seu in eruditorum conventu recitarent, quod in porticibus solebant, seu denique coram totius populi Romani cœtu in theatris cani sinerent; quod florente deinceps imperio, cum Viri principes litterarum cultores ipsi & patroni facti sunt, ad captandam auram popularem sæpe factum legimus, & nominatim apud Tacit. L. de Oratoribus c. 13. ubi Virgilio, carmine illius recitato, universum populum Romanum in theatro assurrexisse, & pari prope veneratione observatum Virgilum Poëtam, qua Octavianum Augustum Principem, refert.

2. Ex harmonica ista Pronunciatione fortassis ortum duxit consuetudo in hodiernum diem adhuc superstes, ut quicunque horoicos versus pronunciassent, carmen *cecinisse*; qui ceterorum versuum autem genus aliquod protulissent, non cecinisse simpliciter, sed *lusisse* dicerentur propterea: quia postremo generi fere lyra, fides, aut cithara, instrumenta musica manibus tractari solita, adhibebantur, quæ vel canentibus præcinerent, vel certe accinerent: cum heroica contra voce humana canerentur simpliciter, vel certe ad tubam, uti primum sacerdotibus Martis in more positum erat.

d. Gestuum quoque non minorem in pronunciando Poëtis curam fuisse, quam reliquorum Pronunciationis subsidiorum, vel inde cre-

credere promtiſſimum eſt, quod viſa ſemper felicius in animum penetrent, quam audita ſolum.

*Annot.* In Tragoediis primum & Comoediis certum genus hominum induxerunt (Mimos & Pantomimos dictos) qui eadem, quæ carmine efferrentur, apta corporis actionumque conformatione ad ſonum tibiarum repræſentarent. Vel ad ipſas Deorum laudes cantu celebrandas actiones geſtusque hos propagatos fuiſſe, carmen ſæculare teſtimonio eſt, a 27. nobilibus pueris totidemque puellis in palatinis ædibus cantari inter tripudia ſolitum, ad quæ proinde rite obeunda Quindecemviri curandis his ſolemnibus electi juventutem deſtinatam inſtituebant.

e. Quin mimicæ repræſentationis tanta poſtremo tamque generalis viſa neceſſitas, ut ad omnem omnino pronunciationem poëticam pariter & oratoriam genus actionis mimicæ adjungeretur, maximo ſtudio cultum & provectum.

1. *Annot.* Itaque mimicæ repræſentationes iſtæ ſuas proprias periodos, ut Batteſius ait, ſuas figuras, ſuos affectus &c. habebant, unde eloquentia corporis quædam orta eſt, maxima æmulatione (ut notum) inter Ciceronem & Roſcium diſceptata. Eclogam certe VI. Virgilii (ſi Donato fides eſt) Mima Cytheris ſeu Lycoris publice pro theatro cantavit, intellige, geſtibus adhibitis.

2. Quæ propius ad peculiares geſtuum & actionum præceptiones pertinent, recoli poterunt ex Inſtitutionibus Oratoriis, ubi potiſſima huc ſpectantia in compendium coëgimus.

IN-

# INSTITUTIONUM POETICARUM

## PARS II.

### DE POESI IN SPECIE.

a. Species Poëseos Ariſtoteles de Poetica c. 1. enumerat quatuor: *Epopoeiam*, *Tragoediam*, *Comediam*, & *Dithyrambum*. Alii tribus generibus has quatuor ſpecies concludunt, nimirum genere *narrativo*, *activo* & *mixto*. Aut enim Poeta narrat ipſe, aut alios narrantes repræſentat, aut tandem utrumque conjungit, ut modo ſolus ipſe narret, mox alios narrantes exhibeat.

b. Nobis, quoniam ſimplicior ſtrictiorque diviſio Horatii in duo membra præplacet: *Aut agitur res in ſcenis, aut acta refertur*, de duplici hoc genere *Epico* & *Dramatico* duobus capitibus tractaturi ſumus; tum tertio autem *minora Poëticæ opera* exequemur, quæ ad alterutrum priorum referri poſſunt: atque ita propius intuebimur, quo pacto ad uſum applicari ſoleant, quas univerſe ſupra propoſuimus regulas.

CA-

# CAPUT I.

## De Epopeia.

a. Significatus vocis græcæ *Epos* (verbum) non ſolum a communi & vaga acceptione ad Poeticam translatus eſt, ſed in poëtico genere ipſo propter excellentiam & prærogativam ad verſum hexametrum, aliter etiam heroicum dictum, denominandum contractus fuit. Eſt itaque ſecundum vim nominis *Epopeia* fictio ſeu ſcriptio poëmatis epici; quod aliter etiam heroicum appellatur.

b. Præceptores artis veteres anxie, & ad obſcuritatem, ut rebantur, vitandam, juſto prolixius Epopoeiam ita definiverunt. *Epopoeia eſt imitatio actionis unius, totius, veriſimilis, illuſtris, felicis, a nobili perſona profectæ, narratione dramatica & verſu hexametro expreſſa, quæ viros principes ad primarias virtutes excitat.* Cujus definitionis voces prope ſingulæ aliam aliamque vel proprietatem vel dotem Epopoeia exprimunt.

c. Verum nihil minus accurata eſt, etſi paucioribus verbis concluſa Recentiorum præceptorum definitio, quæ Epopoeiam ait eſſe *narrationem poëticam actionis mirabilis.*

*Annot.* Nimirum cum *poëtica* dicitur, voce hac quidquid ad imitationem pertinet, comprehen-

 ditur;

ditur, ſimulque ab iis omnibus diſcrimen conſtituitur, in quibus veriſimilitudo quoquo modo negligitur, cujusmodi ſunt figmenta anilium & male conſarcinatarum Romanenſium ſabularum, voce *narrationis* autem a Dramate, quod totum in actione verſatur, quemadmodum per vocem *mirabilis* ſecernitur, tum ab hiſtoria, extra cujus fines mirabile ſitum eſt; tum ab aliis minoris cenſus poëticis elucubrationibus, quas ad mirabilitatem exurgere minime neceſſe eſt. *Actionis* tandem nomine principale Epopoeiarum objectum figitur.

2. Actio mirabilis poëtice narrata, ſeu opus epicum juſtum & totum *Poëma*; verſus autem hexameter, quo actio talis narratur, *heroicus* aliter vocari ſolet: quod ſcilicet omnis actio epica heroëm ſupponat, ſeu virum excellentem, cujus actio eſt, quæ cantu poëtico celebratur.

d. Quoniam Epopoeiæ, ut alia compoſita & artefacta omnia materiis & formis conſtant, proinde ad hæc duo capita monitiones univerſæ ac obſervationes diriguntur; quidquid de iſto Poëſeos genere præceptores commentati ſunt, commodiſſime propterea ad hæc ſuprema duo genera referimus item, de quibus tironi Poetæ noſtro ſeu in examinando, ſeu in componendo carmine epico ſolerter cautum volumus.

1. *Materia Epopoeia* igitur cujuscunque eſt actio, ſeu aliquod electione & conſilio ſuſceptum opus.

*Annot.* Cum actionem materiæ epicæ loco aſſignamus: & habitus virtutum, & affectiones quas.

quascunque seu animorum passiones ex materiæ epicæ numero excludimus, & deliberate rejicimus. Actionis porro, quæ Epopoeiæ apta sit, complures necessariæ dotes numerantur ab eruditis, videlicet:

2. *Unitas*, id est: actio simplex sit & indivisa; ab una primaria persona proveniens; ad unicum principalem finem sic ordinata ipsa, ut ad eam ordinentur ceteræ omnes tanquam actiones secundariæ, si quas adjungere visum fuerit. Fundatio imperii Romani in Italia, actio unica & principalis Aeneæ Virgiliani est, ceteræ omnes numero plurimæ, ut: itinera, naufragia, excidium Trojæ, descensus ad inferos, proelia &c. subordinatæ sunt, & ad finem principalem relatæ actiones.

1. *Annot.* Reprehenditur justissime de neglecta hac poëtica unitatis lege Statius, qui Achilleidis suæ materiam non herois istius actionem aliquam, sed omnem omnino vitam delegerit, postquam dudum olim Aristoteles Poët. c. 8. peccare eos pronunciavit, qui Herculis aut Thesei præclare gesta una Epopoeia celebrari posse putarent.

2. *Episodia* vocare præceptores consueverunt id genus actiones minores, quæ principali actioni subordinatæ & sic annexæ sunt, ut iis sublatis salva nihilominus remaneat principalis actio; & quæ mirifice tamen non ad ornandam solum & variandam, sed etiam

ad exaltandam Epopoeiam conferunt. Hujus generis in Aeneide sunt: Junonis aditus ad Aeolum, ludi ad patris tumulum instituti, Nisi & Euryali amicitia &c. quæ si tollas, perseverat nihilominus Aeneidis actio salva & imperturbata.

3. Hæc Episodia unitatem nequaquam vel tollunt, vel corrumpunt, si cautiones præscriptæ adhibeantur, quarum cautionum summa hæc est; a) Episodia ex principalis actionis circumstantiis fluant, ut ex ipsa re principali nata videantur, valde aliena autem vel longe petita ne tractentur. Hujus generis est apud Virgil. Aeneid. VIII. Episodium de Caco & Hercule Aeneæ instruendi caussa, qui sub ipso sacrificio Herculis adveniebat, opportunissime insertum; & L. VII. de cervo pastoris regii Tyrrhei, quem Julus in venatione occiderat; item L. XI. Pallantis cæsi ad parentem remissio. b.) Episodia sint eo breviora, quo magis a principali actione sejuncta videbuntur aliqua. c.) Episodia, ubicunque inserentur, ab antecedentibus juxta & Consequentibus diversa sint; sunt enim diverticula quædam variando operi adscita, ad quem finem alioqui non conducent.

b. *Integritas* altera actionis epicæ dos est, de qua nihil peculiare superest, quod hic addamus, postquam jam alibi, quid totum sit, appelleturve, ex mente Aristotelis explicuimus. Id iterum, ac sæpius tironibus inculcandum: ut accurate puncta actionis propositæ, in quo inchoandum, & in quo desinendum sit, investigent, figantque; media enim facilius

lius se ipsis constituentur. Non inepte aliqui per *initium* caussas & consilia suscipiendæ actionis intelligunt; per *medium* caussarum & consiliorum hujusmodi effectus, & effectibus identidem oppositas difficultates; denique per *finem* solutiones difficultatum & plenum ac expectatum actionis effectum accipiunt. Sit exemplum Aeneis:

1. *Initium.* Aeneas incensa Troja collecta Trojanorum superstitum manu ex jussu Deorum in eam regionem, unde Majores sui venerant, abire statuit.

2. *Medium.* Junone infesta infinitos terra marique labores objiciente tandem in Italiam appulsus cum Rutulis bellum grave gerit pro Lavinia sponsa & regno Italiæ obtinendo.

3. *Finis.* Aeneas singulari certamine Turnum occidit, simul bellum Italicum conficit, Laviniamque sponsam ac regnum obtinet.

*Annot.* Videas hinc, quam inutiliter & perperam Maphæus Aeneidem produxerit, & libro XIII. auxerit, in quo dolorem Rutulorum, Dauni luctum de morte cæsi filii Turni, nuptias Laviniæ & Aeneæ Apotheosin descripsit; in omnibus

nibus his ultra finem actionis epicæ Virgilianæ inconsulte evagatus.

c. *Verisimilitudo*, tertia epicæ actionis dos communis quidem materiæ epicæ cum aliis Poesibus, sed tamen tanto hic magis & peculiariter necessaria, quod actio epica ad imitationem virtutis accendendam destinata sit, ad quam verum non semper, verisimile autem perpetuo incitat. Quomodo enim verum, si vires humanas longissime superare videatur, ad sui imitationem suscipiendam alliciat?

d. *Dignitas* præter allatas dotes porro etiam in actione epica ab ipso Horatio conceptis verbis desideratur in Arte: *Res gestæ Regumque, Ducumque; & tristia bella*, ut nimirum & a personis illustribus profectum sit, quod ipsis præcipue imitandum proponitur, & ut actio ipsa præcellenti aliquo splendore elucescat. Primi generis Ilias & Odyssea Homeri sunt, viros principes utraque repræsentans; alterius autem Aeneis, quæ non illustres modo Trojanos offert, sed actionem etiam ab hominum memoria splendidissimam, fundationem scilicet Imperii Romani & religionis avitæ propagationem.

— *Dum*

— — — — *Dum conderet urbem,*
*inferretque Deos Latio: genus unde Latinum*
*Albanique patres, atque altæ moenia Romæ.*

e. *Felicitas* actionis postremo ipsa natura actionis epico carmini deputata comprehendi intelligitur, quoniam ea una dote penitus & perfecte a Tragoediæ materia distinguitur, quæ ad infelices exitus ordinatur.

2. *Forma Epopoeiæ* deinde illis verbis in definitione allata positis indicatur: actionis *mirabilis poëtica narratio.*

a. *Annot.* Cum enim forma illud recte dicatur, quo res unaquæque constituitur, & ab aliis secernitur, his autem verbis ea omnia perfecte exprimantur, quæ ad informandam tali modo actionem aliquam requiruntur, ut ad Epopoeiæ gloriam exurgat; minime dubium esse potest, quin hæc omnia formæ nomine censeri debeant.

b. Erit autem duplex formæ genus diligenter hic inspiciendum & segregandum, quorum alterum formam internam appellare, alterum externæ formæ nomine insignire fas sit.

1. Formam internam vocabimus ea omnia, quibus actio delecta in fabulam seu fictionem poëticam conformatur, & ad propositos Epopoeiæ fines adaptatur.

2. Forma externa autem nobis hoc loco erit elocutio, quæ fabulam epicam decenter con-

convestiet, atque auditoribus legendam & spectandam adeo exhibebit.

A. *Forma interna* itaque complectetur, quæcunque ad fabulam bonam & moratam effingendam seu ut proprietates, seu ut partes, seu ut dotes adhibentur, puta: Novum, verisimile, mirabile, implexio, peripetia, agnitio, solutio, ordo, magnitudo, characteres. At enim propius contemplemur singula:

a. *Novum* fictioni cuicunque inesse debere jam supra Part. I. c. 2. monuimus; huc proinde ad fabulam epicam traducenda erunt, quæ ibi explicata sunt.

b. *Verisimile* item superius traditum, ut anima est totius Poësis, & per omnem late Poëticam serpit, ita in fabula epica concinnanda præcipuum locum habet, & jugiter ante oculos est habendum in majoribus æque partibus, atque in minimis ornamentis.

c. *Mirabile* proprietas primaria est fabulæ epicæ, & character, quo a ceteris omnibus poeticis operibus differt. Ex mirabili enim admirationem, ex admiratione autem imitationem (qui Epicæ fines sunt) nasci passim contingit. Equidem sæpius citato c. 2. superius docuimus & naturam mirabilis, & modos complures, quibus fabulæ mirabiles effici valeant.

leant: ſed nimirum ea hic ad ſpeciem Epopoeia applicanda ſunt. Quare Mirabile epicum, quod actione contineri debet, in eo præſertim ſitum exiſtimabimus, ut ſuperioris ordinis poteſtates cum agentibus naturalibus conjungantur, unde mirabiles effectiones & converſiones extituræ ſunt, illaque poſtremo ſemper veritas manifeſte derivabitur: Omnia in mundo hoc pro Superorum, præſertim ſummi Dei, in omnes creaturas poteſtate & voluntate confici.

1. *Annot.* Artificioſiſſimam hanc Mirabilis fabulæ inſtructionem & agentium inferiorum ac ſuperiorum vices liquidiſſime fere per totius Aeneidis decurſum vide: Aeneas in Italiam ex Sicilia navigare contendit; mox Juno ope Aeoli tempeſtatem concitat. Miſere hac affliguntur Trojani; quibus tamen continuo opem adfert Neptunus ſedata tempeſtate, Trojani intrant portum Lybicum, & magno telluris amore egreſſi ſale tabentes artus in littore ponunt; Aeneas de omnibus neceſſariis diſponit, quodcunque prudentia humana permittere in his circumſtantiis poteſt. Interim Venus apud Jovem contra Junonem queritur, & ſolatium ac lætas promiſſiones refert. Aeneas exploraturus regionem, ad quam ejectus erat, a Venere Tyriæ virginis ſpecie obvia docetur de loci ſitu, & navium amiſſarum ſorte, ac poſtremo una cum Achate nebula concluditur. Mercurius ſub hæc a Jove Carthaginem ad emoliendum cor Didonis ablegatur, quæ Aeneam cum ſo-

fociis benevolentiſſime recipit, Venus per fraudem in locum acciti Juli Cupidinem ſubſtituit, qui Didoni amorem in Aeneam inſpirat, &c. Nimirum ex perpetua agentium ſuperiorum & inferiorum viciſſitudine ac mutuo nexu provenire Mirabile jucundiſſimum illud intueris, quo omnis Epopoeiæ caput conquieſcit.

2. Etſi Mirabile heroicarum fabularum neceſſaria exaltatio ſit, non tamen ad minutas quasque actiones aut ſus deque demittendum eſt, ſed in rebus maximi momenti tantum, & cum vires humanæ non ſuffecturæ putabuntur, applicandum. vapulat merito a Criticis ob violatam aliquando frequentius hanc legem Homerus, ut: cum telo in Hectorem fruſtra emiſſo non aliud Achilles ſubſtituit; ſed a quo neſcio Deo eidem primum refertur. Menelaus ad recipiendum flagellum equorum, quod manibus elabi paſſus eſt, Minervam invocat, quæ eidem flagellum reddit. &c.

3 Fere mirabilitatem fabulæ epicæ acuunt impedimenta multa & magna ac obices repentini, qui herois noſtri felicitati Injiciuntur, & ejus actionem ab optato exitu avertere conantur, ſi de iis poſtremo nihilominus triumphat; aut forte utcunque reluctans opprimitur. Quare ut fabulæ omnis majoris partes ſunt, ita nominatim fabulæ epicæ *Implexio* & *Solutio*.

d. *Implexio* eſt collectio, coordinatio, & convolutio impedimentorum variorum ad finem primariæ actionis epicæ fruſtrandum. Vocatur item hæc implexio alio nomine *Nodus*.

*An-*

*Annot.* Duplices in fabula regnant implexiones: aliæ enim ſunt principales & *primariæ*, aliæ *ſubordinatæ*. Prioris generis in fabulis ſingulis eſſe poteſt unica, poſteriores ſecundum rei neceſſitatem & veriſimilitudinem multiplicantur. In Aeneide Implexio *primaria* eſt: odium & ira junonis Aeneæ regno in Italia omnibus viribus obnitens: *ſubordinatæ* & ſecundariæ ſunt: effectus hujus iræ: tempeſtas Aeneam ab Italia rejiciens; amor Didonis Aeneam ab Italia retinere cupiens, & fortitudo Turni Aeneam ab Italia repellere conata.

e. *Solutio*, eſt, cum impedimenta objecta removentur, & difficultates complicatæ expediuntur. Præſtari id duplici modo ſolet; nimirum,

1. *Peripetia* ſeu commutatione fortunæ, Cum ab adverſa ad ſecundam tranſitus fit, ut debet in Epica; nam in Tragoedia quidem ad infelicem exitum fit mutatio. Exempla luculenta Peripetiarum offeruntur in Aeneide, ut L. I. cum Ilioneus & ſocii amiſſum Aeneam lugent, ille improviſus ſciſſa nube adeſt &c. & L. X. cum Trojani a Turno & Rutulis nova urbe ſua concluſi arctiſſime tenentur, inexpectatus cum claſſe auxiliari adeſt Aeneas &c.

2. *Agnitione*, quæ in locum Peripetiæ ſuccedit, cum nempe ex ignoratione

in

in notitiam, ut nomen indicat, vel etiam ex inimicitia in amicitiam ſit mutatio, unde deinde felicitatem conſequi accidit. Quæ omnia iterum in fabula tragica contraria accidere neceſſe eſt. Exemplum hujus commutationis per agnitionem exhibet hiſtoria Joſephi Aegyptiaci a fratribus agniti, ubi repentina ex triſtitia in lætitiam ſequitur converſio. Item fabula Iphigeniæ ſacerdotis fratrem Oreſtem jamjam a ſe immolandam victimam agnoſcentis; unde felicitas utrique foediſſimi ſacrificii devitatio.

a. *Annot.* Tres autem àd Peripetiarum perfectionem requiri ajunt conditiones: a.) ut magna aliqua commutatio & rerum vera omnium ſit, b.) ut ſubita, repentina naturalis, & nec expectata nec præparata, forte ex longinquo ſit talis comutatio; c.) ut ſolutio veroſimilis ſit, & fiat per factum aliquod inexpectatum, fabulæ internum, non per ſolam fortaſſe voluntatis converſionem. Sìc in Aeneide L. XII. cum Aeneas conſilium capit & inexpectate exequitur urbem Laurentum expugnandi, & revera urbem incendit; ſubito Turnùs àd duellum redit, quod omni conatu hucusque ſoror Juturna impediverat. Sic Achilles nequaquam ad preces Agamemnonis revertitur in proelia, quod utique cum neutrius charactere conveniebat, neque adeo veriſimile futurum erat; ſed occiſo

cifo demum amico Patroclo ad reconciliationem Achillis cum Agamemnone fit mutatio.

b. Tanto fabula & epica & quæcunque major alia perfectior delectabiliorque erit, quo Implexio magis intricata, nodusque firmior videbitur; fit enim tali pacto solutio tanto item mirabilior, & virtus herois eo magis conspicua.

f. *Characteres* fabulæ non nuda ornamenta, sed necessarias plane proprietates esse, ex iis, quæ supra Part. I. cap. 2. tradidimus, clarum est. Decet enim fabulam esse moratam, qualis sine observatione characterum esse non potest. Et quoniam heros fabulæ aut aliæ in consortium advocatæ personæ ex characteribus suis singulæ non loqui modo, sed agere etiam debebunt, ac proinde in ipsa fabulæ compositione ad characteres rite delineandos respicere jam oportebit, igitur curate huc revocanda erunt illa omnia, quæ supra citato loco præscripsimus, illudque longe maxima contentione efficiendum, ut characteres omnium personarum agentium notabiliter varientur, herois autem epici character superior eminentiorque sit universis.

g. *Ordo* artificialis, qui solus fabulæ conformandæ adhiberi poterit, supra pariter P. I. c. 3. diffuse explicatus est; un-

unde hic diligenter recolenda ea præcepta.

h. *Magnitudo* justa Epopoeia universe juxta Aristolelem c. 7. in medio quodam posita est, ita ut nec nimis parva & contracta sit, alioqui enim partes ejus singulæ spectatoribus confunderentur, aut penitus evanescerent: sed nec nimis extendatur, aut dilatetur; secus enim pervideri totam fabulam uno obtuto, æstimari partium universarum hormoniam & cohæsionem erit impossibile.

1. *Annot. Magnitudo actionis primariæ*, compositæ tamen seu fabulæ, ut idem Aristoteles ait, sic attemperanda est, ut uno circiter anno gesta fuerit. Iliadis certe actionem anno uno expletam fuisse observarunt Eruditi; Odysseæ autem quinquaginta dies tribuit Homerus; & Aeneidi quatuor menses supra annum Virgilius.

2. *Magnitudo Episodiorum* nullis certis & constantibus temporum limitibus definita est: Ilias namque novem annorum res gestas comprehendit; Odyssea res annis novemdecim perpetratas; Aeneis autem ab Aenea fundatore ad Augusti tempora narrationibus extenditur.

B. *Forma externa* elocutionis partes, proprietates, modos comprehendit, de quibus fere singulis equidem jam supra P. I. c 1. & 3. egimus; hic tamen enumerare & retractare ju-

juvat eorum aliqua, quæ hujus adhuc loci ſunt magis propria.

e. *Partes* Epici carminis cujuscunque recenſentur hæ: *Propoſitio*, *Invocatio*, *Narratio* & aliquando *Epilogus*.

1. *Propoſitio* eſt veluti acceſſio ad rem, ſeu Exordium, quo Poëtæ Epici operis ſui ſummam, hoc eſt, finem actionis heroicæ, quam delegerunt, breviſſime annunciant, ſimulque auditorem benevolum, docilem, ac attentum reddunt. Hæc pars a præceptoribus tam neceſſaria Epopoeia exiſtimatur, quam unitas ipſa fabulæ; ex propoſitione enim potiſſimum pendere, & per propoſitionem conſtitui aſſeverant actionis unitatem.

a. *Annot.* Utcunque brevis ſit, ac eſſe debeat Propoſitio, ſemina tamen principalium Epiſodiorum & Peripetiarum nonnulli Propoſitione continuo attingi volunt. Ita nimirum Virgilius Propoſitione ſua præter Italici novi regni erectionem Junonis ſimul iram terra, mari, & in bello viro, quem canit, infeſtam complectitur:

*Arma virumque cano, Trojæ qui primus ab oris*
*Italiam fato profugus, Lavinaque venit*
*Littora: multum ille & terris jactatus & alto*

*Vi*

*Vi superum, sævæ memorem Iunonis ob iram,*
*Multa quoque & bello passus* &c.

b° Propositionis dotes necessariæ sunt, ut brevis sit, simplex, verecunda, & sine ornatu. Reprehenditur ob defectus harum virtutum Lucani Propositio tam vasta, tumida, & turgens in Pharf. ut Scaliger eum non tam canere, quam latrare afferat:

*Bella per Aemathios plusquam civilia campos,*
*Iusque datum sceleri canimus, populumque potentem,*
*In sua victrici conversum viscera ferro,*
*Cognatasque acies, & rupto foedere regni*
*Certatum totis concussi viribus orbis*
*In commune nefas, infestisque obvia signis*
*Signa, pares aquilas & pila minantia pilis.*

2. *Invocatio* est opis cælestis imploratio ad feliciter executioni mandandum, quod Poëta canendum sibi sumsit. Non tantum conveniens est hujusmodi Invocatio ad difficultatem operis, & sublimitatem propositi demonstrandam, venerationemque Poëtæ propterea circumdandam; ut supra monuimus P. I. c. 2 sed ex eo vel maxime etiam videtur necessaria, quoniam Poëta Superorum consilia, factaque, quibus Epopoeiam pertextam esse oportet, sine peculiari Cœlestium illustratione & ope ignorare debet, quorum exhibendorum tamen

mu-

munus ei in Epico carmine incumbit.

a. *Annot.* Quoniam Invocatio orationis quoddam ad Deum directæ genus eſt, ac proinde Lyricæ pars: ſublimitate illa ignea, viribusque & nervis Lyricæ propriis exultare poteſt, quamquam breviſſime conſtrictam oporteat.

b. Argumenta nobis ſacra, aut ex religione noſtra repetita, tractaturum invocare ſuperos inferosque illos Deos Theologiæ fabuloſæ non ſolum indecens, ſed ridiculum etiam & prope ſtultum eſt. Nihil enim ſane pro thematis gravitate diverſitateque ad Deum Summum Verum, ad Cœlites Geniosque cœleſtes confugere vetat Chriſtianos. Ceterum in apte invocandis pro re nata Superis Inferisque Diis accurate diſcrimina, & convenientiæ expendendæ ſunt, ne perperam & perturbate eorum auxilium invocetur. Non defuerunt, qui ipſum Virgilium accuſarent de adſcita parum accurate Muſarum invocatione ad Eclogam carmen ruſticum canendum, quod factum eſt Eclog. IV. *Sicelides Muſæ paulo majora canamus.* Quid enim Muſis cum rure?

3. *Narratio* Epopoeiæ corpus conſtituit; in hac enim omnes illæ prærogativæ collectæ eſſe debent, quibus ante ceteras omnes Poëticæ ſpecies eminet Epopoeia.

a. Prima & singularis virtus narrationis epicæ absque dubio est: ut proprietatès reliquarum Poëseos specierum omnium ipsa sola amplectatur. Quare quidquid *mirabile* habet *Poësis epica*, quo animos incredibiliter attrahit, & prope supra se ipsos elevat, quidquid *terribile & horrificum Tragoedia* continet, quidquid *ridiculum & delectabile* in *Comoedia* inest, quidquid demum *dulcedinis*, *simplicitatis*, & *quietis* in *Idylliis* reperitur, id omne & totum complectetur Epopoeia, mater, princeps & fons ceterarum Poësium omnium, supergressa universas; siquidem singulas nominatas dotes pro prudentia & arbitrio Poetæ suas facit & facere debet, ad variandam, quod caput est, narrationem suam.

*Annot.* Nitidissima istorum omnium exemplaria in una Virgilii Epopoeia præsto sunt. Quam *mirabilia* enim narrat Junonis ad perdendum Aeneam consilia, astuta promissa, Aeoli subpalpantis obsequia, & Neptuni Tranquillitatem mari, opem autem disjectis Trojanis adferentis auxilia? quam *horrifice* Laocoontis, Cassandræ, Priami pingit fata? quam *teneræ* Veneris apud Jovem sunt querimoniæ? quam *jocularis* autem L. V. Menoetis in mare dejecti, tum in rupem enitentis, & salsos fluctus cum risu spectantium Trojanorum revomentis imago? quam iterum *dulces* & *simplices* festi & sacrificii rustici ab Evandro obiti; ali-

alibi solis orientis, avium cantantium &c. descriptiones? Unde videas Poëtam Epicum non Epicum tantum, sed simul Tragicum, Comicum, Bucolicumque esse debere.

b. Proximum est, ut Narrationes epicæ virtutibus omnibus illis non tantum, & plane exsplendescant, quae Narrationibus universis competunt, quasque alibi jam & tradimus, & iterum commemoravimus. Nominatim igitur commendantur Poëtæ epico narranti.

1.) *Copia*: neque enim satis semper erit summa rerum capita exponi, sed erunt non raro partes etiam singulæ accuratius explanandæ.

*Annot. Iuno exosa Trojanos, eorum classem ex Sicilia navigantem tempestate concitata disjicit, sed ea delata est in Africam, ubi benignissima a Didone accipiuntur Trojani.* Qui ita narraverit, totum sane librum I. Aeneid. narravit; quem tamen Poëta longe alia copia exequitur. inspice Virgilium, sic ille:

a.) *Iuno exosa Trojanos*; quia memor erat judicii Paridis & belli ad Trojam pro Achivis gesti: qui audierat Carthaginem suam olim a Trojanis evertendam.

b.) *Classem ex Sicilia navigantem*: Narrat, quomodo navigaverint læti, alacres, ventis secundis, periculorum incuriosi

c.) *Tempestate concitata disjicit.* Juno adit Aeolum: apud eum preces & pollicitatio Nymphæ in uxorem, tum ab Aeolo emissi venti, tempestatis effectus & dissipatio classis.

d.) *Qua sedata* Neptunus sensit commotum mare, prospicit, videt, increpat & abigit ventos, reducit serenitatem, Tritones juvant navem ex saxis in aquas detrudere.

e.) *Classis defertur in Africam.* Trojani petunt proxima littora. Describitur portus. Septem solum naves conveniunt. Egrediuntur navibus, ignem excitant, siccant farinam, & panes pinsunt. Aeneas speculatur regionem, & septem cervos pro numero navium sternit. Distribuit carnes & vinum, ac erigit moestos. Trojani prandent. Aeneas curis jactatur. Interea Venus orat Jovem pro filio. Jupiter fata immota esse promittit, gloriam futuræ gentis exponit, & Mercurium ad conciliandam Didonem amittit. Aeneas mane facto exit locos exploratum, ab obvia matre personata docetur de loco, principe regnante, de classe salva recipienda, & abiens mater agnoscitur; cingens tamen nebula Aeneam cum socio. Aeneas in nebula Carthagine in templo Junonis videt excidium Trojanum pictum.

f.) *Benignissime a Didone accipiuntur.* Coram Regina Didone reperit socios amissos, qui oratore Ilioneo benevolentissime accipiuntur. Erumpit ex nube Aeneas cum Achate audito tam læto responso, & seipsum reginæ sistit, a qua

in

in regiam deducitur, & convivio ſplendido adhibetur. &c.

Conſpicua ſcilicet fit, niſi omnia fallant, ex hoc Virgilii exemplo narrandi copia.

2. *Brevitas*, ut ne a primis rerum initiis orſus Poëta inutili & longa ſerie oneret potius quam ornet Narrationem, ſed prætermiſſis omnibus, quæ ad rem noſtram non conducent, ſumma qoandoque tantum faſtigia rerum ſequatur. Sic apud Virgil. Aeneid. II. Aeneas Didoni excidium Trojæ narraturus non incipit ab adventu claſſis Argivæ, aut reliquo obſidionis apparatu, ſed ſic breviſſime, & quam proxime ad rem:

*--- Fracti bello fatisque repulſi*
*Ductores Danaum tot jam labentibus annis*
*Inſtar montis equum divina Palladis arte*
*Aedificant.*

Sic item Aeneid. I. Venus virginem Tyriam aſſimulans Aeneæ roganti: *Quo ſub coelo tandem, quibus orbis in oris jactemur doceas*, ambagibus omiſſis reſpondet:

*Punica regna vides, Tyrios, & Agenoris urbem.*

*Annot.* Prudenti admodum confideratione trutinandum erit Poëtæ: cuinam loco copia, cui brevitas conveniet; neque enim hoc ex folo libitu & temere, fed ex circumftantiis definiri poterit.

3. *Probabilitas* Narrationis ex verifimilitudine fere tota pendet. Itaque ea probabilia judicabuntur, quæ notas quaspiam veritatis præferre, ceterum rebus, perfonis, locis, temporibus, aliisque circumftantiis congruere videbuntur. Non extantius facile exemplum narrationis probabilis poëticæ eft, quam Sinonis apud Virgil. L. I. Aeneid. Narrat is primum quædam ut vera paffim nota, ut: avectos hoftes, Palamedem Ulyffis æmulatione occifum, Palladium furto ablatum; tum addit conficta verifimilia, fabricatum effe equum Palladi (cui facer erat equus, animal per fe bello aptum); Græcos abitum fæpius tentaffe:

*Sæpe fugam Danai Troja cupiere relicta*
*Moliri, & longo feffi difcedere bello. &c.*

Oraculi exquifiti redditum refponfum:

*Sanguine placaftis ventos & virgine cæfa,*

— — — — — — —
*Sanguine quaerendi reditus. &c.*
Digna profecto, si ulla alia, hæc est Narratio, ut tota ad leges Poëticæ attente exigatur.

4. *Suavitas* ex motibus & affectibus animorum, atque ex inopinato exitu &c. oriri consuevit. Nullibi hæc felicius, frequentius, & magis varie expressa conspicitur, quam apud Virgil. toto L. II. ubi excidium Trojanum narrat Aeneas. Quam multiplex & varius ibi affectus: in populo Trojano ad preces Sinonis flexo *misericordia*; ad equum Trojanum intra muros receptum *laetitia*, ad lacrymas Sinonis *commiseratio*; pro armatis utero equi Trojani absconditis *trepidatio*, cum Laocoon hastam in equi latera contorsit; ad Laocoontis & filiorum miserrimum interitum *horror* &c. Anchisis urbe incensa exire abnuentis *abstinatio* &c. Quam commovent, quam occupant hæc, at simul quam suavem & delectabilem omnem reddunt Narrationem!

c. Tandem suprema Narrationum epicarum omnium, & epico tantum generi propria virtus est: nonnumquam a toto Narrationis tenore desciscere, & ad

Dramatis virtutes repente transgredi; hoc est, ut Poëta aliquando narrare ipse desinat, & personas actionis suæ epicæ loquentes narrantesque inducat. Mirum quantum hæc epici carminis proprietas Epopoeiam totam sustollat, & incredibili varietate exornet. Exemplum unicum ex Aeneid. VII. desumtum, & trifariam propositum clarissime propositionem hanc demonstrabit.

I.

Juno Argis reversa & animadvertens Trojanos sedem figere, secum ipsa dolebat: non posse opprimi Phryges per omnia pericula eluctatos; cogitabat: exhaustam esse frustra iram & omnem potentiam suam in agitandis Trojanis; denique tentare statuit: num fortassis aliquid opis adversus illos apud inferos Deos præsto futurum esset, cum Dii superi omnes denegarent.

II.

Juno Argis revertens, cum Aeneam jam sedem fixisse in Italia, & tecta moliri vidit: attonita stetit primum, tum questa est: stirpem invisam non potuisse Sigæis campis occumbere, nec incensa Troja crematos esse viros Trojanos, in-

inveniſſe viam per medias acies & medios ignes. Videri tandem numina ſua Junonis feſſa jacere, & odiis exſaturata quieviſſe, oppoſuiſſe ſe toto ponto profugis; abſumtas vero eſſe in Teucros vires coeli & maris; — — vinci ſe ab Aenea. Si numina ſua non ſint ſatis magna, ſe non dubitare implorare, quod uſquam eſt: moturam Acherontem, cum Superos flectere nequeat.

III.

*Ecce autem Inachiis ſeſe referebat ab Argis*
*Sæva Jovis conjux* — — — —
— — — — — — —
*Moliri jam tecta videt, jam fidere terræ,*
*Deſeruiſſe rates: ſtetit acri fixa dolore;*
*Tum quaſſans caput, hæc effudit pectore dicta:*
*Heu ſtirpem inviſam, & fatis contraria noſtris*
*Fata Phrygum! Num Sigaeis occumbere campis,*
*Num capti potuere capi? num incenſa cremavit*
*Troja viros? medias acies, mediosque per ignes*
*Invenere viam. At credo mea numina tandem*
*Feſſa jacent: odiis aut exſaturata quievi.*

 *Quin*

*Quin etiam patria excussos infesta per undas*
*Ausa sequi, & profugis toto me opponere ponto.*
*Absumtæ in Teucros vires coelique marisque.*

— — — — — — — —

*Vincor ab Aenea. Quod si mea numina non sunt*
*Magna satis, dubitem haut equidem implorare quod usquam est.*
*Flectere si nequeo Superos, Acheronta movebo.*

*Annot.* Habès primo loco Narrationem simplicem; altero Narrationem jam formæ tonoque dramatico appropinquantem; tertio tandem Narrationem poëticam, qualem in Epopoeia desiderari ajebamus, nimirum ut aliquando non tam narrari aliquid de personis audias: quam agere potius ipsasmet videas, cum iisque adeo converseris. Quo narrandi genere Aristoteles tantopere excelluisse miratur Homerum, qui non nisi rarissime Poëtam, personas autem poëmatis perpetuo loqui faciat.

4. *Epilogus* vix alius epici carminis tolerari potest; quam ipse finis narrandi actionem, quam Poëta celebrandam proposuit. Certe Homerus exequiis Hectoreis; Virgilius cæde Turni poëma suum finivit. Est namque Epopoeia imitatio actionis; actio au-

autem non loquendo, ſed faciendo abſolvenda eſt. Poſt Epiſodia tamen narrata aliquando Epilogi loco vel Sententiam vel Epiphonema &c ſubjicere ſolent, Ita Virgil. poſt narratam Polimneſtoris perfidiam in Polidorum admiſſam: *Quid non mortalia pectora cogis auri ſacra fames!* Sic idem poſt Niſi & Euryali amicorum interitum: *Fortunati ambo, ſi quid mea carmina poſſunt, nulla dies unquam memori vos eximet ævo*, &c.

b. *Proprietates* carminis epici nobiliores ad tria hæc revocamus. *Stilum*, *characteres*, *picturas*, quæ ſingula tractata jam item ſunt Parte priori; pauca, quæ hujus adhuc loci peculiariter ſunt, fere his obſervationibus comprehenduntur:

I. *Stilus* univerſe loquendo carmini huic ſublimis proprius eſt. Cum enim ſit narratio rerum illuſtrium, actionumque heroicarum, & perſonæ item illuſtres non raro ipſæ loquentes proponantur; manifeſtum eſt, ſermonem quoque perſonis hujusmodi illuſtrem & ſplendidum conſtanter accommodandum eſſe. Accuratiſſime de hoc pro more ſuo præcepit Horatius de Arte:

*Ne quicunque Deus, quicunque adhibebitur heros*
*Regali conſpectus in auro nuper & oſtro*
*Migret in obſcuras humili ſermone tabernas,*
*Aut dum vitat humum, nubes & inania captet.*

Non dedecebit tamen etiam medium & tenuem ſtilum quandoque remiſcere, ſi epiſodia forte rerum tenuiorum inferentur, aut Poëta ipſe narrabit, de quo jam alias etiam cavimus.

*Annot.* Adverte tamen ex ſupra citata Horatii præceptione, humilitatem, tumorem, & elationem ſtili pariter vitandam eſſe.

2. *Characteres*, quemadmodum in fabula conſtruenda, ita quoque in enarranda ſolertiſſimæ erunt attendendi; neque enim perſonis ſimpliciter, ſed perſonis ex eorum charactere, imo non minus ex eorum variis vario tempore affectibus ſermo erit conformandus. Nimirum qui novit, quid cuique ſtatui, officio, & affectui congruat, ille ſermonem perſonis quibusvis ex eorum charactere facile attemperabit; ut docet Horat. iterum in Arte:

*Qui*

*Qui didicit patriæ quid debeat, & quid amicis,*
*Quo ſit amore parens, quo frater amandus & hoſpes!*
*Quod ſit conſcripti, quod judicis officium, quæ*
*Partes in bellum miſſi ducis: ille profecto*
*Reddere perſonæ ſcit convenientia cuique.*

3. *Picturæ*, quæ carmen omne extollunt, Epico longe fortiores, crebriores, & omnis generis neceſſariæ ſunt ad ſublimitatem & nervos ſimul impertiendos. Oportet enim juxta Horatium *Forte Epos* eſſe.

*Annot.* Et Homerus & Virgilius picturis ſublimibus abundant. Quales quantæque ſunt in Homero illæ Neptuni ad proelium Græcorum properantis: *Currus illius volat per fluctus maris; mare utrinque recedit, axis infra ne humectatur quidem; monſtra marina plaudentia in diem erumpunt noſcentia dominum ſuum.* — Item: *Iupiter capite immortali annuit, & Olympus tremit.* — *Priamus, dum Corpus e anime filii Hectoris petit, tangit Achillis genua, & manibus ſuis contrectat manus Sanguine filiorum adhuc infectas*, &c. In Virgilio autem: Neptunus tranquillitatem mari reſtiturus: *Graviter commotus, & alio proſpiciens ſumma placidum caput extulit unda — Eurum ad ſe Zephyrumque*

*que vocat — Collectasque fugat nubes, solemque reducit.* — Item Neptunus in ruinam Trojæ conſpirans: *Neptunus muros, magnoque emota tridenti fundamenta quatit, totumque a ſedibus urbem eruit. &c.*

c. *Modi* carminis epici duo præcipue ſpectandi ſunt: *Verſus* & *verſus varietas.*

1. *Verſus* quis in Epopoeia adhiberi debeat, teſte Horatio in Arte, Homerus docuit:

*Res geſtæ regumque, ducumque, & triſtia bella*
*Quo ſcribi poſſent numero, monſtravit Homerus.*

Itaque verſus hexameter heroicis actionibus narrandis & canendis ita congruus & ita proprius exiſtimatus eſt, ut ei nomen *Heroici* verſus inde communi conſenſu hæſerit.

*Annot.* Profecto verſum hexametrum, quem probabilius rudem accepit, perpoſitum poſteris tradidit pater omnis Poëticæ Homerus. Eſt autem verſus hexameter ad philoſophica quoque *dogmata* tradenda quandoque translatus, quod Aratus & Lucretius fecerunt; alias ad *Oeconomiam* ab Heſiodo; ab Horatio aliisque ad *Satyras* & *epiſtolas;* imo ab ipſo Virgilio ad *Eclogas* & *Georgica* depreſſus eſt; ſed nimirum accurate loquendo tum verſus hexametri nomen ferre poterit, non epici aut heroici. quamquam hodie fere de

denominationes istæ promiscue usurpeatur.

2. *Versus varietas*, quæ ex Dactylorum & Spondæorum varia permixtione necessario oritur, & quæ ad tædium uniformitatis defugiendum multiplex curanda est: ad efficaciam præsertim exprimendarum rerum traducenda est, exemplo Poëtarum principum: id, quod aptis & commensuratis pedum numeris non raro elegantissime & jucundissime præstiterunt, (ut P. I. c. I. jam vidimus) ipsa verborum, syllabarum, pedumque collocatione diversas proprietates & expressiones imitati. Sic Homerus venti vim carbasis incumbentem; Virgilius grandinem in tectis cadentem &c. & quæ plurima hujusmodi reperiuntur, solo syllabarum ordine expresserunt superbissimo aurium judicio probata,

e. Meditate omne hoc & tam varium de Epopoeia præceptionum genus in unum colligentibus mirum videri jam non poterit unanime Eruditorum judicium, qui non solum summum, & prope divinum opus Epopoeiam reputant, sed nihil etiam illustrius ac simul difficilius per omne bonarum artium & scientiarum regnum esse affirmant, quam Epopoeiae

iæ alicujus optimæ confectionem, ita nimirum summa omnia ibi confluere necesse est, sive ubertatem, majestatem, divitiasque in Inventione, seu prudentiam circumspectissimam in splendida rerum coordinatione, sive tandem igneam elocutionis vim mascula fortitudine associatam spectes.

f. Sane ex quo Homerus poëmata sua artis exemplaria tanquam signum aliquod sustulit (quamquam ne hæc quidem ab omnibus nævis vindicari queant) a tribus inde prope annorum millibus inter tot gentes & homines litteris excultissimos paucissimos tamen numeramus, qui ad eamdem gloriam vel conari ausi sint, Virgilio certe Latino excepto (qui ex magistrorum artis omnium sententia Homerum imitando aliquando non attigit, alias superavit) ceteri omnes, eminus a longe vestigia legunt.

*Annot.* Nominis celebritatem poëmatis epicis consequi tentarunt: apud Italos Dantes *triplici itinere* & Tassus *Hierosolima liberata*, apud Anglos Miltonus *Paradiso perdito*, apud Gallos Voltærius *Henricheide*, apud Germanos autem Gessnerus *Morte Abelis*, & Klopfstokius *Messiade*. Quam isti sunt rari nantes in gurgite vasto!

g. Epopoeiam, gravissimum & summum poëticæ artis caput, nonnulli pro ingeniorum humanorum quandoque luxuria ad ridiculum usque demiserunt, poëmatis jocosis ad imitationem

nem feriorum non fine plaufu effectis & propofitis. Licebit iftam Poematum claffem ex merito fuo Epopoeias *comicas* appellare; quemadmodum fuperiores Epopoeiæ *tragicæ*, feu *heroicæ* forte non inepte vocabuntur.

*Annot.* Hujus claffis notiffima funt: *Situla rapta* (la Secchia rapita) italice a Taffonio, & aliud gallice fabrefactum a Boilaeo *Pulpitum*. (le Lutrin) Non doctiffimus Anglus Poppe genus hoc dedignatus eft, *Cincinnum* confcribendo; quod idem genus Epopoeiæ apud Germanos noftra ætate non infeliciter tentavit Zachariæ in *Phaëtonte* & complures alii; imitati puto omnes Homerum, qui itidem *Batrachomyomachiam* (ranarum cum muribus pugnam) rem maxime ridiculam, maxima arte & gravitate expreffit.

h. Sunt autem jocoforum id genus poëmatum leges omnino eædem, quæ pro feriis traditæ fuerunt, nifi quod actionem levem & ridiculam herois alicujus ridiculi in argumentum affumi oporteat, eam maxima gravitate pertractari, atque ab hominibus auctoritatis magnæ fumma vi & ingenti molimine fabulam peragi.

i. præter heroicas actiones epico carmine nonnunquam argumenta alia diverfiffimorum generum ad inftructionem hominum Poetæ fummi complexi funt, & fingulari elegantia tractaverunt. Vocantur id genus poëmata paffim didactica feu præceptiva, & generatim

in duas classes dispescuntur, in philosophicam, & in didacticam simpliciter dictam.

1. *Philosophica* poëmata sunt illa, quæ diversas naturæ & phœnomenorum explicationes, variarum veritatum principia, aut vitæ morumque præceptiones carmine hexametro proponunt. Tale est Poëma apud Latinos longe splendidissimum Lucretii de rerum natura, in quo principia naturæ ex sententia Philosophiæ epicureæ declarantur.

2. *Didactica*, simpliciter dicuntur ea Poëmata, quæ practicas animadversiones, & certa artis compendia ad efficienda nonnulla artis opera suppeditant. Hujus commatis sunt Virgilii Georgica; Horatii Ars Poëtica.

*Annot.* Vix melior aliqua ratio reddi potest, cur hoc genus Poëmatis ad Epopoeiam referatur, nisi quod versu heroico conscribitur; & quod contra, quam illud heroicum, veritatis plurimum, fictionis minimum contineat.

k. Fere hoc genus eas omnes curas expetit, quas de forma externa Epopoeiæ tradidimus; præceptis tamen etiam particularibus hæc didactica paucissimis sequentibus circumscripta sunt:

1. Generatim ordinis naturalis ad certum usque gradum negligentiores sunt Poëtæ di-

da-

dactici in rebus minus gravibus, spiritus raptum secuti, ad tegendum præcipue artificium: In rebus vero majoribus perpetuo naturalis ordinis tenaces sunt, nunquam aut mortem nativitati alicujus præmittere ausi, aut vindemiam æstati.

*Annot.* In Virgilii Georgicis admirandum plane ordinem constitutum videas; divisit enim argumentum suum rusticum in partes seu libros quatuor: arationem, plantationem, curam pecoris, & mellificationem: tum aratoriam exequitur; de cœli solique notitia, de agrorum quiete & novatione, de mutatione segetis, de stipularum incensione, de occatione, irrigatione &c. agit. Sic de reliquis quoque.

2. Pro libertate Scriptorum superioris ordinis ad exerendam seu eruditionem seu ingenium episodia Poetæ aliquando interferere non dubitant. Tale habetur apud Virgilium de Aristæo, de Orpheo &c.

3. Philosophica Poemata, quorum totus finis claritate & illustratione nititur, figuris & luminibus mere poëticis parcius distinguenda sunt, nisi illa ad objectum principale dilucidius pernoscendum conferant.

4. In Didacticis simpliciter quidquid præceptionum occurret, breve sit & nervosum potius, quam prolixum ac splendidum; quoniam prolixa nec facile perci-

piuntur, & difficilius retinentur, juxta sapiens Horatii monitum in Arte;

*Quidquid præcipies, esto brevis, ut cito dicta*
*Percipiant animi dociles, teneantque fideles:*
*Omne supervacuum pleno de pectore manat.*

Nihil vetabit tamen, quoniam omne genus didacticum siccum & triste est, quandoque præcepta rationibus suffulciri & vivificari, descriptionibus, exemplis, historiisque illustrari, & tandem tædium digressione aliqua vividiori exemplo summorum Poëtarum mitigari.

5. Fere Propositione & Invocatione inchoantur hæc Poëmata, quarum prior apta & perspicua esse debet, posterior supra jam satis explicata est.

l. Celebriora, quæ inter Latinos extare novimus, horum Poëmatum exemplaria sine controversia sunt Virgilii Georgica, stilo solum depressiori aliquantum, ut decet rustica, ob Aeneidos incomparabili elocutione diversa; tum Lucretii, ut meminimus, libri non minus didactice graves, quam poëtice delectabiles; nostra autem memoria Cardinalis Polignaci Antilucretius. &c.

m. Ut postremo adolescentes nostri artis epicæ tantopere celebratæ experimentum aliquod coram inspicere, & cum præceptionibus suis componere valeant, per tot sæcula constanter

ter princeps ceterarum opus judicatam iliadem Homeri (præſertim quod compendium Aeneidis Virgilii noſtri undique obvium eſt) in compendium, quod pervideri totum poſſit, miſſam ex Batteſio offerimus.

---

# ILIADOS HOMERI

## ARGUMENTUM.

*Orto inter exercitus græci ad Trojam Imperatorem Agamemnonem, & fortiſſimum in toto exercitu heroëm Achillem diſſidio: ex iracundia ab omni pugna abſtinet Achilles, & mox Græci undique cæſi & repulſi ſunt, donec heros eventu ſibi ipſi infauſto commotus arma reſumſit, & fortunam armorum græcorum reſtituit.*

Lib. I. Chryſes, Sacerdos Apollinis, filiæ ſuæ Agamemnonis ſervæ redemtionem orans ab elato Principe hoc contra ceterorum Principum conſilium ſuperbe rejectus fuerat. Injuria & opprobrio affectus Chryſes Deum ſuum vindictam orat obtinetque; Apollo enim ſagittas ſuas in exercitum Græcorum magna populi calamitate ejaculatur. Commotus publica calamitate Achilles Calchantis vatis conſilium exquiri ſuadet. Hic Achillis patrocinio fretus Agamemnonem incuſat, chryſeidemque reddendam pronunciat. Reſponſo in furias actus Agamemnon reddit equidem ſervam, ſed in Achillem furorem convertit, chryſeidem ab eo repetens. Non obluctatur Achilles, cum chryſeis tanquam prædæ portio ſibi obtigiſſet,

ſed ſimul eam reddit, ſimul ſe vindicaturus pugna abſtinere proponit. Ad littus maris præ iracundia flens injuriam ſibi illatam queritur, quem mater Thetis audiens & conſolans poſtremo ab eo permovetur, ut Jovem Trojanis favere deprecetur, quo Agamemnon injuria ſe heroëm affeciſſe ſentiat; id quod Thetis continuo exequitur, & ab Jove impetrat, nec quidquam intercedente Junone.

Lib. II. Ad vindicandum Achillem prœlium fieri neceſſe erat, in quo Græci a Trojanis cæderentur, Igitur Jupiter ſomnium immittit Agamemnoni, cui credulus, hoſtium aggreſſionem proponit, Neſtor peritiſſimus in exercitu prœlium diſponit, ſacrificatur Iovi, & tuba inſonat. Minerva Aegidem agitat, congreſſurosque animat. Exercitus uterque ex adverſo locatus.

Lib. III. Paris raptor Helenæ tectus pantheris pelle & armatus Trojanos præcedit, quem Menelaus conſpicatus ex curru ſuo deſilit hoſtem ſuum invaſurus; nocens Paris poſt acies refugit, ubi ab Hectore filiorum Priami fortiſſimo de timiditate, effœminatione aliisque vitiis, & noxia patriæ pulchritudine increpatur. Commotus hac increpatione ad ſingulare certamen cum Menelao ſe offert, ea lege, ut Helena cum divitiis ſuis victori cedat. Conditiones ineuntur. Quod Iris Dearum nuncia ad Helenam refert. Deſerit hæc laborem ſuum phrygium, quo prœlia ſui cauſſa commiſſa noverat. Recordatione mariti, amicorum, patriæ, in lacrymas ſolvitur. Moventur his lacrymis & ejus pulchritudine ſeniores; ſed tamen *eam cum Græcis reverti ſatius eſt*, inquiunt, *quam nos omnes cum liberis noſtris illius cauſſa interire* Alloquitur Helena Priamum, *Veni filia mea*, reſpondet Priamus, *abſtine fletu-, non tu, ſed Dii infelicitatis noſtræ cauſſa ſunt*,

Nomi-

*Nomina mihi heroës, quos video.* Nominat illa Agamemnonem, Ajacem, Ulyssem, sed Castorem & Pollucem fratres non conspicata, puduisse illos certaminis pro se vindicanda putat. Fecialis adveniens Priamum docet, illius jusjurandum desiderari, quod filii ejus perjuri essent, id in Paride patuisse. Imprecationibus in transgressores enunciatis rivales duo ad pugnam progrediuntur; Paris in terram dejicitur, sed Venus protectrix nube involutum ad penetralia reducit, ubi meritis ab Helena exprobrationibus defricatur.

Lib. IV. Prœliis finitis Achilles vindicatus nondum erat: forte fortuna Juno Trojanis infesta eversamque cupiens Trojam cum Minerva fœderata erat, quæ Pandarum persuasit, ut telum in Menelaum contorqueret, pedeque sauciaret. Ita inde in exercitu græco exardescit; Agamemnon percurrit ordines, adhortatur heroës, Mars accendit Trojanos, Minerva Græcos. Terror, fuga, & discordia Martis soror, æstum prœlii incendunt; colliduntur scuta & lanceæ; clamor Victorum juxta & cæsorum auditur; sanguis torrentium instar fluit; Apollo Trojanis inclamat: *Achillem non amplius pugnare.*

Lib. V. Diomedes a Pallade protectus miracula fortitudinis edit; nihil eum remoratur, non heroës, non Dii. Dejicit Xantum, Thoonem, Pandarum, Aeneam. Vulnerat Venerem, ipsumque Martem, qui ambo prœlio excedunt.

Lib. VI. Hector, qui palmam hucusque dubiam retinuerat, ex consilio Heleni in urbem redit, matronas Trojanas exhortaturus ad placandam Palladem, offerendaque in eum finem sacrificia & dona. Revertitur comite Paride, qui nunc ut nunquam ante pugnam ardet.

Lib. VII. Tempori adſunt, jam enim ceſſuri erant Trojani; Apollo autem effuſionem ſanguinis impediturus Hectori mentem indit, fortiſſimum Græcorum provocandi Sorte Ajax deputatur. Nox eos dirimit. Deſerunt ſe mutuæ exiſtimationis pleni, & dona ſibi viciſſim impertiuntur. Græci uſi nocturno tempore muniunt caſtra ſua muro & palis; interea Pater Deorum tonat, & futuræ diei horrores annunciat.

Lib. VIII. Aurora appropinquante Jupiter in concilium congregat Deos, & de ſuprema ſua ac incircumſcripta poteſtate fortiter præfatus, univerſis prohibet, pugnis duorum populorum immiſceri. Ipſe in montem Idam deſcendit, & nube contectus utraque caſtra perſpicit. Prœlium incepit, & victoria in utramque partem nutat ad meridiem usque. Apprehenſa tum aurea trutina ſua fata amborum exercituum appendit. Lanx Trojanorum ad cœlum elevatur. Continuo fulgura coruſcant, & diſcurrunt tonitrua, Achivi ſentiunt conterriti Jovem ſibi adverſum eſſe. Diomedes, qui vulneratum Neſtorem in currum ſuum aſſumſerat, dum in Trojanos incurrere parat, fulmen ante ejus equos decidit. Ter eumdem incurſum repetere tentat, ter Jupiter intonat. Cedit tandem heros invitus & obſequitur ſapienti Neſtori Deæ Trojanis infeſtæ clare Jovis conſilium pervident de Achille ulciſcendo. Veſperaſcit, Jupiter in cœlum redit, & Junoni fati ſententiam de Achille declarat. Hector oppugnationem in craſtinum parat, mandata diſtribuit, undique ignes accendi facit, ne forte exterriti Achivi effugiant.

Lib. IX. Alia eſt facies caſtrorum Achivorum, quam Trojanorum, nulli ignes, ſummum ſilentium, undique terror. Agamemnon, qui primum fugam propoſuerat, ex conſilio ſapientis Neſtoris

ris Phœnicem, Ajacem, & Ulyſſem ablegat, ad Achillem pretioſis muneribus conciliandum, oblata in matrimonium ſua Agamemnonis filia & ſeptem civitatibus in dotem Achilles amice generoſeque receptis legatis repudiat oblata, & Agamemnonis filiam, Venere quamvis pulchrior, & Minerva ſapientior eſſet. Vult reditum in patriam, & abitum in craſtinum parare. Phœnix olim ejus gubernator fruſtra commemorat beneficia in eum olim collata, Deorumque exemplum, qui ſe placari patiantur. Achilles obſtinat. Legati reverſi referunt Agamemnoni. Diſceditur ad quietem capiendam.

Lib. X. Agamemnon lethali irrequie agitatur ſomni expers. Videt ignes Trojanos, audit tubas eorumdem, & cum caſtra propria inſpicit, effunditur in lacrymas, capilloſque ſibi evellit. Surgit, & quærens Neſtorem obvius fit Menelao nihil minus perturbato. Excitant Duces reliquos, quorum pauciſſimi dormiebant, & concilio concubia nocte celebrato, fortis Diomedes & prudens Ulyſſes caſtra Trojana exploraturi dimittuntur. Minerva executionem dirigente feliciſſimus ſequitur eventus Diomedes obtruncat Rhetum, abducit ejus equos, & triumphans revertitur. Hinc rurſum Achivis animi.

Lib. XI. Aurora adeſt, Jupiter ſanguineam expandit nubem horrores diei præſagientem. Agamemnon furore plenus Trojanos primum ad portas urbis usque repellit, ſed vulneratus ſe recipit. Hector apparet, undique terrorem diſpergens, & tam manifeſtam Jovis protectionem circumferens, ut ipſe Ajax ei cedat. Eurypylus cedenti Ajaci ſuppetias venit, ſed vulneratus in caſtra reportatur. Diomedes pariter vulneratur, Ulyſſes item, & prœlio excedunt. Achilles ex prora navis ſuæ prœlium ſpectat, fremitumque

que audit. Mittit Patroclum quæsitum, quisnam heros vulneratus numero referatur? Erat is Machaon. *Quid Achillis refert*, respondet sciscitanti Nestor, *scire quis vulneratus sit, qui Græcos omnes perditos cupit? Ecquid tu amicum tuum ad pugnam non hortaris? Cur non te saltem armis suis indutum in prœlium submittit?* Patroclus revertens Eurypylum convenit sanguine manantem, cujus vulnere obligato ad amicum properat.

Lib. XII. Interea Hector ad fossam pervenit: Promicat ex curru, & in fronte quinque cohortium progreditur. Arripit ingentem lapidem terminum, & portas castrorum perfringit. Irrumpit furens fluvii instar ruptis aggeribus: Græci fugiunt.

Lib. XIII. Cum Jupiter Trojanos victoriosos, & Græcorum plerosque vulneratos videt, vultum tantisper ab his sanguinolentis scenis avertit, populos innocentes & justos respecturus, qui lacte suorum gregum victitabant. Neptunus hoc momento usus Ajaces ambos suflammat, Græci conglomeratis omnibus viribus Trojanos sustinent. Hector accitis delectis heroibus Græcos iterum repellit.

Lib. XIV. Græci a Neptuno suffulciuntur. Cum Juno videt, Neptunum Græcis auxiliari, cingulum Veneris mutuum sumit, ad Jovem diutius dissipandum, & somnum secumfert, ad Jovem somno dandum. Neptunus omnium, quæ aguntur, conscius, Græcis assistit. Hector graviter vulneratus prœlio effertur, & nunc fugiunt Trojani.

Lib. XV. Hoc puncto temporis critico Jupiter expergefactus Hectorem in arena jacentem, suspirantem, sanguinem evomentem, & penitus sui impotem videt, quem continuo ab Apolline sanandum curat; & Neptunum ex prœlio facessere jubet. Rever-

versus ad se Hector ab Apolline præceditur, qui fossas explet, & muros dejicit, jamque proximis est navibus, quas Græci condensati protegunt. Ajax Dei instar pugnat. Patroclus festinat nuncium ad Achillem perferre; interea Hector spumans, sanguine, sudore, & pulveribus obsitus navem apprehendit & ignes inclamat.

Lib. XVI. Patroclus flet coram Achille, qui ejus lacrymis movetur; *video quid crucieris*, inquit Pelei filius, *sed juravi me non pugnaturum, donec Hector meæ propriæ navi propinquet. Cape arma, & pugna, cum quolibet; sed sufficiat tibi Hectorem detinuisse ab igne navibus imittendo*. Vix hæc profato flamma ex incensis navibus erumpit, & fumus gyrans in aërem ascendit. *Propera Patrocle*, inclamat Achilles femur percutiens, *dum tu armaris, ego milites colligam*. Patroclus egreditur, Achilles pro eo vota & sacrificia Diis offert. Adventus amici Achillis confortat Græcos, deterret Trojanos. Sarpedon filius Iovis cadit sub Patrocli ictibus, ipse Hector cedere cogitur: Jupiter in cor ejus timorem immisit, fugit in urbem: Patroclus victoriam prosequitur. Repente Hector ab Apolline suffultus validam eruptionem tentat, in qua Patroclus ab Apolline deceptus ab Euphorbo a tergo vulneratur, & ab Hectore conficitur, qui arma illius spolium aufert.

Lib. XVII. Græci tamen cæsi corpus defendunt. Commoti Achillis infortunio diu pugnant vehementissime. Ajax furore plenus Achilli per Antilochum nunciat, quæ gerantur.

Lib. XVIII. Nuncius Achillem foris tentorium nigris cogitatibus immersum convenit. Percepto Patroclum non vivere, præ dolore animo linquitur. Voluta-

lutatur in pulvere, ululat, rabit. Thetis Nymphis omnibus comitata ex mari afcendit; & littus gemitibus refonat. Achilles vult prodire in pugnam, fed Hector ejus arma poffidet. Iris confilium fuppeditat: prodiret modo, & vocem tolleret. Ter clamat, & ter Trojani terrentur. Deferunt tandem corpus Patrocli, quod ad caftra refertur. Vefper. Suadetur Hectori, reciperet fe in urbem, cum Achilles iterum compareat. Sed refpuit falutare hoc confilium. Thetis Vulcanum adit, a quo nova pro filio arma obtinet.

Lib. XIX. Illucefcente die arma illi adfert. Continuo Achilles Græcos convocat, nobiliffimoque modo Agamemnoni reconciliatur. Præcipui Duces ardorem illius tantillum reprimunt, dum miles corpus curat. Confolantur eum; verum ille præfentibus tanta teneritudine de Patroclo amico & Peleo patre fuo prædicut, ut una cum eo in lacrimas folvantur. Induitur jam armis, quæ eum non gravant, fed tanquam alæ allevant. Tandem currum confcendit, tandem in hoftes provolat.

Lib. XX. Nunc Jupiter res naturali folito curfui reftituit, quem hucusque Achillis gratia deflexerat. Dii, qui partibus favent, in pugnam fuorum commifcentur. Achilles mille edit fpecimina roboris, fortitudinis, artis bellicæ, & velocitatis. Nemo hoftium illi effugit, & Deus tantum aliquis Aeneam & Hectorem ex manibus ejus eripit.

Lib. XXI. Trojani fugiunt, & in confufione dividuntur. Achilles partem in Xanthum flumen præcipites agit, quod cadaveribus, armis, fanguine repletum eft; tum alteram partem aggreditur. Omnes falutem in urbe quærunt.

Lib.

Lib. XXII. Solus Hector foris urbem manferat; non lacrymis fenis patris matrisque, qui ilii ex fummitate murorum lamentabiliter acclamabant, ad reditum permotus. Expectat Achillem, ut draco venenatis herbis nutritus venatorem expectat, fe volutat, & horribiles obtutus circumfert. Sed Achilles appropinquat, ille fugit. Ter curfu mœnia permenfus nunc demum pugnare ftatuit. Achilles, eum occidit, pedibusque currui fuo alligatum ad caftra reptat infpectantibus Priamo, Hecuba, & omnibus Trojanis, quorum clamor it ad fidera.

Lib. XXIII. Achilles nunc vindicatus nulla re alia occupatur, præterquam funere amici fui. Quod omni poffibili pompa efficit.

Lib. XXIV. Priamus eum de corpore Hectoris fibi reftituendo orat, quem & convenienter & magnifice accipit, & deppecanti corpus decentiffime reddit:

*Annot.* Obferva diligenter & attende 1) quam plolixum opus Poëta hic, divinus olim ob ingenium dictus, ex brevicula Achillis irati ira & obftinatione duodenis plus verfuum millibus conftans fabrefecerit; 2) quam omnia ad unicum Achillem, ad actionis delectæ ac proinde ad poëmatis fui heroëm referantur. 3.) Quam mirifice pro ethnicorum religione Deos fuos hominibus agentibus affiftentes, & cooperando plane permixtos inducat, unde Mirabile Epopoeiæ neceffarium tam multiplex enafcitur; 4) Quam accurate & congruenter Deorum juxta & hominum, virorum fœminarumque fingularum characteribus & actiones & fermones conformet; 5.) tandem non pro luce temporum hodiernorum, fed pro ruditate ejus mundi ætatis, qua Homerus vixit, actiones locutionesque nonnullas

inter-

interpretari oportebit; & tum fœcundiatem sublimitatemque hujus operis & Poëtæ merito admirabimur.

# CAPUT II.

## *De Dramate.*

a. Ex Epopoeia natum eſt Drama. Cum enim obſervaſſent nonnulli, longe fortius adhuc percellere animos, quæ videntur, quam quæ ſolum audiuntur, & actiones facilius in animum influere, cum repræſentantur, quam ſi ſolum narrentur: Theſpis primus perſonas in ſcenam produxit quæ poëmata non jam recitarent, aut narrarent ſolum, ſed qui agendo recitarent vel canerent. Tum Aeſchylus artem hanc mire perpolivit, plures perſonas inducendo, quæ pro ſcena agendo exhiberent, & oculis ſpectantium ea ſubjicerent, quæ prius ſolum narrabantur. Ita nimirum conceptis verbis hiſtoriam Dramatis nos docet Horatius de Art.

*Ignotum tragicæ genus inveniſſe Camoenæ*
*Dicitur & plauſtris vexiſſe poëmata Theſpis,*
*Quæ canerent, agerentque peruncti foecibus ora.*
*Poſt hunc perſonæ pallæque repertor honeſtæ*
*Aſchylus, & modicis inſtravit pulpita tignis,*
*Et docuit magnumque loqui, nitique cothurno.*

b. Ae-

b. Atque hoc ipsa vis nominis etiam exprimit, derivatur enim Drama a graeco verbo δράω quod agere seu facere significat; quasi dicas, Drama esse actionem, qua, quod gestum est, non narratur, sed iterum per personas agitur, & per actores sub obtutum sistitur.

c. Definitur autem Drama: *Imitatio actionis veræ vel verisimilis cum conversione fortunæ spectaculo proposita ad affectus animi excitandos.*

1. *Annot.* In hac definitione Imitationis nomen Dramati cum omni Poëseos genere commune est, per *Actionem* autem non quidem cum aliis poëticis minoribus operibus, sed tamen cum Epopoeia convenit, unde profecta est Dramatica, quemadmodum insinuavimus. Deinde quod actio *vera vel verisimilis*, quod *cum conversione fortunæ*, quod non amplius per Poëtam proposita, sed *spectaculo per actores oblata*, quod ad *affectus excitandos* destinata desideretur, omnia hæc luculenta sunt ab aliis Poëticæ speciebus discrimina.

2. Cum acriter pugnant inter se auctores, quis finis Dramatis Poëtæ propositus esse debeat? aliis affectuum excitationem, aliis affectuum purgationem statuentibus, facile litem istam componere nos arbitramur, si finem internum & necessarium affectuum excitationem dixerimus, externum autem, qui intendi a Poëta possit, & qui aliquando per accidens secutus sit, affectuum purgationem appellabimus.

d. Fere universa, quæ vel de materia vel de forma actionis epicæ superius declarata sunt; tum ea item, quæ de fictionibus Poëticis non-

nonnihil prolixius ibi tradidimus, huc pertinent; quæ ſingula quidem recoquere iſthic nolumus, ſed ea tamen, quæ ſpeciei dramaticæ propria & particularia omnium judicio cenſentur, hoc loco explere muneris noſtri erit.

6. Itaque materia Dramatum eſt item ut Epopoeiæ Actio, in qua præter ea, quæ jam alias inculcavimus, proprietates duæ ſingularem attentionem noſtram expetent: Veriſimilitudo & Unitas.

1. *Veriſimilitudo* in Dramate veritatem non excludit, ſed alias neceſſario præſupponit, quod in Tragoedia videbimus, alias veritatem elevat & roborat; alias ſupplet, quod poſtremum in Comœdia item clare patet.

1. *Annot.* Actiones, quæ in Dramatis materiam aſſumuntur, vel veræ erunt & hiſtoricæ, vel fundamento ſolo hiſtorico vero nixæ, ceterorum autem plus minusve pro Poëtæ neceſſitate affectum continebunt. Harum actionum primum genus *veras* apellare licebit, alterum *veriſimiles*. Sed quoniam raro actiones hiſtoricæ ſe ipſis & ſolis Dramati elaborando aptæ erunt, ſequitur, ad poſtremum genus pleſumque Poëtæ confugiendum eſſe. Quare Veriſimile in hoc quoque genere Poëſeos dramaticæ principem locum obtinebit (ut univerſe & toties jam monuimus) & ſi quo caſu tandem ad veriſimile verum etiam accedere continget, gradus veriſimilitudinis tanto erit al-

altior & firmior; Drama vero tanto melius & delectabilius.

b. Aristoteles summus artis istius præceptor ad verisimilitudinum fœcundos fontes duos digitum nobis intendit, cum ea, quæ fingentur, sic proponi jubet, quemadmodum accidere vel *potuerunt*, vel *debuerunt*. Unde aliæ eruentur verisimilitudines *possibiles*, aliæ *necessariæ*; quas postremas tamen non in rigore philosophico, sed in latitudine aliqua morali accipies.

c. *Possibile* verisimile igitur est, quod aperte non pugnat cum circumstantiis temporum, locorum, personarum. In fabula Phœdræ possibile admodum est, ad preces Thesei, Herois, Semidei, Dii amici, ex mari monstrum repente erumpere; *Necessarium* verisimile autem, quod iisdem circumstantiis consideratis probabilius extitit. In eadem fabula, si monstrum marinum prodivit, necessarium verisimile est, a monstro horribili, ignivomo, rugienti equos Hippolyti conterritos, Hippolytum ipsum curru excussum, habenis implicatum, & per saxa reptatum fuisse.

2. *Unitas* Dramatica non est contenta simplici illa unitate finis, quam Epopoeiæ assignavimus, & quæ nihil impedit Poëtam; per loca & tempora a se mutuo remotissima discurrere; sed triplicem omnino unitatem inexorabili severitate postulat. Sunt vero hæ:

a. *Unitas Actionis*, quæ ut alias jam explicatum est, in ordinatione omnium

mediorum, & quarumcunque particularium actionum ad unum & simplicem actionis primariæ scopum consistit.

1. *Annot.* Poterunt fortassis particulares actiones in fines speciales & disparatissimos ordinari ab agentibus diversis, sed id quidem minime officiet, si modo ad finem primariæ actionis etiam præter intentionem agentium conferant, & postremo colligantur.

2. Si actiones particulares intermediæ a principio ad finem mutuo concatenatæ sint, & recto tramite ad scopum tandem perveniant, *Actio simplex & episodiis vacuo* nominabitur; si particularium actionum autem aliqua primariæ leviter solum annexa sit, ea *Actio episodica* vocatur tamdiu, dum cum primaria, quod semper fieri debet, uniatur. Erit enim erronea & inepta actio, si nunquam cum actione principali conjungatur; Quo ipso Episodium dramaticum ab Episodio epico differt, quod hoc, epicum scilicet, etiamsi alienum penitus & rei extraneum sit, adhuc Episodium vocetur: illud autem dramaticum, sine erroris nota ne patiatur quidem actiones, quæ cum actione principali Dramatum non sunt colligatæ.

b. *Unitas temporis*, de qua constituenda varie multumque a præceptoribus criticis disceptatum est, cursu diurno solis definitur; id est: actionem intra viginti quatuor horas oportet incipi

ac

ac finiri, ut verisimilitudinis ratio sarta tectaque maneat.

1. *Annot.* Mitigatio regulæ apellari hæc debet melius quam regula, dum unitati solis diurnus cursus assignatur. Ex regula namque duratio actionis cum repræsentationis duratione congruere debeat, atque adeo actio tota intra paucas horas binas vel ternas coarctari. At quoniam visum est difficilius actiones reperiri, quæ tam angusto tempore circumscribi ferant, ad 24. horas usu & indulgentia unitas ista est dilatata.

2. Sed in ipsa harum 24. horarum distributione actio ita dextre disponi debet, ut quoniam inter quinque consuetos actus quatuor stationes reperiuntur, (post singulos actus singulæ) ubi actio personarum quodammodo pausat ac quiescit; quoniam nox item prope dimidium talis diei efficit; propterea in noctem, & stationes medias aliquid actionis dramaticæ rejiciatur, cetera deinceps autem ita dispescantur, ut tempus repræsentationis cujusvis actus cum tempore actionis prope concordet, aut saltem non plurimum discrepet.

3. Id etiam compendii fere advocare solent Poëtæ dramatici, ut principium actionis suæ non admodum manifeste alicui determinatæ temporis parti affigant, quo genere fuci non admodum repugnantibus spectatoribus obrepere solent, ne ad severas unitatis temporariæ leges accurate respiciatur.

c. *Unitas Loci* non minoribus, fortaſſis etiam majoribus difficultatibus obnoxia eſt, quam priores; quoniam in rigore actio tota illo uno eodemque immoto loco gerenda eſſet, quo ſpectator conſidet; id quod ſæpiſſime vix ſine læſione decori & conſuetudinum apud homines receptarum ordinari poteſt. Quare mitigatio regulæ itidem in ſupplementum non raro accerſenda eſt; contentosque oportebit aliquando eſſe ſpectatores unitate loci vaga, & non tam accurate fixa, v. g. in iisdem ædibus, non nominatis iisdem conclavibus; in eadem urbe, diſſimulatis domibus aut foris &c.

1. *Annot.* Certe ad nuncium e. g. audiendum perſona Regia contra characteris decorique leges in forum prodit, cum nuncius ad eam potius deducendus erat, ſiquidem id ſine jactura Unitatis Loci fieri poſſet. Commutare autem forte ſcenam ſpectatoribus loco non motis, & nunc eos in hortis; nunc in urbe, nunc in diverſis conclavibus, alias etiam in ſilvis eadem actione durante varia ſcenæ repræſentatione collocare, id adeo pugnat cum veriſimilitudine, & oculorum noſtrorum, judicum intentiſſimorum, judicio, ut omnem expectatam delectationem in auditoribus craſſius illuſis neceſſario ſuffocet.

2. Quoniam autem præterea obſervatum fuit, ſine commutatione ipſius ſcenæ peſſime locum, actionem, dictionemque cohæſura, ut,

ut si in fori scena moratus, tanquam in regiis ædibus aut conclavibus concilia & colloquia de rebus gravissimis occultissimisque celebres: supererat una, quam communi suffragio adhibuerunt medelam, ut a designando loco, aut saltem distincte designando abstinerent, cetera spectatorum arbitrio permitterent. Itaque acta Romæ, acta Athenis, acta in castris &c. adscribebant, si qua fabula ad unum eumdemque physicum locum alligari præfractius forte renuebat. Quandoque locum omnem penitus taciti dissimulabant: quem hodie morem non omnino imprudenter imitabimur, si casus feret.

f. Dramatum porro Forma id omne dicetur, quod actionem delectam Dramati aptam reddit, & fabulam inde delectabilem conformat. De hac post cetera multa, cum de Epopoeia ageremus, jam recensita, tria nobis adhuc peculiariter notanda sunt: *Nexus*, *Solutio*, & *Machina*.

1. *Nexus* est prior pars fabulæ, seu totum id (ut Aristoteles c. 16. habet) quod a principio usque ad ultimam partem pertinet, in qua mutatio exhiberi incipit.

2. *Solutio* proinde erit pars posterior fabulæ seu illa, ubi fortunæ commutatio incipit ad finem fabulæ usque, quæ non nisi mutatione fortunæ penitus consecuta absolvitur:

a, *Annot.* Cum in omni Dramate mutatio fortunæ vel infelicem, vel in infelicem necessario & ex natura Dramatis fieri, eaque mutatio artificiose præparari debeat, atque adeo non solum caussæ semina mutationis hujusmodi primum differenda, tum pedetentim ad finem suum promovenda sint, quod diversis implexionibus, seu conatibus, & conatuum eversionibus, ac mutuis compendiorum & obicum colluctationibus efficitur; hoc totum *nexus* nomine præceptores comprehenderunt, quod nempe nectat & implectat fabulam ad affectuum excitationem & majorem spectantium delectationem. Illud autem, quidquid ad finem usque geritur, cum ab elisa jam omni colluctatione ad mutationem præstitutam inclinari cœpit actio, *Solutionis* nomine compellarunt.

b, Solutio hæc ordinarie *Peripetia* aut *Agnitione* fit, nonnunquam utraque simul, quod supra de Epopoeia docuimus. aliquando tamen etiam Veteres & Epici & Dramatici Poëtæ id præstiterunt per machinam, quamquam perperam; cum solutionem fabulæ juxta Aristotelem supra citatum c. 15. oporteat ex ipsa fabula contingere non a machina, quod in Medea Sophoclis factum, quæ sceleribus omnibus confectis avolat; aut ut apud Homerum in Iliade est, qui jurgium Agamemnonis & Achillis, cum fere jam ad cædem ventum est, interventu Palladis solvit Achillem per capillos retrahentis.

3. *Machina* autem apud Gentiles erat subitum, inexpectatum, mirabile, & humanis viribus majus, præsertim ex Deorum apparitione, auxilium, quos in machinis

ex

ex aëre plerumque demittebant, ad expediendum, si quid valde implexum offerebatur, aut trepidatio & externatio summa ingruisset. Hinc ortum est de ope inexpectata in rebus admodum arduis proverbium: *tanquam Deus ex machina.*

*Annot.* Hanc itaque machinam Aristoteles non nisi cautissime ad solutiones forte Episodiorum & nodorum humanis viribus majorum; aut ad occultorum & futurorum manifestationem adhiberi patitur; ad fabulæ solutionem nunquam. Quod ipsum Horatius inculcat de Art. *Nec Deus intersit, nisi dignus vindice nodus inciderit.* Unde porro consequitur: recte supra rejectam esse Medeæ machinam, quippe ad solutionem fabulæ adhibitam; recte item Palladis interventum improbari, quamquam ad Episodii solutionem tantum applicatum; quod nimirum is nodus vindice Deo dignus non erat.

g. Fabulæ Dramaticæ partes majores tres hodie numerantur: *Protasis*, *Epitasis*, & *Catastrophe*, quasi latine Propositionem, Implicationem, & Explicationem voces.

*Annot.* Quatuor partes a veteribus præceptoribus, imo quinque a nonnullis traditæ sunt, *Prologus*, *Protasis*, *Epitasis*, *Catastasis* & *Catastrophe*, ubi tamen *Catastasis* nomine nihil aliud, quam ferventior aliqua prosecutio Epitasis & Implicationis continuatio intelligitur: cum contra divisio prior in tres partes cum Actuum partitione facilius congruat. *Prologus* autem nisi in Comœdiis locum habere non potest. De quo infra videbimus.

1. *Protasis* (seu Propositio) pars prima Dramatis est, qua declaratur, qui sint actores, quo statu ac loco sint, qui moliantur, ceteraque omnia scitu necessaria explicantur, quæ præmitti convenit; Implicatio inchoatur, imo futuri jam eventus aliquod nonnunquam indicium, quamvis obscurum, præmittitur.

a. *Annot.* Sunt, qui nolint personam ullam in ceteris Dramatis partibus induci, quæ non in prima hac vel in scena jam comparuerit, vel narrando describendoque jam declarata sit, imo petunt: ut characteres eorum etiam nobis jam cogniti sint, minoribus forte personis solis exceptis, quæ famulandi, nunciandi, aut simili aliqua caussa adhibentur.

b. Narrando personas nonnullas, aut circumstantias necessarias futuri Dramatis patefacere valde usu detritum artificium est: itaque ea Protasis optima judicabitur, quæ ipsi actioni continuo sic innectitur, ut ex ipsa rerum tractatione omnia scitu necessaria perspiciantur.

c. Excellentissimum Protasis exemplum habetur apud Sophoclem in Oedipo; ubi nemo declarat Oedipum esse heroëm Dramatis, esse Regem & liberatorem Thebarum, Thebas locum actionis esse; nemo Thebarum statum præteritum & præsentem, nemo, quis Pontifex, quis Creon sit, explicat, sed ex uno Pontificis cum Oedipo colloquio innotescunt omnia, cum interim hi duo actores tantum de re præsenti sua tractare & colloqui videantur. Sed libet coram inspicere. Ita nimirum loco citato:

Pue-

Puerorum & sacerdotum choro cum Pontifice comparente Oedipus ex aula egrediens pueros alloquitur: Miseri, inquit, filii, cara antiqui Cadmi progenies, quid vittæ, quid olearum rami, supplicantium insignia denotant? quid Thebæ fumant thure? cur undique gemitus? Sed tu bone senex potius istorum vice eloquere. Respondet Pontifex: En pueri ægre vitam trahentes, en Sacerdotes annis graves, pontifex ego Summi Jovis sum. Reliquus populus in foro dispersus, alii Palladis, Apollinis alii templa circumeunt, Tibi moestitiæ caussa incognita non est. Tu, qui Thebas fatali Sphinigis tributo liberasti, servator & pater adsis. Ad quæ Oedipus: Infelices vos, ait, novi vestra infortunia; quid non tentavi, ut vobis subvenirem? Id unum, quod restabat, feci, & Creontem uxoris meæ Jocastæ fratrem Delphos Apollinem sciscitatum misi, nondum is rediit, eo reverso continuo Apollinis mandata implebo. Vix hæc, cum Creontis reditus nunciatur, qui Apollinis equidem responsum edit, sed quod obscurius id videatur, ad interpretandum oraculum Tiresias accersitur &c.

2. *Epitasis* (quasi Suppositio, cum post Protasim immediate, & conjuncta ponatur) est implicatio seu series omnium difficultatum, quæ actioni obstant, & series omnium compendiorum, quæ ad difficultates superandas applicantur.

a. *Annot.* In Tragœdia e. g. perturbatio spectatoris in hac parte incipere & crescere debet; sed quoniam sine remissione aliqua jugiter hanc perturbationem intendi non ferret

ſpectator, ita vices hic alternare neceſſe eſt, ut ſenſationibus aliis, v. g. ſpei, lætitiæ &c. ad tempus ſuccedentibus, animus aliquantiſper elevetur ac ſuſpendatur, ut tanto deinde graviori pondere rurſum in perturbationem relabatur.

b. Admirabilis plane eſt Sophoclea iterum in Oedipo Implicatio. Ibi enim Oedipus ex una perturbatione in aliam aliamque recedit, mox per varias vices ad aliquam lætitiam attollitur, poſtremo per novas ineluctabiles turbas ad ſummam infelicitatem paullatim deprimitur. En exemplar ipſum in compendio.

1. Allatum per Creontem reſponſum Apollinis, quo percuſſor Lai regis in exilium ejiciendus jubebatur, Tireſias explicare cogitur, qui multum tergiverſatus percuſſorem prodere, tandem declarat Oedipum hunc eſſe (Quanta Oedipi perturbatio!)

2. Oedipus ſe certo innocentem putans colluſionem Tireſiæ cum Creonte ſuſpicatur, necquidquam ſe excuſante Creonte. (Quam alia iterum animi laceratio!)

3. Jocaſta Oedipi uxor maritum exagitatum ſedatura, oraculi veracitatem elevat; quippe quod Laium a filio occidendum prædixerit, cum filius tamen infans periverit, Laius in itinere a latronibus occiſus fuerit (Quies hinc tantilla animo Regis ad breve tempus)

4. Oedipus Jocaſtæ relatione excitatus in tempus, locum, modum cædis, ſtaturam item ac formam cæſi inquirit, & pœne omnia cum cæde a ſe itinere olim facta convenire intelligit. (Quam acerba denuo Oedipi dejectio!)

5.

5. Sed cædes a latronibus perpetrata eſt, Oedipus ſolus fuit, cum occidit. (Hæc ad animum erigendum valent.) Ad plenam tranquillitatem recipiendam advocatur, qui ſolus adhuc ex comitibus Lai in illo itinere ſuperſtes eſt. (Affulget ſpes innocentiæ.)

6. Jocaſtæ conſolanti cauſas curarum ſuarum aperit Oedipus: oraculum duplex, de patre occidendo, & inceſtis cum matre nuptis. (Hinc timor, horror, trepidatio.)

7. Allabitur inexpectate Corintho paſtor nuncius, qui regem Polybium Oedipi patrem mortuum, Oedipum Regem expeti adfert. (Quanta lætitia! præſertim quod pater Polybius morbo perierit, adeoque oraculum de occidendo patre vanum ſit.)

8. Regina Merope adhuc vivente aliud oraculi caput de inceſtis nuptiis ſupereſt Oedipum excrucians. (Rurſum timor & anxietas.)

9. Scrupulum eximit paſtor nuncius declarans: Oedipum Polybii & Meropes filium non eſſe. (Rurſus nova perturbatio! recrudeſcunt omnia.)

10. Quorum igitur filius Oedipus? Novit ille, qui eum tradidit, paſtor, quique tanquam comes Lai advocatus jam eſt. Urgetur illius adventus. (Novi timores, novæ ſpes mutuo confligentes!)

11. Jocaſta anxia & dolens ex circumſtantiis de rei veritate ſuſpicata Regem ab inquiſitione avertere conatur; ſed hic eam ex ſuperbia fœminea ſollicitam credit, ne forte Oedipus conjux ſervili loco natus deprehendatur, quod generoſe contemnit ac inquirere

rere perſeverat. (Quanta perturbatio & deſperatio Reginæ! Quæ nova inflammatio & anxietas Regis!)

3. *Cataſtrophe*, latine Converſio, aliter etiam Explicatio, eſt illa pars ultima eaque præcipua Dramatis, in qua omnis difficultas ſolvitur, resque tota ad exitum perducitur, cum converſione integra fortunæ a felice in infelicem, aut pro argumenti ratione ab infelice in felicem.

a. *Annot.* Reſpondet penitus apud Sophoclem Oedipus etiam in ultima hac Tragœdiæ parte prioribus; nimirum ita fabula hæc pertexitur:

Oedipus de generis ſui conditione (quæcunque demum futura ſit) certo reſciſcere cupiens, dum ex paſtore utroque inſtantiſſime acerrimeque ſciſcitatur, intelligit tandem manifeſto, ſe illum eſſe, quem tanto ſtudio detegere contendebat, ſe eſſe Lai filium, ſe eſſe parricidam, Lai Regis interfectorem, ſe eſſe inceſtis nuptiis cum matre Jocaſta copulatum, ſe eſſe abominandum omnibus, ſe eſſe cauſſam malorum patriæ, & ex oraculo Apollinis in exilium ejiciendum. Quis ad hæc Oedipi ſtupor! horror! fremitus! Quis Oedipo mox ante fortunatior, quis nunc per iracundiam & fervidam nimis voluntatem infelicior! Itaque mœſtitia & pudore furens irrumpit in conclave Jocaſtæ, quæ prius rei conſcia præ deſperatione ſe ſuſpenderat. Ejus ſpectaculi horrore amens Oedipus poſcit arma ad mortem ſibi conſciſcendam. Cum deſunt alia, ex Reginæ veſtibus fibulam detrahit, cujus cuſpide oculos ſibimet configit, lucem exe-

exosus, nec patriam nec homines jam videre & ferre valens. (Hæc facta Spectatoribus narrantur.) Tum ipse coram adest Oedipus cœcus, cruentatus adhuc, querelis miscens omnia, imprecatus iis, qui sibi infanti pepercerunt, & in solitudinem ejici postulans. Verum memor adhuc paternæ charitatis Creonti futuro Regi non tam filios quam filias desertas commendat, quum ecce auditur ejulatus earum; omnes enim Creon acciri fecerat, sequiturque tenerrimum spectaculum, valedictio.

b. Conversione facta Cathastrophen finiri, & Drama missis quibuscunque novis ambagibus concludi ex artis regulis decet. Quare liquido patet, peccasse Sophoclem, cum horroribus & infelicitatibus Oedipi jam ad exilium damnati & deputati adhuc tenerum valedictionis spectaculum affectuum ciendorum caussa tanquam laciniam assuit.

c. Ex uno hoc exemplo disce, quam non solum fabulam mirabiliter ad finem suum paullatim producere necesse sit, sed etiam quam varios & plane contrarios characteres miscere, & quam diversos affectus ex iis elicere oporteat. *Oedipus* furens, dolens, lætus, anxius; *Tiresias* prudens, audax, & intrepidus, *Creon* innocens, officiosus, compatiens; *Iocasta* timida, provida, tenera, sollicita, perturbata, desperans; *Pastor* simplex, rectus, sed minus perspicax, & improvidus, &c.

h. Tres partes maiores Dramatis modo explicatæ in quinque minores, quas *Actus* vocant, convenienter opportuneque distribui debent ex aperta lege Horatii de Arte;

*Neve*

*Neve minor, neu ſit quinto productior actu*
*Fabula, quæ poſci vult & ſpectata reponi.*

1. *Annot.* Id in actuum diſtributione inprimis fugiendum, ut ne per partitionem ſeparatæ actiones efficiantur, ſed actus omnes vinculo communi unitatis actionis & finis adhuc ſemper deligati maneant. Fere autem *Actu primo* Protaſin, *tribus mediis* Epitaſin, *quinto* autem Cataſtrophen concludi receptum eſt; quamquam non deſint etiam exempla apud Veteres, in quibus protaſis ad ſecundum tertiumve quandoque Actum trahatur.

2. Quamquam de Actuum ſingulorum magnitudine laborandum magnopere non ſit, quippe quæ ex rerum contentarum copia pendere ſolet, tamen niſi gravis ratio in contrarium urgeat, curandum, ut ne mole ſua inter ſe diſpares nimium, & minus proportionati ſint Actus.

i. Actus in Scenas dividuntur. Eſt autem *Scena* (quæ vox nonnunquam etiam repræſentationis locum ſignificat) pars actus, in qua una vel plures perſonæ colloquuntur; ſoletque novarum initium aut priorum finis vel adventu, vel interventu, vel demum aditu perſonarum deſignari.

1. *Annot.* Quamquam ex regula theatrum durante eodem Actu vacuum nunquam eſſe debeat, nihil tamen ineptius, quam perſonas ad obſidendum occupandumque theatrum pro ſolo libitu Poëtæ admovere aut removere; ſed oportet cauſſas acceſſus receſſusque ac proinde ſcenarum diviſionis ipſi rei, quæ geritur, inſidere, & ſcenas intime mutuo divinctas eſſe.

2.

2. Personarum in Scenis colloquentium numerum Horat de Arte ad tres constringit: *Nec quarta loqui persona laboret.* Cujus regulæ necessitas ex natura & legibus colloquiorum aperta est. Cum enim duo colloquuntur, tertius vel alterutri se adjungit, aut utrumque conciliat; quid quartus agat? Quod si tamen necessarium aliquando videbitur, quartam personam in eamdem Scenam inducere, ne loqui laboret, non intrudatur, non importuna aut intempestiva effutiat.

3. Monologi, seu soliloquia, cum una tantum persona secum ipsa loquitur, magna cum cautione adhibenda sunt, nec nisi in summo aliquo affectu, nec prolixa nimium. Est enim utrumque contra id quod in natura accidere solet; ac proinde minime verisimile. Facilius ea tolerantur, in quibus ex affectuum pugna sermones in deliberationibus erumpunt, ut cum Agamemnon de filia Iphigenia sacrificanda deliberat. Videntur enim tunc Agamemnon Rex & Agememnon Pater colloqui, quorum prior victimæ istius sacrificium vult, posterior negat.

k. *Chorus* Veterum in Tragœdiis tantum usitatus multitudo hominum erat, virorum, fœminarum, Sacerdotum, militum, Pastorum &c. prout argumentum expetebat, qui in ipsa scena tanquam spectatores adhibeantur, & populum repræsentabant, versimilitudinis lege tum ita postulante, quod actiones magnorum hominum fere in foris aut palam perpetrarentur. Hæc multitudo plerumque post actus singulos intercinebat aliqua, quæ cum Dramate cohærebant, ad virtutis laudes & in-

incitamentum, ad mores instruendos &c. Quod Chori officium Horatius in Arte fusius prosequitur:

*Actoris partes Chorus, officiumque virile*
*Defendat: neu quid medios intercinat actus,*
*Quod non proposito conducat, & hæreat apte.*
*Ille bonis faveatque, & concilietur amicis,*
*Et regat iratos, & amet peccare timentes:*
*Ille dapes laudet mensæ brevis: ille salubrem*
*Justitiam, legesque, & apertis otia portis:*
*Ille tegat commissa, deosque precetur, & oret,*
*Ut redeat miseris, abeat fortuna superbis.*

*Annot.* Alias etiam Chorus totus personæ colloquentis vicem subibat, & sensa sua per aliquem hujus multitudinis ductorem explicabat, qui propterea *Chориphæus* aut etiam *Choragus* appellatur.

1. *Mimi* in Comœdiis explebant fere locum Chori, qui, postquam in ordinem redacti sunt, gesticulationibus artificiosis, sæpe ridiculis, post Actus singulos, aut quæ jam ante acta erant, aut certe aliquid actioni connexum, vel saltem affine exprimebant: ut interea spectatores ab attentione in fabulam requiescerent, neque tamen toti quanti a rebus jam actis porro peragendis averterentur. Et quoniam hoc genus hominum gestibus omnia exprimere mire doctum erat, Pantomimi hinc etiam dicti sunt.

*Annot.* Quamquam hodie non referat, quod genus exhilarationis Mimorum loco Actibus Comœdiæ in-

interferatur, tamen vel fcenas joculares ad reficiendos, ut nonnulli prætexunt, fpectatores, vel muficam aliquam lætiorem Tragœdiarum actibus hodie perperam, & contra omnes tragici finis leges fubjungi apud artis peritos in confeffo eft.

m. *Sermo* Dramatis univerfe loquendo, quemadmodum accuratiffime perfonarum loquentium ftatui, characteribus, affectibus attemperatus, & in opere poëtico poëticus femper effe debet, ita tamen ex diverfa applicatione ad Tragœdiam vel Comœdiam diverfiffimus defiderabitur, ut infra exequemur; perpetuo tamen fimul artificialem oratoriumque tonum longiffime defugiet, & dialogicam feu fermocinationis elocutionem præ oculis habebit. Itaque præcipue

1. *Sententiæ*, id eft, dicta moralia univerfalia, apud nonnullos antiquos etiam, ut Senecam, tantopere in deliciis habita, magno ftudio devitabuntur. Quanto magis præftabit veritates ejusmodi morales fermoni ipfi intexere, & perfonæ aut rei alicui fingulari proprias facere; qua ratione ex theoretica fit doctrina practica, promtius efficaciusque in animos influens. Sic fententiam moralem: *Etiam dona hoftium timenda funt;* Poeta ad Laocoontem transtulit: *Timeo Danaos & dona ferentes.* Gloriari enim fententiis velle fecus videbimur, quod puerile eft.

2. Figuræ oratoriæ, similitudines apertæ, repetitiones, descriptiones, Lyricæ sublimitates &c. & quidquid Poeta personæ loquenti assignasse, non persona ipsa ex sensu suo prolocuta existimari poterit, dramatico sermoni prorsus inepte immiscebitur; infringet enim hoc verisimilitudinem, & scholæ artificium prodet, non naturæ imitationem exhibebit.

n. *Scena* seu theatrum merito tanquam locus actionis considerandus, & huic fini sollicite adaptandus est. Itaque pro pastoribus satyrisque rus aut sylvæ, pro Regibus ac illustrioribus personis Regiæ, conclavia, horti; pro civibus aut plebe civiles domus, fora, vici, compita, casæ &c. in theatro repræsentabuntur, & pro libitu decorabuntur. Qua ipsa in re prudentia tamen directrice opus erit, & tempus quoque, regio, ac populi alicujus consuetudo in consilium adhibenda, ut scena actioni & omnibus illius partibus, qua fieri potest, respondeat. Profecto Americanus aliter olim habitabat, quam hodie rusticus Europæus, & germanus hodie longe alia, quam Julii Cæsaris tempore, utitur habitatione.

*Annot.* Theatra Veterum Romanorum eadem penitus forma, qua Græcorum ædificata & instructa erant. Tres nimirum præcipuæ partes in his theatris distinguebantur: 1.) *Theatrum*, seu scena, locus Actorum, in quo *Proscenium*, spatium ante scenas porrectum, actoribus ad dicendum

dum prodituris destinatum, 2) *Orchestra* locus proxime adhærens theatro, in quo mimi, agyrtæ, circulatores &c. cantus, gesticulationes, aut præstigias suas edebant. 3.) *Amphitheatrum* vel hemicyclus, quem inde a theatro ex plano viginti & uno gradibus elevata subsellia occupabant. Hæc pars item *Cavea*, spatium autem aliquod latius post septenos gradus interjacens *Præcinctio* dicta est. Ex quo non Dramaticorum modo, sed aliorum etiam auctorum classicorum loca plura implexa explicabis & luce debita perfundes.

9. *Vestitus* scenicus quoque ad rationem actionis; quæ pro scena exhibetur; curate exigendus est, in eoque ad nationis, ætatis, dignitatis diversitatem, & ad cetera, quæ morum appellamus discrimina, diligenter respiciendum. Neque enim Germanum veterem e.g. Romano more, neque Numidam Thracemque aut alium Asiaticum gallica veste amicies; non Simo & Pamphilus, aut Amphitruo & Sosias simile vestium genus induent.

1. *Annot.* Si forte, qua vestitus forma utendum personis tuis sit, ex historia deprehendi certo non valeat, verisimilitudo in electione erit attendenda, non modo quæ Poëtæ judicio, sed longe magis, quæ spectatorum prudentium arbitrio desiderioque gratior futura prævidebitur.

2. Græci Romanique tam sæpe in scientiarum artiumque genere concordes vestitus tamen dramatici genere discerpabant. Et priores quidem in Tragoediis *Syrmata*, in Comœdiis autem *pallia*; Latini autem in Tragœdiis *prætextas*, in

Comœdiis *togas* induebant, unde locutiones: *Comœdiæ palliatæ*, *Comœdiæ togatæ* & *fabulæ prætextæ* manarunt, quibus nominibus illa prior græco, hæ posteriores romano more exhibitæ significantur. Erat enim Prætexta genus vestis, nobilibus tantum permissum, toga autem vestis popularis. Unde Horat. de arte fubulas latinas in prætextas & togatas conceptis verbis partitur:

*Vel qui prætextas, vel qui docuere togatas.*

3. Sed calceamentorum item genus pro argumenti varietate plane diversum erat; Tragœdorum enim *Cothurnus* erat proprius, genus calceamenti altius, quod celsiores ipsos actores reddebat: ut *socci* contra (genus calceorum humile) Comœdis tantum in usu erat. Fluxit hinc latina illa locutio, qua per *cothurnos* ipsa Tragœdia; per *soccos* autem Comœdia indicabatur, uti per *planipediam* mimica circularis & repræsentatio, quippe quibus nullus calceamentorum usus erat.

p. *Titulus* seu nomen Dramatis, undenam potissimum repetendum sit, controversum aliquando fuit. Recentiores in eo multum laborarunt, ut ingenioso aliquo titulo præfixo opera sua dramatica insignirent & commendarent; Veteres admodum de ea re sollicitos non fuisse reperimus, sed pro suo simplicitatis amore ex primaria Dramatis persona nomen toti Dramati imposuisse, ut: *Oedipus*, *Medea*, *Phormio*, *Amphitruo* &c. modo ex loco aut regione, ut: *Andria*, *Troas*; modo ex aliqua peculiari Dramatis circumstantia, ut *Aulularia* ab olla in terram defossa;

*Perso*

*Perſa* a ſumta Perſæ hominis veſte: rurſum ſæpe ex uno & mero Poëtæ libitu, ut: *Rudens*, *Trinummus*. &c. Id certiſſimum, quo ſimplicior, magisque ab affectione abfuturus eſt titulus, eo meliorem cenſeri.

q. *Argumentum* Dramatis & *Perſonarum* nomina poſt titulum olim & hodie deſcribi in more poſitum eſt. De argumento nihil eſt, quod addamus, Perſonarum autem numerus (puta actricium, neque enim adjectitiæ aut famulantes in cenſum venire debent) a quatuor ad octo fere excurrit, de quibus univerſe ſedulo cavendum, ne otioſæ, minus neceſſariæ, aut extraneæ aliquæ adſciſcantur.

r. *Longitudo* aut duratio Dramatis ad horas paucas aliquot extendi poterit, magno tamen ſtudio faſtidium illud fugiendum, de quo apud Plautum *in Menæchmis* Senex queritur, *Lumbi ſedendo, oculi ſpectando dolent.*

s. Quoniam finis Dramatis eſſe debet excitatio affectuum, atque inde orta delectatio; affectuum autem ea genera plus ad delectationem conferunt, quæ animos validius agitant; hinc præceptores Dramatici rectiſſime ſecundum genera affectuum Dramatum etiam ſpecies diſpeſcuerunt. Itaque obſervato, duobus generibus affectuum triſtitiæ & lætitiæ homines præ ceteris fere omnibus fortiſſime

commoveri, ex horum affectuum finibus *Tragœdiam* ac *Comoediam* constituerunt, & suis quamque particularibus legibus instruxerunt.

t. Quare primum, quæcunque de Dramatis hucusque universe præcepta sunt, ea omnia de specie Dramatis utraque item intelligenda & huc traducenda existimabuntur; quæ cuique autem harum specierum deinde propria & peculiaria sint, & quæ illarum mutuo discrimina, ea nunc adhuc propius dispiciamus.

## A. De Tragœdia.

a. Cum superius diximus: ex Epopoeia natum esse drama, id de Dramatis specie tragica præcipue intelligendum est, quoniam hæc prima ab hymnis Deorum, interque eos principe loco ad hymnis Bacchi ortum duxit, paullatim hymnis templi & sacrificiorum derivatis a Choro ad singulares personas; & hymnis Religionis ad Heroum aliasque res cantandas; postea a cantu ad recitationem, & denique ab una ad plures personas colloquentes pedetentim translatis, donec tandem in eam formam redacta est a Græcis, qua hodie adhuc exultat.

b. Nomen ipsum Tragœdiam conversionis hujus epocham aliquam exprimit, dum nempe vel ad sacrificium hirci, qui tanquam vinearum hostis Baccho mactabatur, a sacerdotibus & populo hymni concinebantur, vel fortasse me-

melius, quod hircus in festis Bacchi carmine gravi contendentibus præmium victoriæ deputatus esset. Hoc nimirum insinuat Horatius de Arte: *Carmine qui tragico vilem certavit ob hircum.* Vox namque græca τραγος hircum, & ᾠδὴ cantum significat.

c. Definitio naturam intimam Tragœdiæ ita explicat: Est *imitatio actionis illustris & veræ cum conversione & fortuna felici in infelicem ad terrorem & commiserationem spectatorum excitandam.* Quæ quidem definitio illa omnia comprehendit, quibus & intime constituitur, & ab altera item Dramatis specie, quæ Comœdia est, accurate sejungitur, quemadmodum singula expendentibus clarum erit. Et quidem

I. *Actionis illustris* imitationem esse oportet; neque enim alii actores in tragœdia induci debent, aut possunt, quam viri principes, illustres, heroës, in quo cum Epopoeia convenit, quæ heroicorum facinorum est pariter cantatrix; a Comœdia autem discrepat, quæ personarum humilium actiones repræsentat.

a, *Annot.* Actiones ex duplici capite illustres & heroicæ reputantur, nimirum vel ratione sui, vel ratione personarum agentium. Prioris classis illæ sunt, quæ grande & illustre aliquod objectum respiciunt, ut: Fundatio regni aut reipublicæ, consecutio aut amissio throni, punitio tyranni, victoria vehemen-

tiſſimæ alicujus paſſionis &c. poſteriore autem claſſe continentur actiones, quæ a perſonis illuſtribus proficiſcuntur, quales ſunt Reges, Principes, Rerumpublicarum adminiſtri &c.

b. Etſi dubium non ſit, etiam actiones grandes a civibus, imo quandoque humilioris conditiónis hominibus perpetrari poſſe, & tragicas actiones plus ſimplici vice in hac claſſe hominum evenire, quia tamen artes ſemper ſummum & nobiliſſimum cujusque generis imitationis ſuæ præfigere debent; quoniam terror item & commiſeratio longe major eſt in perſonis ex ſublimitate magna delapſis, quam qui humi ſolum (ſi ita loqui fas eſt) corruerunt; cum denique cothurni, & quæ cum eo connexa ſunt, ſermo, mores, characteres tragici &c. ad mercatorem & civilem ſtatum demitti nullo pacto valeant: facile hinc patet, quid de Tragœdiis civilibus ex artis regulis ſentiendum ſit.

2. *Vere* cum dicitur, id præcipitur, ut Tragœdiarum actiones & argumenta ex hiſtoria & rebus vere geſtis deligantur, non fabulæ ex Poëtæ cerebro effictæ, quamcunque cetera ad veriſimilitudinis leges ſint compoſitæ. Quo diſcrimen iterum aliud a Comœdia aſſignatur, cujus actionem totam oportet eſſe fabulam quam veriſimillime conſtructam, ut infra.

3. *Cum converſione a felicitate ad infelicitatem.* Hæc verba tanquam nota, ut ajunt, characteriſtica Tragœdiæ addita ſunt: neque

que enim Tragœdia ſine hoc lapſu ad infelicitatem vel cogitari, nedum vocari poterit, quoniam terror & commiſeratio, qui primarius totius ejus artificii finis eſt, ſine hujusmodi converſione quomodo impetrari valeat, omnino vix apparet, ut nihil dicamus, contineri his verbis item Tragœdiæ & Comœdiæ diſcrimina, quarum poſterior hæc converſionem ſemper ad felicitatem expetit.

a. *Annot.* Putant nonnulli Recentiores magiſtri, duplicem ex actionis conſideratione, ſtatui debere Tragœdiam, aliam nempe Tragœdiam ſimpliciter & proprie dictam, quæ actiones undequaque tragicas reſpiciat, & de qua hoc loco tractamus; aliam autem Tragœdiam mirabilem ſeu heroicam, quæ aliter etiam *Spectaculum Lyricum* ſeu *Opera* vocatur, & in qua exitus felix, Muſica vero ad exprimendam rite mirabilem magnitudinem perpetuo Poëticæ adjungitur. Sed iſta quidem hujus fori non eſt; id tamen interim certum: longiſſime hoc genus Tragœdiæ mirabilis ſeu heroicæ a notiſſimis Tragœdiæ noſtræ & omnis Poëticæ legibus divagari.

b. Aliquando forte minus reprehenſione digni ſunt recenſiores hodierni paſſim, qui dum cetera omnia ad artis regulas accurate exigunt, heroëm tamen ſuum ad infelicitatem deturbari non patiuntur, ſed poſt continentem & diuturnam luctam de difficultatibus omnibus triumphantem inducunt, non auſi ſpectacula hæc (quamvis perſonarum illuſtrium actiones) Tragœdias appellare, generale nomen *Dramatum* adſciverunt, refragante tamen tota an-

tiquitate, & inſciis præceptoribus artis ad unum omnibus.

4: *Ad terrorem & commiſerationem excitandam* propterea in definitione dictum eſt, ut finis Tragœdiæ deſignaretur, qui ita huic ſpectaculo proprius eſt, ut tantum pro ratione ſecutæ talis animorum commotionis, levioris vel fortioris Tragœdiæ nomen mereatur.

a *Annot.* Quoniam terror & commiſeratio neceſſario excitanda eſt, actiones tragicas exhiberi omnino eſt neceſſe, hoc eſt: grandes & atroces: ut: cædes, deſperationes, ſuſpendia, exilia, orbitates, parricidia, incendia, pugnas, &c. & infinita hujus generis. Qua tamen in re magnopere ad regulas Horatii reſpiciendum eſt, qui quemadmodum id omne ex oculis ſpectatorum removeri jubet, quod decenter repreſentari non poteſt, ita præſertim cædes aut ſimilia atrocia vel etiam mirabilia, quæ vix unquam cum decoro & ſine riſus periculo exhiberi ſolent, non coram populo, ſed clam intus in ſcena geri, geſtum vero cum ſpectatoribus communicari vult. Hoc diſertum iterum illius præceptum eſt in Arte:

— — — — — — *Non tamen intus*
*Digna geri promes in ſcenam, multaque tolles*
*Ex oculis, quæ mox narret facundia præſens:*
*Nec pueros coram populo Medea trucidet,*
*Aut humana palam coquat exta nefarius Atreus:*
*Aut in avem Progne vertatur, Cadmus in anguem.*
*Quodcunque oſtendis mihi ſic, incredulus odi.*

b. Quod Ariſtoteles terrorem & commiſerationem ad purgandos expiandosque affectus vale-

re-

re addit, id consectarium finis est ita accipiendum, quod non solum terror iste alienis exemplis, & tragicis finibus animum concutit, atque passiones subjugandas, & pericula similia devitanda efficacissime docet, sed etiam, quidquid crudum terrori inest, per illam delectationem suavissime auffert, quam partem artificiosa imitandi accuratio, partem conscientia conciliat, qua nos a tantis malis, qualia exhiberi videmus, immunes esse videmus & taciti gaudemus. Nimirum ut apposite Lucretius L. II. canit.

*Suave mari magno turbantibus aequora ventis*
*E terra magnum alterius spectare laborem:*
*Non quia vexari quemquam est jucunda voluptas,*
*Sed, quibus ipse malis careas; quia cernere*
*suave est.*

c. Ut finis iste terroris & commiserationis rite obtineatur, principio statim solicite cavendum est Poëtae in deligendo atque componendo heroë & actione, ut medio quodam loco inter virtutem eminentiorem & vitium sita sint. Sceleratum enim hominem aliquam meritis suis ad infelicitatem delabi sine commiseratione videbimus; valde probo ad miseriam redacto indignationis potius, quam terroris & commiserationis affectus existet, neque quisquam sibi ob probitatem idem obventurum timebit. Itaque oportet heroëm actionis virtute quidem praeditum esse, sed humana, quae naevorum & culparum expers omnium non sit, imo qui culpa sua, etsi imprudens, ruinam, in quam praeceps actus est, construxerit, aut promoverit.

d. Cetera, sive quae ad instructionem fabulae tragicae, sive quae ad artificiosam in partes suas majores & minores divisionem necessario de-

desiderantur, omnia huc revocanda & applicanda sunt, quæ & de Dramate universe mox supra, & de Epopoeia, ac de fictionibus alias tradita fuerunt. Certe allatum de Dramate exemplum: *Sophoclis Oedipus* hujus proprie loci est, non alio fine ibi allegatum, nisi ad regulas speciebus omnibus communes declarandas.

e. De sermone Tragœdiarum vix est, quod peculiariter porro moneamus, postquam universe sermonem poëticum personis aliisque circumstantiis conformandum semper esse didicimus. Itaque stilus sublimis & celsus tragici sermonis proprius erit, quoniam illustrium personarum ut educatio, & tota vivendi ratio præ illa plebis, ita dictio quoque est curatior. Ovidius accurate de sermone tragico Trist. II. pronunciat: *Omne genus scripti gravitate Tragoedia vincit.* Sed erit tamen aliquando pro circumstantiarum item ratione stilus remittendus potius, quam demittendus, personisque aliis inferioribus aut rebus accommodandus, quod in affectibus præcipue magnis observari necesse est; neque enim persona illustris, quæ dolet aut irascitur &c. de verbis conquirendis, aut ingeniosis expressionibus multum sollicita est, sed obvia quæque sine meditatione & cura proloquitur, quin tamen unquam ad stilum comicum prolabatur.

Utrum-

Utrumque iſtud jam Horatius obſervaverat & in Arte monuit:

*Indignatur item privatis, ac prope ſocco*
*Dignis carminibus narrari coena Thyeſtæ.*
*Singula quæque locum teneant ſortita decenter.*

— — — — — — — —

*Et tragicus plerumque dolet ſermone pedeſtri.*

f. Verſum Tragœdiis convenire Jambicum dudum docuit, & rationes præterea convenientiæ iſtius reddidit Horat. in Arte:
*Archilochum proprio rabies armavit ïambo,*
*Hunc ſocci coepere pedem, grandesque cothurni,*
*Alterius aptum ſermonibus, & populares*
*Vincentem ſtrepitus, & natum rebus agendis.*

## B. *De Comœdia.*

a. Comœdia poſt Tragœdiam orta eſt, neque item ut Tragœdia principio niſi ſimplex carmen fuit, in vicis & villis inter & poſt ſolemnes ſacrificii epulas cantari ſolitum. Hoc poſtmodum degeneravit licentia juventutis ferocioris, ſervorum nequitia, & herorum conniventia in convicia mutua, quibus obvios præterea, poſtremo ex mera libidine cives in domibus inſectabantur. Hanc Auctores nomine *Comoediae veteris* Intelligunt. Licentia hæc per Magiſtratus lata lege repreſſa in Satyram tranſiit, moresque civium nominatim perſonis etiam ad eorum ſimilitudinem indutis increbibili diſſolutione lacerati ſunt. Hinc nova

va lege iterum hac Comœdia, quam appellant *mediam* interdici necesse fuit, & tantum vitiorum humanorum in genere tractatio permissa, unde *Comoedia nova* dramatica seu hodierna tandem post multas emendationes ad imitationem Tragœdiæ enata est.

d. Definitur autem hæc nova Comœdia: *Imitatio actionis verisimilis civilis cum conversione fortunæ in felicem exitum ad risum & lætitiam dramatice repræsentata.*

*Annot.* Comprehenduntur hac definitione simul omnia illa discrimina, quæ Comœdiam a Tragœdia distinguunt. Nam in ceteris quidem omnibus perfecte regulas, quibus Dramata universe superius circumscripta sunt, sequitur. Itaque dicitur:

1. *Actiones verisimilis* imitatio. Quoniam enim vera vitia hominum in hominibus fictis repræsentari debent, facile hinc patet, ad bonam verisimilemque fictionem recidere omnia, non in dramatis elaboratione tantum, puta: fabula, partibus, personis, characteribus; sed in ipsa statim materia & argumento, quod Poëta sibi ipsi fabricat. Quid, quod vera facta in materias Comœdiarum deligi apud Athenienses lege vetitum fuit?

2. *Civilis* personarum conditionem exprimit, quæ in Comœdia induci, quarumque actiones pro scena exhiberi debent. Ut non

igi-

igitur in Tragœdiam persona aliqua humilis inferri, (intellige personas primarias & principales) ita non in Comœdiam illustris aut superioris ordinis admitti aliqua potest; nam & humilis summum terrorem ac commiserationem Tragœdiæ frustrabitur, & illustris risum lætitiamque comicam pessumdabit.

*Annot.* Plautus Comicus latinis primus & unus Veterum omnium post reformatam Comœdiam in Amphitruone suo personas illustres cum læto actionis exitu in scena copulavit, imo cum humilioribus etiam permiscuit, (puta servis & ancillis,) atque insolitum genus istud novo nomine insignivit *Tragicomoediæ.* Quod quidem consilium Plauti vel argumenti sui conditione in arctum coacti, vel novitate risum plausumque captantis, nequaquam imitationis exemplum assumi peterit; quoniam turpiter confundit, quæ artis præceptores universi tam solicite secreverunt. Ita vero Plautus novationis suæ conscius in Prologo Amphitruonis per Mercurium se excusat:

*Faciam ut commixta sit Tragicomoedia.*
*Nam me perpetuo facere, ut sit Comœdia,*
*Reges quo veniant, & Dii non par arbitror.*
*Quid igitur? Quoniam hic servus quoque partes habet,*
*Faciam proinde, ut dixi, Tragicomœdiam.*

3. *Cum conversione fortunæ ad felicem exitum*, quæ notam interim Comœdiæ propriam indicant, quæ a Tragœdia differt semper ad infelices tristesque exitus inclinata. Est autem omnino necessarium, ut actio quomo-

modocunque forte per adversa & molesta provolvatur, postremo in optatam felicitatem desinat; quomodo enim nisi per felicem lætumque exitum ad risum lætitiamque permoveatur spectator?

4. *Ad risum & lætitiam.* Hæc verba finem totius Comœdiæ denotant. Itaque etsi partes aliquæ ad lætitiam tendere non videantur, fortassis etiam magis in tristitiam ad tempus collimare: tamen postremo illuc dirigenda sunt omnia, ut risus & lætitia consequatur.

*Annot.* Cum comœdiæ finis risus & lætitia, manifestum est, non omnem & quamcunque actionem personarum civilium materiam Comœdiæ esse posse, sed eam tantum, quæ ad risum & lætitiam deduci patiatur; id quod efficitur, si actionis hujusmodi civilis ea facies potissimum exhibeatur, quæ ridicula & comica reputabitur, itaque *ridiculum* & *facetum* instrumenta duo admodum necessaria risus & lætitiæ comicæ erunt, quorum alterum in rebus, alterum in verbis repositum est. Et quidem:

a. *Facetum* dicuntur sales sermonis cum urbanitate, & Argutiæ cum festivitate conjunctæ. Hoc apud Terentium regnat undique in Comœdiis: apud Plautum facetum licentius usurpatur, & sæpe ad scurrilitatem deflectit, unde meritissime de eo queritur Horatius in Arte:
*At nostri Proavi Plautinos & numeros, &*
*Laudavere sales, nimium patienter utrumque,*
*Ne dicam stulte mirati: si modo ego & vos*
*Scimus inurbano lepidum seponere dicto.*

b. Ri-

b. Ridiculum autem Ariſtoteles ait eſſe vitioſum quiddam ſeu informe & indecorum, quod tamen poſſidenti dolorem nullum adfert, quaſi dicat, minime ingratum eſt. Exempli loco philoſophicus Poëta deformiſſimam Homerici Therſitis faciem allegat. Quædam mirabiliter & informiter compoſitis partibus (quamquam ſine ulla ſua culpa & dolore) conſtabat, ut ſine riſu vix aſpici poſſet. Facies igitur hæc ridicula erat. Quare in ridiculo non ingrato potiſſimum *vis Comica* erit ſita, tantopere a Veteribus celebrata, quæ ut Comœdiam conſtituere debet, & ſentiri ac percipi facile ab omnibus ſolet, ita ſatis lucide explicari vix poteſt. Conſpicuum tamen fit ridiculum hoc Comicum ſequentium fere modorum aliquo:

1. Cum vitioſæ actiones alicujus generis quæ in communi vita plurimis aliorum generum permixtæ ſunt, ſegregatæ & multum coacervatæ exhibentur. Avari actiones e. g. in vita communi non omnes avaritiam produnt, ſed cum aliis quotidianis actionibus vitæ communis miſcentur: in Comœdia, quidquid avarus ait, quidquid optat, quidquid molitur, avaritiæ indiciis affectum eſſe debet.

2. Cum ridiculum fines verſimilitudinis transgreditur. Idem avarus e. g. cereum ſuperfluum accenſum videns, flatu lumen extinguit. Iterum accenſum flatu ſecundum extinguit; accenſum tertio abripit & in ſacco veſtis ſuæ reponit.

3. Quando decorum & decens cum informi & ridiculo componitur, & juxta ſe collocantur. Ita nimirum prodigus juvenis fi-

lius cum sene & avaro patre; pater justo durior Demea, & justo facilior Mitio &c. non sine maxima voluptate contenduntur, & ridiculum gratissimum efficiunt.

5. *Dramatice repræsentata* postremo significat: omnes illas proprietates, dotes, partes, sermonem, ornamenta &c. quæ Dramati universe supra adscripsimus, ad Comœdiam quoque pertinere, nisi si qua parte reformatum aliquid hic est, aut nominatim ex ista Dramatum classe remotum. Leges proinde verisimilitudinis, unitatis, episodiorum, nexus, solutionis, partium majorum & minorum accuratissime in Comœdia quoque respiciendæ & severissime implendæ erunt. Sigillatim tamen adhuc pauca hic commendanda & explananda supersunt:

a. *Prologus* inter partes majores Comœdiæ & numeratur, & desideratur. Cum enim Tragœdia historicis ac veri, &, illustrium personarum actionibus niti debeat; quæ passim cognitæ aut sunt aut merito judicantur, nulla explicatione prævia hic opus est; quod secus in Comœdia accidit, quæ in rerum fictarum, humiliorum ac verisimilium fundamentis non undequaque notis acquiescit, ac proinde spectatorem prius de aliquibus docendum curare debet, id

id quod prologus præſtat; perſona ex natura ſua fabulæ toti extranea, quippe Poëtæ vicaria.

b. Sermo comicus moratus ante alia omnia eſſe debet, perſonisque ſingulis attemperatus, de quo fuſius alibi & ſæpius jam; univerſe pedeſter ille ſermo, quem Horatius Tragicis in affectu poſitis tribuit, hoc eſt, naturalis, planus, nitidus tamen & mundus, ac pro natura Comœdiæ faceto diſtinctus, proprius erit huic Dramatis generi, niſi quod exaltare item ſtilum & ſermonem, ut vocem, aliquando licitum erit Comico, cum affectibus vehementioribus fortaſſis commovebitur, id quod tamen nec frequenter nec diu ſuſcipi poterit, ex ſapientiſſimis Horatii monitis de Arte:

*Verſibus exponi tragicis res comica non vult:*

— — — — — — — —

*Interdum tamen & vocem Comoedia tollit,*
*Iratusque Chremes tumido delitigat ore.*

c. *Verſus* Jambicus Comœdiæ juxta Horatium cum Tragœdia communis eſt: *Hunc ſocci cepere pedem, grandesque cothurni:* quod tamen nec ſemper, nec ita accurate obſervatum fuiſſe deprehendimus, cum Cicero de Oratore diſertis verbis dicat: *Comicorum ſenarii ſic ſæ-*

*pe sunt abjecti; ut vix in his numerus, & versus intelligi possint.*

*Annot.* Exemplo Poëtarum Comicorum apud Latinos principum: Plauti & Terentii profecto certi nihil statui potest; id solum observationes constantes affirmant, apud Terentium sæpius trimetros Jambicos occurrere, apud Plautum frequentioris usus tetrametros versus esse imo longiores etiam, & qui ultra pedes octo excurrant, in quo non raro ad concinnam, quæ passim in eorum operibus obtinet, verborum collocationem præ multis aliis respexisse videntur.

c. Comœdias scribendo apud Græcos famam præcipuam consecuti sunt Aristophanes & Menander, Latinorum autem Veterum, quæ quidem ad nos pervenerunt, celebrantur Comœdiæ Plauti & Terentii: illæ a salibus & frequenti vi comica; hæ a morato dicendi genere, & observatis legibus artis. Eurpæarum nationum vix ulla superest, apud quam non multo conatu idem genus Poëseos multipliciter, non raro etiam feliciter tentatum fuerit. In Tragœdiis autem Græcos scriptores celeberrimos Sophoclem & Euripidem unicos Latinorum Veterum, qui animum ad Tragœdias scribendas adjecit, Seneca est imitatus, sed non a longe saltem assecutus. Ceterorum in Europa populorum co-

conatus in hoc genere copiosus & varius est in hodiernum usque diem, Cornelio & Racinio Gallis hucusque palmam ferentibus.

---

# CAPUT III.

## *De minoribus Poëticæ operibus.*

a. Tractatis jam supremis duobus Poëticæ artis capitibus Epopoeia ac Dramate superest, ut minora illa adhuc poëticorum operum genera exequamur, quæ ad alterutrum priorum referri opportune possunt, magnitudine autem sua peculiares prolixas singula tractationes nec mereri nec desiderare videntur.

b. Sunt autem eorum, quæ ad suprema illa duo capita referenda sunt, alia, in quibus Poëta plerumque solus loquitur, ut *Odæ*, *Elegiæ*, *Epigrammata*, *Satyræ*, *Epistolæ*, quæ omnia ad genus Epicum seu narrativum revocamus; tum alia, quæ ad genus dramaticum propius accedunt, qualia sunt *Bucolica* & *Apologi* seu fabulæ, in quibus sæpe non tam Poëta loquitur, quam collocutores ab eo instructi sermocinantur, aguntque.

c. Hæc proinde omnia operum poëticorum minorum nomine censentur. Etsi enim in iis

non tota late regnet ars poëtica, neque artificium grande aliquod poëticum contineatur; tamen poëticum characterem impressum præ se ferunt universa: & in quibusdam saltem eorum suavissimæ artis ornamenta plus minusve illustria & præfulgida sunt. Sed jam ex ordine intueamur singula.

A. *De Odis.*

a. Carmen ad aram, & in laudem Bachi, postea in aliorum quoque Deorum honorem cantari solitum. Ode dicebatur, generali significatu cantus (quem vox græca *Ode* exprimit) ad genus certi istius cantus contracto.

1. *Annot.* Alio nomine Ode etiam Dithyrambus vocabatur (Aristoteli, ut vidimus, propria & distincta Poësis species) aut etiam *Carmen Lyricum*, quod nimirum hoc genus carmina semper a choro ad lyram, vel etiam cytharam aut fides concinerentur, quæ instrumenta musica passim pro iisdem accipiuntur apud Poëtas.

2. Ode partibus tribus olim absolvebatur, nimirum *Stropha* (seu versione) cum chorus in sinistram saltans progrediendo cantaret; *Antistropha* (seu reversione) cum idem chorus cantans & subsultans regrederetur in dextram; ac tandem *Epodo*, cum chorus post gyros & saltus in medio ante aras consistens vel reliquum carminis absolveret, vel novum accineret. Fortassis inde etiam opportuna ratio deduci potest, ecquid Horatius, quem quatuor libris Odarum suarum subjunxit, quintum Epodon appellaverit?

b. De-

b. Definiri fortaſſis non ineptiſſime Ode poterit: *Carmen affectibus humanis exprimendis totum quantum natum.*

*Annot.* Sunt ſane & alia Carminum genera affectibus humanis aſperſa; ſed tamen cum Epopoeiæ finis princeps ſit admiratio; Tragœdiæ terror & commiſeratio; Comœdiæ riſus & lætitia; Carmini Lyrico affectuum diverſorum & omnium adeo excitatio, atque excitatorum explicatio ita propria judicabitur, ut ſine his carmen Lyricum cenſeri nequaquam valeat.

c. Materia hujus carminis, quod principio ad Bacchi, poſtea aliquamdiu ad aliorum præterea Deorum laudes tantum celebrandas conſtrictum fuit, deinceps ad Heroum quoque facta prædicanda; poſtremo ad omne genus affectuum exhibendum eſt ampliata. Certe Horatius longe adhuc plura Odis ſuis aſſumſit argumenta; quam quæ in Arte recenſet:

*Muſa dedit fidibus Divos, puerosque Deorum,*
*Et pugilem victorem, & equum certamine primum,*
*Et juvenum curas, & libera vina referre.*

*Annot.* Accurate inveſtigantes præter allata Odarum argumenta, epiſtolas, ſatyras, dialogos didactica, fabulas, metamorphoſes &c. ab ipſo Horatio Odis tractatas detegimus. Quod quidem docti tanto exemplo imitari non morabimur, modo ne Lyricæ forma induci negligatur.

d. Formam internam Lyrici carminis dicemus variam expreſſionem affectuum, quibus mens

circa materiam propositam validius commovetur, cum majori minorive claritate objecto necessaria.

*Annot.* Quoniam *lux* ad intellectum illustrandum, *calor* autem ad voluntatem movendam & affectus ciendos perpetuo in genere Lyrico copulanda sunt; ex materiæ electione pendebit, lucisne plus an caloris Odis afferendum sit? Neque enim dubium esse potest, in didacticis, in quibus spiritui præsertim veritates dispiciendæ offeruntur, lucem illustrationemque dominari debere: in iis autem, quæ vellicando cordi voluntatique humanæ adhibentur, calorem ad certos quosdam gradus sic exaltandum esse, ut lux prope absorbeatur.

e. Forma externa erit illa coordinatio diversorum generum versus, & designatio certi numeri versuum item, post quem absolutum ad primum redeatur. Unde denominationes illæ natæ sunt: *monocolos*, *dicolos*, & *distrophos*, *tetrastrophos*, quas alias jam in Grammaticis Institutionibus declaravimus.

f. Proprietates carminis Lyrici, quibus vel singulis, vel aliis atque aliis omnem & cujuscunque thematis Odam instructam esse oportebit, sunt: *Enthusiasmus*, *Audacia exordiendi*, *Saltus*, *Digressiones*, & *Unitas affectuum*.

1. *Enthusiasmus* seu igneus mentis impetus, nonnunquam etiam furor poëticus appellatus, definitur: vivida sensatio, quæ ex forti & intenta objecti propositi considera-

tione

tione oritur, totum artificis Poëtæ animum affectu quodam non tam implens, quam occupans & abripiens.

a. *Annot.* Senſatio hominum, qui affectibus ex vera aliqua boni aut mali, perceptione urgentur, Enthuſiaſmus dici non poteſt, quamcumque viva ſit & fortis, ſed tantum artificum impulſus, quorum phantaſiæ, poſtquam ex objecti alicujus contenta repræſentatione incaluerunt, in opus aliquod inſolitum erumpunt, hoc nomen merebuntur. Quare nec miſerorum, nec exultantium, nec iratorum &c. affectus Enthuſiaſmi dicentur; ſed tantum ideæ illius Poëtæ, qui miſerum iratumque vive imitabitur, hanc compellationem recipere poterunt.

b. Pro diverſa objecti, quod tractatur, magnitudine, pulchritudine, bonitate, amœnitate, aut contra; ſenſationes diverſi generis & gradus ſunt. Hinc triplicis generis Enthuſiaſmi rectiſſime diſtinguuntur: alii nimirum ſublimes, ignei, excelſi, alii placidi & tranquilli, alii tandem inter priores duos medii, qui graves, fortes, & nervoſi appellari poſſunt.

c. Ex una Enthuſiaſmi proprietate ceteræ omnes Odarum proprietates dimanant, & virtutes item Carminis Lyrici feliciſſime explanantur.

2. *Audacia exordiendi* proniſſima Enthuſiaſmi conſecutio eſt; Poëta enim lyra ſublata ad canendum aggreſſus ab objectis propoſitis fortiter commotus, quid niſi torrentis in-

ſtar, qui aggeres diſrupit, impetu ſus deque per affectus feratur?

*Annot.* Vix igitur creſcere unquam poterit oratio carminis Lyrici, & ſi jugitur iisdem, quod debet, nervis ſuſtentata ad finem usque progreditur, quibus elevari cœpit, multum ſane præſtitit Poëta.

3. *Saltus* hic eſt transgreſſio inordinata ab una idea ad alteram remotiorem omiſſa media propinquiore, quæ vinculum ambarum eſt.

a. *Annot.* Celeritas ſpiritus noſtri affectu exæſtuantis, & plurima coacervata ante ſe poſita uno intuitu pervadentis ſæpiſſime non fert moras connexionum, ſed præcipiti ſaltu eas ideas tranſilit atque lectoribus ſupplendas relinquit, quæ ordinem naturalem, ſed tardiori aliquanto flexu manifeſtum facerent, atque in res ipſas exprimendas continuo involat. Exemplum habes apud Horatium paſſim, & nominatim. L. III. Od. 25. quæ tota quanta Lyrica eſt, in cujus fine Poëta totus entheus ita ait: *Nil parvum aut humili modo, nil mortale loquor — Dulce periculum eſt O Lenæe*, ubi poſt verba *nil mortale loquor* animadverte Saltum ad ſequentia: *Dulce periculum eſt.* Deſideratur enim propoſitio: *Propoſitum quidem meum periculi plenum eſt, ſed* &c. quæ priores duas connectit, & hic ſubintelligenda eſt.

b. Saltus autem iſte locum habere tantum poteſt, cum materia affectibus vivis, fervidis, & magnis accommodata eſt. Lacunæ enim, quas interjacere Poëta inter ideas ſuas patitur, ſem-

ſemper animi magnopere perturbati indices ſunt, perturbationes autem vehementes non niſi ab objectis grandibus cieri conſueverunt.

4. *Digreſſiones* ſunt evagationes ſubitaneæ in themata extranea quidem, ſed tamen affinia argumento Poëtæ, ad quæ modo pulchritudine extranei, modo ſterilitate argumenti proprii allicitur. In his Poëta Lyricus præ ceteris omnibus liberius exultat. Aſſignantur vero duorum generum digreſſiones a Præceptoribus, quarum nonnullæ fiunt:

a. *Ad ſententias aut veritates communes*, ex quibus illuſtriſſima Odis nonnunquam arceſſuntur ornamenta. Talis eſt apud Horatium Carm. I. 3. ubi Virgilio in iter bene precatus, repente digreditur ad ſceleſtam hominum audaciam, quam inſectatur. Alias Digreſſiones etiam fiunt:

b. *Ad facta hiſtorica & fabulas*, quibus poëta argumentorum loco ad confirmandam rem ſuam utitur. Talis eſt apud Horat. Carm. III. Ode 5. Digreſſio; ubi Poëta turpitudinem matrimoniorum Aſiaticorum, ad quæ miles Romanus ſub Craſſo captus tranſiverat, exprobraturus, ad Reguli fortiſſimi & providentiſſimi Romani Ducis apud Carthaginenſes captivi hiſtoricum factum egreditur.

tur. Ex Lib. III. Od. 27. Galateam a navigando deterrere volens, fabulam Europæ prolixissime inserit.

5. *Unitas affectuum* in Odis ita desideratur, ut unitas actionis in Epopoeia vel Dramate; hoc est: quemadmodum actiones in epico vel dramatico genere diversæ quidem in se, subordinatæ tamen, & ad eumdem principalem finem directæ esse debent, ita in lyrico quoque genere, quamquam affectus varii tanquam totidem novi colores inducantur, quibus oratio mirabilem plane varietatem induere videbitur; ad eundem tamen omnes primarium Odæ affectum referri, & inde unitatem quamdam affectuum consurgere necesse erit.

*Annot.* Lætitiis itaque subsultare orsa lyra, qua libebit Poëtæ, libere evagetur in affectus quoscumque; modo ad lætitiam illos ordinet, neque in tristitiam unquam deflectat; & ab odii & indignationis affectibus cum cœpit, ne in amore aut benevolentia desinat.

g. Virtutes deinde & dotes, quibus carmen Lyricum enitere decet, quatuor præcipuæ numerantur a Præceptoribus: *Sublimitas*, *Majestas*, *Suavitas*, & *Brevitas*.

1. *Sublimitas* universe est exaltatio quædam animi supra priorem suum statum, & simul præceptio hujusmodi elevationis. Bifariam hæc Sublimitas dividitur, nempe alia est

2. *Sub-*

a. *Sublimitas imaginis*, cum nempe imago, quæ præſto eſt, ſpiritum ſupra omnes ideas rerum communes & ſolitas extollit. Talis eſt e. g. imago conſtantis viri apud Horatium: *Si fractus illabatur orbis, impavidum ferient ruinæ.* Quam ſublimis hæc eſt imago orbis terrarūm collabentis, copulata cum tranquillitate viri conſtantis! Deinde

b. *Sublimitas cogitationum* ſita eſt in cogitionibus prope humanum cogitandi modum transgreſſis, & quæ tanquam in edito aliquo loco collocatæ res omnes infra ſe poſitas immotæ deſpiciant. In eodem exemplo tranquillitas hominis ruinam orbis in ſe corruentis irretorto animo & oculo ſpectans eſt ſublimitas cogitationis.

*Annot.* Poſterior hæc ſublimitas tranquilla, caloris expers, & plerumque cum actione aliqua conjuncta in Dramatis frequens eſt; prior autem ſublimitas imaginum eſt Odarum propria; hæ enim vivas ſenſationes, igneos impetus, audaces expreſſiones, inſolitos ambitus & flexiones, verbo: intenſionem omnium virium mentis efficiunt.

2. *Majeſtas* Odarum ex ſublimitate neceſſario oritur, eſtque illa, quæ inſurgit (ut Quintilianus Inſtit. Orator. Lib. 10. de Pindaro loquitur) ſpiritus magnificentia, ſententiis,

figu-

figuris, beatiſſima rerum verborumque copia, & veluti quodam eloquentiæ flumine.

*Annot.* Conferunt ad hanc Majeſtatem conciliandam: Deſcriptiones aut narrationes rerum præteritarum tanquam præſentium, imaginum multiplex uſus, frequentationes figurarum motui magis accommodatarum, Apoſtrophæ, Exclamationes, Proſopopoeiæ; Hypothypoſes &c.

3. *Suavitas* eſt, quæ ex apta verborum collocatione, & orationis perſpicuitate, ac epithetorum apte delectorum jucunditate leniter & cum gratia molleſcit.

*Annot.* Facile intelligimus, hanc virtutem non paſſim in omni carmine Lyrico, ſed in illo tandem requiri, cujus materia granditatem reſpuit, & quæ Enthuſiaſmis placidis ac tranquillis conſurgit. Digreſſionibus nonnunquam gaudet genus iſtud; nonnunquam pro argumenti variantis & in alias facies converſi ratione virtus utraque ſuavitatis & majeſtatis in eadem Oda permiſcenda eſt. Sunt, qui omni poëmati Lyrico virtutem hanc ſuavitatis ſic propriam volunt, ut gravitas Epopoeiæ, riſus Comœdiæ, acumen Epigrammatis eſt. Verum hæc monita, mox diximus, non niſi cum ſobrietate recipiemus.

4. *Brevitas* eſt accurata & juſta ſermonis liberioris Lyrici contractio.

*Annot.* Hæc virtus, quamquam diverſam pro Argumenti ratione extenſionem habeat, univerſe tamen in Lyricis omnibus, & longe etiam ſtrictius in illis Odis curanda eſt, in qui-

quibus furores sublimes, ignei, excelsi undique fulgurum instar emicant, & ruunt; hæc enim diuturna esse, cum intima eorum natura pugnat; & Auctorum Lyricorum principum exempla ostendunt, vix post summos affectus in aliis concitatos eos repente tanta velocitate nonnunquam in medio cursu materiam deserere, qua perturbatione in eamdem principio irruerunt.

h. Partitio Odarum materiæ respectu habito in quatuor classes redigi potest; sunt namque

1. *Hymni* seu Odæ de rebus divinis & cœlestibus quandoque cantatæ, in quibus effusiones animi cum admiratione de Dei Omnipotentia, majestate, & bonitate regnant.

2. *Odæ heroicæ* dicuntur, quæ heroum & magnorum virorum factis aut honoribus celebrandis accinuntur.

3. *Odæ philosophicæ* seu morales, in quibus Poëta virtutis amore aut vitiorum odio exardescit.

4. *Odæ Anacreonticæ*, quæ voluptatem, amœnitatesque vitæ humanæ celebrant, juvenum præsertim gaudia, choreas, vina &c. prosecutæ. Nomen ab Anacreonte Poëta Græco suavissimo ferunt, qui hoc præcipue carminis genere excelluit.

*Annot.* Ad harum classium unam aliquam omne & qualecunque Odarum argumentum perfacile redu-

reducemus, ut proinde de materia Odarum neque laborandum ſit, neque diſputandum hodie amplius.

i. Apud Græcos hæc Poëſeos ſpecies, quamquam a rudibus admodum initiis inchoans, ut ceteræ liberales artes omnes, ad faſtigium aſcendit. Id certe immortalia, quæ ad nos pervenerunt, hujus generis opera teſtantur. *Pindarum* non Poëtam, ſed ipſum Entheum, & totum Dithyrambum artis peritiſſimi quique dudum judicarunt poſt Horatium, qui totus, cum de Pindaro canit, Enthuſiaſmus ipſe eſt. *Sappho* Poëtria, cujus Odæ paucu-læ ſuperſunt, teneritudine ac mollitie; *Alcaeus* majeſtate eminere dicitur, & ut Horatius ait: *aureo pleƈtro plenius ſonans*. *Anacreon* tandem venuſtate ſuavitateque exſuperat ceteros omnes. Hos primipilos Lyricorum Græcorum unus poſtea *Horatius* Latinus tam feliciter imitatus eſt, ut complexus merito cenſeatur, quidquid pulchritudinis diſperſum per ſingulos erat. Vide, ſi libet Batteſium Ramleri prolixius hæc perſequentem, ubi Germanos etiam noſtros ſub cenſum vocat.

k. Odæ ſacræ divinis litteris noſtris contentæ hujus proprie loci non ſunt; neque enim hominis, ſed divini Spiritus diƈtantis ſunt opus, quamquam ab hominibus conſcriptæ. Interim nimis quam verum certumque eſt, quod alicu-

cubi eruditissimus juxta & sanctissimus Ecclesiæ Catholicæ Doctor Hieronymus ait: *David Simonides noster, Pindarus, Alcæus, Flaccus quoque.* Seu enim imaginum sublimitatem & copiam in illis spectes, seu majestatem rerum & expressionis, seu inscriptionis & raptus altioris indicia: tantum hæc reliquis omnibus antecellere intueberis, quantum divina humanis potiora sunt. Quid comparari possit ad hæc Davidis Psalm. 103? Deus *amictus lumine sicut vestimento — Extendens coelum sicut pellem — Qui ponis nubem ascensum tuum — qui ambulas — super pennas ventorum — Aquæ ab increpatione tua fugient — a voce tonitrui tui formidabunt — Ascendunt montes & descendunt campi in locum, quem fundasti eis.* &c.

*Annot.* Fortassis non exerrant magnopere, qui omnem vim, robur, & sublimitatem Lyricæ græcæ ab exemplaribus orientalibus, & præsertim etiam hebraicis derivata esse suspicantur.

## B. *De Elegiis.*

a. Elegia ex vi nominis græci est cantus rerum tristium aut funebrium, ad quas fere lamentationibus & questibus cantus permiscebantur; unde veteres hoc carmine ad defunctorum laudes celebrandas, & ad tristitiam animi sui declarandam utebantur. Ita Ovidius de Tibulli morte:

*Flebilis indignos Elegeia solve capillos,*
*Ah nimis ex vero nunc tibi nomen erit.*

De se ipso autem in Ponto exule cum epistolam Elegis scriberet:

*Flebilis ut noster status est, ita flebile carmen.*

*Annot:* Cum Elegia item ut Ode ad affectus omnes, etsi mollius teneriusque exprimendos pertineat, hanc Poëticæ speciem proxime Odis subjunximus, quæ gravioribus & ciendis & discribendis destinatæ sunt, ut vidimus.

b. Est vero Elegia *carmen versibus Hexametro & Pentametro alternantibus scriptum, affectibus animi variis suaviter tenereque declarandis accommodatum.*

*Annot.* Cum de usu istius generis carminis apud Græcos & Latinos extra controversiam sit, tamen quis primus Auctor inventorque versuum horum conjungendorum fuerit, non liquere affirmat Horatius in Arte:

*Quis tamen exiguos Elegos emiserit auctor,*
*Grammatici certant, & adhuc sub judice lis est.*

c. Materia carminis elegiaci olim, ut mox antea dictum, tristes res tantum erant, postea omnis generis argumenta carmine hoc tractata sunt. Id Horatius diserte testatur in Arte:

*Versibus impariter junctis querimonia primum,*
*Post etiam inclusa est voti sententia compos.*

*Annot.* Itaque amores, gaudia, vota, preces, gratulationes &c. hujus fori sunt: imo Propertius argumentum heroicum non refugit. L. III. 3. augusti expetitionem in Orientem profecutus, & iterum L. IV. Eleg. 6. Actiacam pugnam; Ovi-

Ovidius triumphum gratulatur Germanico L. IV. 2. & idem quam eruditam ac prope pragmaticam Sacrorum Romanorum historiam texit in Fastis.

d. Forma hujus carminis erit illa dispositio & conformatio, quam Poëta ad materiam suam elocutioni aptandam præeliget; id quod pro arbitrio suo solent diversissime; nonnunquam enim epistolarum more, alias narrationum aut descriptionum forma, aliquando sermocinationum variarumque figurarum, Apostrophes, Prosopopœiæ &c. imo Odarum etiam inexpectate ruentium modo.

*Annot.* Forma externa elegiaci carminis est alternatio versus hexametri & pentametri, de qua supra in definitione meminimus, & de qua inferius adhuc nonnulla notabuntur.

e. peculiaria Elegiarum ornamenta, quibus Poëticæ istius Coryphæi carmen suum multipliciter distinxerunt, observatione didicimus sequentia:

1. Cum materia gravior aliqua canenda assumitur, more Epicorum *Exordium* cum Propositione, *Invocationem*, *Narrationem*, quandoque etiam *Epilogum* Elegiis suis adsciscunt. Ita Propertius supra citato L. IV. 6. pugnam navalem Augusti ad Actium celebraturus sic

Exorditur:

*Sacra facit vates, ſint vota faventia ſacris,*
*Et cadat ante meos icta juvenca focos.* &c.

Invocationem poſtea ſubjungit:

*Muſa, Palatini referamus Apollinis ædem,*
*Res eſt, Calliope, digna favore tuo.*

Narratio deinceps ſequitur:

*Eſt Phoebi fugiens Athamana ad littora portus,*
*Qua ſinus Ioniæ murmura condit aquæ.* &c.

Sed Epilogo quoque concludit:

*Bella ſatis cecini, citharam jam poſcit Apollo*
*Victor, & ad placidos exuit arma choros.* &c.

Idem Propertius Elegia præcedenti 4ta Lib. ejusdem IV. fabulam Tarpoeiæ canens inchoat a Propoſitione, cui mox Narrationem ſubjungit.

Propoſitio.

*Tarpoeium nemus, & Tarpoeiæ turpe ſepulcrum*
*Fabor, & antiqui limina capta Jovis.*

Narratio.

*Lucus erat felix hederoſo conditus antro,*
*Multaque nativis obſtrepit arbor aquis* &c.

2. Nonnunquam autem Lyricorum more in medium argumentum irruunt exorſi ex abru-

abrupto. Ita Ovidius fecit, ita Tubullus ita Propertius. Prior quidem:

*Esse Deos credam!*

Et iterum orta tempestate Trist. I. 2.

*Dí maris & coeli (quid enim nisi vota supersunt)*
*Solvere quassatæ parcite membra ratis.*

Tibullus vero L. I. 11.

*Quis fuit horrendos primus qui protulit enses,*
*Quam ferus & vere ferreus ille fuit!*

Et Propertius L. III. Eleg. 5.

*Ergo sollicitæ tu caussa pecunia vitæ,*
*Per te immaturum mortis adimus iter* &c.

3. Quamquam Elegi ex natura sua teneri mollesque esse debeant, ac proinde ornatu leviori lenique contenti, tamen aliquando rem grandiorem tractaturi etiam ad verborum & rerum poëticarum apparatum in medio cursu insurgunt. Sic Ovidius Poëta undique mollissimus, cum L. I. de Art. ad expetitionem Cæsaris in Orientem delabitur, repente stilum per Apostrophen splendide elevat:

*Ecce parat Cæsar, domito quod defuit orbi*
*Addere: nunc Oriens ultime noster eris.*
*Parthe dabis poenas: Crassi gaudete sepulti,*
*Signaque barbaricas non bene passa manus.*

4. Frequenter item per decursum breves affectus interserere consueverunt. Vide exem-

pla infinitis locis. Sic habet Ovidius Trist. I. 1.

*Parve (nec invideo) sine me liber ibis in Urbem,*
*Hei mihi! quo domino non licet ire tuo.*

Idem Epist. 1.

*O utinam! tunc, cum Lacedæmona classe petebat,*
*Obrutus insanis esset adulter aquis.*

5. Breves passim Apostrophes & Parentheses usurpant. Ovid. Epist. 2.

*Credidimus blandis (quorum tibi copia) verbis*
*Credidimus generi nominibusque tuis.*

Et Trist. I. 3.

*Dique relinquendi (quos urbs habet alta Quirini)*
*Este salutati tempus in omne mihi.*

6. Repetitiones earumdem vocum in principio, medio, vel in fine eorumdem vel etiam diversorum versuum adhibent Ovid. Epist. 2.

*Sæpe fui mendax pro te mihi: sæpe putavi*
*Alta procellosos verba referre Notos.*
*Sæpe Deos supplex, ut tu scelerate valeres,*
*Sum prece thuricremis deveneratа focis.*
*Sæpe videns ventos coelo pelagoque faventes,*
*Ipsa mihi dixi: Si valet, ille venit. &c.*

Et eadem Epistola:

*Per*

*Per mare, quod totum ventis agitatur & undis,*
*Per quod sæpe ieras, per quod iturus eras:*
*Perque tuum mihi jurasti (nisi fictus & ille est)*
*Concita qui ventis æquora mulcet, avum, &c.*

7. Inductiones, Partium enumerationes, Similium coacervationes apud hoc genus Poëtarum sunt frequentissimæ. Ovid. Trist. I, 2. vide, quomodo probet, quod proposuit: *Sæpe premente Deo fert Deus alter opem.* Ita nimirum:

*Mulciber in Trojam, pro Troja stabat Apollo,*
*Aequa Venus Teucris, Pallas iniqua fuit.*
*Oderat Aeneam proprior Saturnia Turno,*
*Ille tamen Veneris numine tutus erat.*
*Sæpe ferox cautum petiit Neptunus Ulyssem,*
*Eripuit patruo sæpe Minerva suo &c.*

Et alio loco, videlicet Trist. I. 9.

*Donec eris felix, multos numerabis amicos,*
*Tempora si fuerint nibila, solus eris.*
*Aspicis ut veniant ad candida tecta columbæ,*
*Accipiat nullas sordida turris aves.*
*Horrea formicæ tendunt ad inania nunquam,*
*Nullus ad amissas ibit amicus opes.*
*Utque comes, radios per solis euntibus, umbra est,*
*Cum latet hic pressus nubibus, illa fugit:*
*Mobile sic sequitur fortunæ lumina vulgus;*
*Quæ simul inducta nube teguntur, abit.*

8. Antithefes in deliciis fere habent Poëtæ elegiaci. Ovid. L. II. Trift. Eleg. fing. ad Cæfarem:

*Tu veniam parti ſuperatæ ſæpe dediſti,*
*Non conceſſurus quam tibi victor opem.*
*Divitiis etiam multos, & honoribus auctos*
*Vidi, qui tulerant in caput arma tuum.*
*Quæque dies bellum, belli tibi ſuſtulit iram,*
*Parsque ſimul templis utraque dona tulit.*
*Utque tuus gaudet miles, qui vicerit hoſtem,*
*Sic, cur ſe victum ſentiat hoſtis, habet.*

9. Sententiæ breves, aut Digrefliones &c. multum ornant Poëfim elegiacam. Sic Ovid. immodicum reditus fui defiderium excufat, ex Ponto I. 3.

*Neſcio, qua natale ſolum dulcedine cunctos*
*Ducit, & immemores non ſinit eſſe ſui.*

10. Stilus elegiacus amoenus, lepidus, liberalis, facilis effe debet, fine nimia cura, pulchritudine nativa elegans, quod nitidiffime Ovidius ipfe expreffit, Elegiam fub perfona matronæ cujusdam naturaliter pulchræ præfentans L. III. Eleg. I.

*Venit odoratos Elegeia nexa capillos,*
*Et puto pes illi longior alter erat.*
*Forma decens, veſtis tenuiſſima, vultus amantis,*
*In pedibus vitium cauſſa decoris erat.*

f. De forma externa carminis elegiaci: quam alterno hexametro pentametroque contineri dixi-

diximus, quæque ſimul conjuncta Diſtichi nomen ſumunt, quæ præcipuæ adhuc monitiones reſtant:

1. *De Pentametro verſu*, qui ſane propter brevitatem verſus alterni non modicum ad ſuavitatem Elegiæ conferre videtur, ſigillatim notandum:

a. Non Cæſuram illius monoſyllabis terminari debere, niſi forte voculis *es*, aut *eſt* eliſis. Sic in verſu Tibulli: *Qui prior Elæo eſt carcere miſſus equus*, aut alio quocunque ejusdem formæ; Cæſura nequaquam aſpera aut dura judicanda eſt, ſed propter colliqueſcentem eliſione cæſuram mire mollis ſuavisque efficitur.

b. Inſuper habita Criticorum diſceptatione, biſyllabis an plurium ſyllabarum vocibus elegantius concludantur Pentametri? id quidem certum aimus: dulciſſimas ceterarum eſſe biſyllabarum vocum clauſulas; ſed tamen & has ſatietate moleſtas indubitate futuras, ſi perpetuæ ſint. Itaque ad varietatem carmini conciliandam, clauſularum etiam rationes varie, ſed ſobrie ſimul commutandas, & cum biſyllabis triſyllabas quoque & polyſyllabas ſummorum Poëtarum exemplis alternare debere diſcemus.

*Præmia si studio consequar ista, sat est.* Ovid.
*Et solum constans in levitate sua est.* Idem.
*Et caput impositis pressit amor pedibus.* Propert.
*Hæsura in nostro tela gerit latere.* Tibull.
*Pomaque non natis legit ab arboribus.* Idem.
*Utile solicitis supputat articulis.* Ovid.
*Lis est cum forma magna pudicitiæ.* Idem.

2. *De Distichis totis* quamvis verum sit, parvis sententiis ea instrui debere, quæ Distichum non excedant: quamvis universe item verum sit, singulis Distichis absolvendum semper esse sensum integræ alicujus propositionis, nec facile in sequens Distichum aliquid ex priori trahendum esse; tamen id minime in eo rigore accipi debebit, ut si protrahi aut produci nunquam possit propositio aliqua; cum hoc genus circumductionis nonnunquam ad elegantiam multum conferat, quin circumstantiæ ambitum istum aliquando plane expetant. Cavendum modo, ne unquam sensus constructionum discerpantur in plura Disticha; membra certe plura ex se pendentia a summis Poëtis, neque id raro, per Disticha aliquot tracta fuisse demonstrat exempla. Ovid. de Remed. ita prorogat;

*Si tamen auxilii perierunt tempora primi,*
*Et vetus in capto pectore sedit amor:*
*Majus opus superest. Sed non quia serior ægro*
*Advocor, ille mihi destituendus erit.*

Tibull. idem:

*At si tardus eris, errabis, transiet ætas,*
*Quam cito, non segnis stat remeatve dies,*
*Quam cito purpureos deperdit terra colores,*
*Quam cito formosas populus alta comas;*
*Quam jacet, infirmæ venere ubi fata senectæ,*
*Qui prior Elæo est carcere missus equus.*
*&c.*

g. At horum quidem omnium illustrissima exemplaria in Poetis Elegiacis principibus Ovidio; Tibullo, Propertio affatim & undique reperies, quos apud Latinos complures non inglorie imitati sunt; nam & Græci & Germani nostri non tam metri certo atque constanti quodam genere, quam materiæ tenuis, flexibilisque delectu Elegias definiunt, quæ quidem speciei hujus poëticæ origo est, ut vidimus; & qua de caussa probabilius etiam Elegi ab Horatio exigui, ab Ovidio tenues & flebiles cognominati fuerunt.

C. *De Epigrammatis.*

a. Ex vi vocis græcæ ἐπιγράφειν, id est: inscribere, Epigramma est inscriptio, compellabaturque hoc nomine olim promiscue,

si

ſi quid Trophæis, ſtatuis, domibus, arcubus, portis, templis, imaginibus &c. ſcriptum affigebatur: deinceps hujus vocis ſignificatus latius extenſus eſt, ad plurima & diverſiſſima denominanda, quæ metro brevi comprehendebantur.

b. Definiri itaque hodie jam poteſt Epigramma: *Carmen breve & ſimplex, aliquid indicans vel argute deducens.*

c. Ex definitione ſtatim diviſio Epigrammatis ſimul innoteſcit, nimirum aliud eſſe *ſimplex*, aliud *compoſitum*.

1. *Epigramma ſimplex* eſt nudum ſed breve carmen, quod rem aliquam, vel perſonam, vel factum ſimpliciter & nude exprimit, vel indicat. Huc metricæ inſcriptiones omnis generis; item epitaphia ſeu inſcriptiones monumentis affigi ſolitæ revocari poſſunt.

*Annot.* In iſto Epigrammatum genere univerſe & diligenter ad Veterum formam curandum, ut ſimplicitas cum brevitate conjuncta retineatur, certumque tenendum: eo futura pejora, quo curatius argutias conſectabimur. En quanta ſimplicitas in illo Aeneæ apud Virgilium Aeneid. L. III. cum clypeum Abantis Græci poſtibus Apollinis affixit, & ſubſcripſit: *Aeneas hæc de Danais victoribus arma.*

2. *Epigramma compoſitum* eſt, quod brevi expoſitioni argute breviterque aliquid ſubjicit

jicit & conjungit. Iſtud Epigrammatum genus proprie loci hujus, & nunc tractationis noſtræ eſt.

d. Partes Epigrammatis noſtri itaque erunt duæ: *Propoſitio*, & *Clauſula.*

1. *Propoſitio*, ab aliis Protaſis, Expoſitio, Ingreſſus dicta, eſt illa pars, qua res, vel factum, vel perſona indicatur, & ob oculos ponitur.
2. *Clauſula*, aliter etiam Apodoſis, Illatio, vel Deductio vocata, eſt id, quod argute, inexpectate, feſtiveque, ſæpe non ſine ſalibus infertur ac colligitur. Intuere partem utramque in exemplo apud Martialem L. VIII. Epigr. 35. quod in diſcordes conjuges ſcripſit:

Propoſ. *Cum ſitis ſimiles paresque vita:*
*Uxor peſſima, peſſimus maritus,*
Clauſula. *Miror non bene convenire vobis.*

e. Materia Epigrammatum ſunt res omnes; perſonæ, facta, quidquid exornari, reprehendi, fieri, probarique poteſt.

f. Forma interna Epigrammatum, ut meditanti manifeſtum ſit, eſt nexus ille convenientiæ Apodoſis cum Protaſi, ſive verus ille ſit, ſive voluptatis tantum cauſſa fictus.

g. Forma externa autem verſus eſt ad libitum Poëtæ pro opportunitate materiæ electus.

*An-*

*Annot.* Nulli verſuum generi adſtrictum eſt hoc genus carminis; & quamvis potiſſimam partem Elegis ſcripta reperiamus Epigrammata, tamen non infrequenter etiam hendecaſyllabos, jambos, ſcazontes; imo & heroicos aliquando adhibitos deprehendimus.

h. Finis cum omni cetera Poëſi Epigrammatis communis quidem, ſed tamen peculiariter hic reſpiciendus, eſt delectare, id quod vel in ipſis reprehenſionibus arguta tamen feſtivitate obtinebitur.

i. Diviſionem Epigrammatum ſpectatis particularibus finibus aliqui in tres claſſes fecerunt, eaque ita diſtinxerunt, ut alia *in*, alia *de*, alia *ad* inſcriberent.

*Annot.* Titulo nimirum *in* ea omnia ſubjecerunt, quæ vituperationum aculeos continerent; *de* laudum thematis præfixerunt; *ad* vero argumenta laudem inter & vituperium media deſignabat. Sed hac accuratione uſos fuiſſe Poëtas, quamquam aliquando verum ſit, tamen id non ſemper obtinuiſſe vel obvia Poëtarum præcipuorum inſpectione clarum ſit.

k. Accuratior igitur juxta alios partitio Epigrammatum erit in *heroica* & *comica*.

1. *Heroica* illa appellant, quæ admirationem cum venuſtate & argutia conjunctam generant. Hujus generis eſt illud de Nerone:

*Quis neget Aeneæ magna de ſtirpe Neronem?*
*Suſtulit hic matrem, ſuſtulit ille Patrem.*

Item

Item illud Virgilii de Augusto:

*Nocte pluit tota, redeunt spectacula mane,*
*Divisum imperium cum Jove Cæsar habet, &c.*

2. *Comica*, quæ ad jocum atque risum amœnitate & salibus suis invitant. Talia sunt: De Acerra potatore nocturno. Martial. L. I. 29.

*Hesterno foetere mero qui credit Acerram,*
*Fallitur; in lucem semper Acerra bibit.*

De Posthumo unguentis semper delibuto. Martial. L. II. 12.

*Hoc mihi suspectum est, quod oles bene Posthume semper,*
*Non bene semper olet, qui bene semper olet.*

1. Virtutes, quas omne & cujuscunque generis Epigramma præferre debet, nonnemo his versibus concinne expressit: *Omne Epigramma sit instar apis, sit aculeus illi, sint sua mella, sit & corporis exigui.* Erunt igitur virtutes præcipue tres attendendæ: *Suavitas*, *brevitas*, & *argutia*.

1. *Suavitas* hujus carminis non ex versus tantum mollitie, sed præsertim ex cogitandi simplicitate naturali & minime quæsitis artificiis orietur.

*Annot.* Suavitatis impetrandæ gratia etiam hendecasyllabi ad Epigrammata scribenda assumti sunt, quod hi simplicitate naturli sermonis

nis proxime ad ſolutam orationem accederent.

2. *Brevitas* obtinebitur, ſi prolixiores evagationes a themate, & eruditionis forte oſtentatio, circumcidentur, periphraſes devitabuntur, & ſimplicitatem dictionis, quæ generi huic maxime congruit, conſectabimur. Brevitas autem carminis nequaquam certo numero verſuum, ſed tantum juſta & convenienti magnitudine definietur. Itaque neque duobus, neque viginti verſibus concludi neceſſe eſt; ſed pro neceſſitate Poëtæ nunc ad plures diducetur, alias ad paucos coarctabitur.

*Annot.* Optimam certe brevitatis regulam ipſe Martialis L. II. Epigram. 77. tradidit, ubi ita cecinit: *Non ſunt longa, quibus nihil eſt, quod demere poſſis: ſed tu Coſconi diſticha longa facis.* Ad hujus normæ ductum reperies apud Poëtas in hoc genere principes ad triginta & plures verſus dilatata Epigrammata, quæ verſu præſertim Phalæcio, aut Scazonte ſcripta ſunt, & ad unicum item verſum conſtricta, quale eſt illud apud Martial. L. VII. 97. *Omnia Caſtor emit, ſic fiet ut omnia vendat.*

3. *Argutia* eſt anima & quaſi forma Epigrammatis, ex qua una nervos, vim & acrimoniam recipit, & propter quam unam Epigrammata nunc pugioni, quo punctim feritur hoſtis; nunc ſcorpioni, qui cauda icit; modo piperi, quod linguam mordet;

modo

modo felli, quod amariſſimum eſt, comparantur. Solet autem vis hæc tota argutiarum in extremo vel diſticho vel verſu tandem exeri.

a. *Annot.* Non facilius ullibi, quam in argutando hallucinabimur, niſi admodum caute animum ad verum juſtumque attendemus. Non ſummi Poëtæ ſatis ſibi in hoc ſemper caverunt. Martial. Lib. I. Epigr. 52. objurgat leporem de ambitione, quod a leone taurorum cædibus aſſueto jugulari timeret: *Deſperanda tibi eſt ingentis gloria fati: Non potes hoc tenuis præda ſub hoſte mori.* Ut ſi vero lepus gloriam hanc aucuparetur, ut a leone devoretur. Idem L. I. Epigr. 80. in quo Attalum hominem vane negotioſum carpens concludit: *Attale ne quod agas, deſit, agas animam.* Animadvertis hic frigidum verbi *agere* luſum, ex levi Paronomaſiæ figura ductum; cum in primo argutatio penitus falſa & inepta ſit. &c.

b. Prolixe præceptores nonnulli in gratiam Tironum fontes argutiarum proſecuti ſunt. Nos generatim unum, certiſſimumque exiſtimamus perſpicax & acre ingenium cujusvis; tum locos Rhetorum omnes, figuras, affectus &c. Ne ſubſidiorum tamen iſtorum penitus ignaros aut inopes dimittamus; en in exemplum fontes aliquot uberiores:

I. *Suſpenſio*, cum lectoris animus per totum Epigramma ſuſpenſus tenetur, & tandem in ultimis prope verbis quid additur, quod expectationem ejus fallit. Tale eſt apud Martial. L. VI. 51.

 Quod

*Quod convivaris sine me tam sæpe Luperce,*
*Inveni, noceam qua ratione tibi.*
*Quam primum, licet usque voces, nomenque requiras,*
*Quid facies, inquis? quid faciam? veniam.*

Item ejusdem Martialis aliud Lib. V. 44.

*Thais habet nigros, niveos Lecania dentes:*
*Quæ ratio est? emtos hæc habet, illa suos.*

Tale est idem celebre illud Sannazarii:

*Viderat Adriacis Venetam Neptunus in undis*
*Stare urbem, & toto ponere jura mari;*
*Nunc mihi Tarpoeias quantumvis Jupiter arces*
*Objice, & ista tui moenia Martis, ait:*
*Si pelago Tyberim præfers, urbem aspice utramque,*
*Illam homines dicas, hanc posuisse Deos.*

2. *Repugnantia* de re eadem affirmata. Sic Martialis salse ludit in Maximum quemdam sæpe domicilia commutantem Lib. VII. 72.

*Esquiliis domus est, domus est in colle Dianæ,*
*Et tua patricius culmina vicus habet:*
*Hinc viduæ Cybeles, illinc sacraria Vestæ,*
*Inde novum, veterem prospicis inde Jovem.*
*Dic ubi conveniam: dic qua te parte requiram:*
*Quisquis ubique habitat, Maxime nusquam habitat.*

Item

Item in imperitum medicum Diaulum, qui vespillo factus erat. L. I. Epigr. 40.

*Nuper erat medicus, nunc est vespillo Diaulus,*
*Quod vespillo facit, fecerat & medicus.*

3. *Remotio* aut *separatio* quorumdam, quæ rei convenire videntur. Sic Martialis lib. XII. Ep. 29. pungit quemdam Hermogenem mapparum furem:

*Ad coenam Hermogenes mappam non attulit unquam,*
*A coena semper rettulit Hermogenes.*

Item Martial. in fictos amicos L. IX. Epigr. 15.

*Hunc quem coena tibi, quem mensa paravit amicum,*
*Esse putas fidæ pectus amicitiæ?*
*Aprum amat, & mullos, & sumen, & ostrea, non te.*
*Tam bene si coenem, noster amicus eris.*

4. *Comperatio* inexpectata, aut insolita, aut cum Apodosi saltem inexpectata. Tale habetur apud Martial. Lib. V. Epigr. 69.

*Pro meritis coelum tantis, Auguste dederunt*
*Alcidæ cito Di, sed tibi sero dabunt.*

Item aliud apud eumdem Lib. X. 43.

*Septima jam Philiros tibi conditur uxor in agro,*
*Plus nulli Philiros, quam tibi, reddit ager.*

5. *Lusus in verbis*, qui non sit frigidus, levis, aut plane ineptus. Ita Martialis in Cinnam importune mendicum:

*Esse nihil dicis, quidquid petis improbe Cinna,*
*Si nil Cinna petis, nil tibi Cinna nego.*

Et aliud in oratorem ineptum:

*Quis neget orando populum te Flacce movere?*
*Orantem quando concio tota fugit.*

Vide etiam hoc frigidiusculum ex Martial. L. X. 86.

*Nemo nova caluit sic inflammatus amica,*
*Flagravit quanto Laurus amore pilæ.*
*Sed qui primus erat lusor, dum floruit ætas,*
*Nunc postquam desiit ludere, prima pila est.*

*Annot.* Sed fontium horum, aliorumque multiplicium loco lectio assidua longe & meliora & promtiora subsidia suggeret non prorsum invita Minerva natis Poeticæ Candidatis.

m. Utcunque multiplicitate ac varietate argumenti, simplicitate dictionis, & brevitate carminis facile obviumque videri possit Epigramma, non tamen omnibus datum est adire hanc Corinthum. In Anthologia græca multorum admodum delicatorum Epigrammatum collectionem reperies; apud Latinos autem Catullus, Martialis, Ovenus &c. in isto genere excelluerunt. Galli & Germani nostri nihilo infelicius tentarunt vadum hoc.

D. *De Satyris.*

a. Non una eademque eſt Satyræ origo; ſed alia apud Græcos, alia apud Latinos reperitur.

1. *Apud Græcos*; antiquis Athenienſibus per pagos adhuc diſperſis in more poſitum fuit, ut ſoluti ab operibus ruſticis ſibi indulgerent, conviciis jocularibus primum mutuo per ludum ingeſtis, tum etiam ſcommatis in obvios quosque ex plauſtro, in quo ſaltantes extabant, effuſis. Licentia hæc poſtea ad ſacrificiorum lætitiam, inde ad Comœdiam antiquam tranſiit, quam Poëtæ jocis ac amaritudine repleverunt, poſtremo fabulam propriam ſatyricam excogitarunt, ſemper in theatro exhibitam, dictis factisque jocularibus refertam.

2. *Apud Romanos* diverſis ſucceſſive formis veſtita fuit Satyra, donec ea, qua hodie adhuc viget, apparuit. Et quidem

a. Satyra ab Hetruſcis ludionibus invecta Romæ primum eſt, indubie a Græcis allata; & quoniam neque rerum ordine aut delectu, neque orationis certa & conſtanti aliqua forma, ſed permixta, prædita erat, *Saturam* a ſatura lance dixerunt, quæ corbem fructuum diverſorum ad ſacrificium deputatorum plenum denotabat. Quamquam alii Satyrarum no-

nomen a *Satyris* Diis Gentilium procacibus, dicacibus, & jocularibus deductum contendant, qui deinde a Livio Andronico Comœdo Romano, natione Græco, in repræsentationum fine aut principio adhibebantur, sæpe etiam medio Dramatum immissi. Secundum locum, quo Satyri comparebant, diversa item nomina est sortita tota hæc Satyra: *Isidion* enim, cum inchoarent, *Ezodion* seu Exodus, cum Drama terminarent, & *Embolon*, cum actus Dramatis discernerent, vocabatur.

b. Sub Ennio & Pacuvio Livii successoribus Satyra nomen suum recepit ex diversissimo versuum genere, quibus nullo discrimine habito temere compacta erat; & cum licentia maledicendi nominatim & crudeliter, quæ hucusque invaluerat, legum auctoritate repressa esset, paullatim ex theatro subduci cœpit. Libertatem orationis Ennianæ Terentius Varro ulterius adhuc protulit; & in Satyris suis prosam ac metra ita permiscuit, ut denominationem Satyræ a forma mutuari videretur. Menippeas Varro suas cognominavit, quod Menippus Cynicus eadem hac forma Satyras apud Græcos scripsisset.

c. Tandem Lucilius acerrimi Poëta ingenii: & miræ eruditionis Satyram non a scena

na ſolum, ſed a perſonis etiam nominatim reprehendendis avocavit, & ad vitiorum humanorum vituperationes verſu ſolo hexametro ſcribendas tranſtulit; quam formam ſucceſſores deinde promeverunt ac perpoliverunt; hinc Satyra non jam a formæ, ſed a rerum diverſitate appellata fuit. Elegantiſſime pro more ſuo de his omnibus nos docet Horatius Epiſtol. L. II. 1.

*Agricolæ priſci, fortes, parvoque beati,*
*Condita poſt frumenta, levantes tempore feſto*
*Corpus & ipſum animum ſpe finis dura ferentem,*
*Cum ſociis operum, & pueris, & conjuge fida,*
*Tellurem porco, Silvanum lacte piabant,*
*Floribus & vino genium memorem brevis ævi.*
*Feſcennina per hunc inventa licentia morem*
*Verſibus alternis, opprobria ruſtica fudit;*
*Libertasque recurrentes accepta per annos*
*Luſit amabiliter, donec jam ſævus apertam*
*In rabiem verti coepit jocus, & per honeſtas*
*Ire minax impune domos. Doluere cruento*
*Dente laceſſiti. Fuit intactis quoque cura*
*Conditione ſuper communi. Quin etiam lex*
*Poenaque lata, malo quæ nollet carmine quemquam*

*Describi. Vertere modum formidine fusti,*
*Ad bene dicendum, delectandúmque redactis*
*Graecia capta ferum victorem cepit, & artes*
*Intulit agresti Latio. Sic horridus ille*
*Defluxit numerus Saturnius, & grave virus*
*Munditiae pepulere.*

b. Definietur itaque Satyra: *Carmen aptum ad carpenda hominum vitia, & emendandos mores ope ridiculi.*

*Annot.* Felicius longe risu & dissimulatione, quam ira & objurgatione hominum vitia dum vellicantur, corriguntur; nemini enim bene morato non irrisiones fere contemtum quemdam tacite testantes profundius in mentem descendent, quam opprobria aperta, quae indignationem, inimicitias, ulciscendi desiderium, non raro obstinationem, non emendationem gignere consueverunt, quod rectissime observavit Horatius Sermm. I. 10.

— — — — — — — — — *Ridiculum acri*
*Fortius & melius magnas plerumque secat res.*

c. Divisio Satyrarum attenta forma externa opportune hodierno adhuc usu in duo genera fit: in Satyras simpliciter dictas, & in Satyras Menippeas.

1. *Satyrae simpliciter* vocabuntur, quae versu hexametro scriptae, atque adeo forma eadem simplici exaratae erunt.

2. Sa-

2. *Satyræ Menippeæ* autem, ut ſupra innuimus, ſi quæ ſermone ſoluto, immixto identidem ligato, ſcribentur.

*Annot.* Quin ſoluta tantum oratione nitidiſſimæ & excellentes plane in genere ſuo ſcriptæ ſunt Satyræ. Certe Aeſopus Phryx quid aliud facit niſi Satyras ſolutas breviſſimas, cum fabulas beſtiarum colloquentium & agentium argutiſſime inducit? Quid tot apud Lucianum mordaciſſimum dialogi vivorum juxta ac mortuorum niſi Satyræ ſunt?

d. Materia Satyrarum ſunt vitia moralia quæcunque hominum, non ut ſingulis inſunt, ſed ut a ſingularibus perſonis ſeparata eorum turpitudo reprehenſione aut riſu digna apparet. Id expreſſit clare Juvenal. Satyr. 1.

*Quidquid agunt homines, votum, timor, ira, voluptas,*
*Gaudia, diſcurſus, noſtri eſt farrago libelli.*

*Annot.* Nunquam igitur vitia corporis aut animi naturalia materia Satyrarum eſſe poterunt. Et quoniam vitia ac peccata hominum æqualia non ſunt inter ſe, quod ſtulte ſomniabant Stoici, ſed alia aliis graviora, turpioraque; neque ridiculum etiam æqualiter omnibus convenire arbitrabimur; ſed quemadmodum leviora vitia e. g. parſimoniæ ut liberalitatis exceſſum, timiditatem, ignaviam, inconſtantiam, imprudentiam, ruſticitatem &c. riſu hilari & jocoſo, ſic graviora crimina, cujus generis ſunt e. g. proditio, cædes, calumnia, crudelitas &c. ſevero ſupercilio, felle, abſinthioque plectemus; neque enim ad ſcelera devitanda riſus, ſed horror & deteſtatio neceſſaria eſt.

c. Forma Satyræ non una & eadem semper; sed diversissima est pro materiæ ratione & Poëtæ arbitrio; ferme autem narrandi modo nituntur Satyrici vel simplici, vel misto. Est vero

1. *Simplex narrandi modus*; cum Poëta aut ex persona sua, aut ex persona alterius cujusdam narrare & exponere incipit res, quarum tractationem suscipit. Personæ vero, si quarum vicem obit Poëta, nonnunquam sine nomine adducuntur, aliquando nominibus affixis determinantur. Prioris exemplum est Satyra prima Juvenalis, quæ ex persona Poëtæ loquitur; alterius prima Persii, quæ nominibus caret, & Horat. Sermm. L. II. 3. sub nominibus Damasippi & Stertini &c. narrat ac philosophatur.

3. *Mistus narrandi modus* fere acrior elegantiorque, cum Poëta sermocinantes colloquentesque modo aperte, modo tacite & indirecte inducit. Plurimæ orationis mundities & lumina adeo hoc modo Satyræ inferuntur, cum non solum ingeniosæ responsiones, objectiones, interpretationesque, sed hortamenta etiam & præcepta moralia eleganter undique disperguntur. Qua venustate admirabiles plane sunt Horatii Satyræ complures. Intuere unicam L. I. 9. *Ibam forte via sacra.*

An-

*Annot.* Quocunque tamen narres modo, liberrimus eſt uterque in hoc poëmate, & Satyrorum prope in morem ſus deque habens, quid quove loco dicat, modo ridiculum aliquid accerſat. Itaque quemadmodum non riſus, ita vix Satyræ ordine & lege certa aliqua regi patiuntur. Vix unquam legitimum reperias Exordium, ex abrupto & impetu mentis ordiuntur; nullus Epilogus, Digreſſiones & longæ & liberrimæ non in affinia tantum, ſed in diſparata etiam argumenta Satyris ſunt familiariſſimæ. Ita nimirum Horatium L. I. 1. in avaritiam; Satyr. 3. in reprehenſionem Stoici paradoxi de paritate vitiorum omnium excurrere videmus. &c.

f. Virtutes Satyris proprias ex obſervatione collegimus fere ſequentes:

1. *Ridiculum* ante omnia, cum hoc principale emendationis inſtrumentum eſſe debeat.

*Annot.* De hoc unum inculcamus: illud ridiculum ceterorum eſſe dulciſſimum, ſi quod inopinate, & quaſi præter conſilium Poëtæ enaſcatur. Sic Horat. Lib. I. Satyr. 4. ſub perſona patris filium hortantis ſui temporis uſitatum in juventute Romana luxum perſtringit, ibi: *Albi ut male vivat filius, utque Barrus inops?*

2. *Sales* & aculei ſi ridiculo deſint, cibi ſunt ſine condimentis. Itaque de iis, quamquam parce, moderate ac temperanter, locis opportunis providendum eſt.

3. *Lepos ſermonis* & jucunditas inprimis requirenda eſt, quæ præſertim ex narra-

tiun-

tiunculis, ex fabellis, ex brevibus hiſtoriis, ex vivis deſcriptionibus, ex crebris acutisque ſententiis &c. exiſtere ſolent.

*Annot.* Hac virtute præcipue dominatur Horatius, cum ſubtriſtes Juvenalis & Perſius, etiam dum vera carpunt, odiſſe magis, quam emendare velle videantur.

4. *Brevitas* argumento atemperanda eſt, & ſuperflua illa prolixitas circumcidenda; neque enim ullus riſus aut lépos prolixe ductus feſtivus & gratus eſſe poteſt. Ceterum quæ præſertim brevitas hic requiratur, manifeſte docet Horatius Lib. I. Sermm. Satyr. 10.

*Eſt brevitate opus, ut currat ſententia, neu ſe*
*Impediat verbis laſſas onerantibus aures.*

5. Vitia, quæ hujus carminis ſcriptorem tota mente defugere oportebit, niſi vim fructumque omnem Satyræ corruptum malit, hæc numerantur:

1. *Scurrilitas*, ne forte, dum vitia inſectari vult, imprudenter ad enarranda flagitia turpia, fœda, & honeſtis auribus indigna delabatur.

3. *Crudelitas*, ne ſine menſura & moderatione ſermonem omnem felle imbuat, vitia inſectando ſimul nomen famamque proximorum forte laceret, ad hominum contumeliam vitiorum deteſtationem transferat,

&

& feræ beſtiæ in morem furat potius, quam ut emendet.

3. *Improbitas;* egregium enim mihi alioqui morum magiſtrum, ſi quis vel in eodem vitiorum luto hæreat, vel malo alias nomine flagret!

4. *Aperta inſectatio;* fere enim ſecus frugis expers, odiorum autem ferax futura eſt Satyra. Itaque efficaciam longe certiorem habiturum eſt ridiculum; quod in perſona aliena, ficta, aut dudum ex oculis hominum remota, vel etiam publice alias jam notata inſpiciendum offeretur, tanquam maculæ alieni corporis in ſpeculo; id, quod paſſim feciſſe videmus Horatium, & de quo ſe ipſe Martialis in Epigrammatis (quæ magnam partem non niſi decurtatæ Satyræ reputandæ ſunt) conceptis verbis effert Lib. X Epigr. 33.

*Hunc ſervare modum noſtri didicere libelli,*
*Parcere perſonis, dicere de vitiis.*

5. *Immoderatio riſus;* perpetuus enim riſus ac irremiſſus tædium & moleſtiam, non delectationem provocat. Itaque totius Satyræ modus quidam tenendus erit, & diligenter provideque ſeria jocoſis remiſcenda, ut præcepit Horatius Sermm. I, 10.

*Ergo non ſatis eſt riſu diducere rictum*
*Auditoris* — — — — — —
— —

— — — — — — — —

*Et sermone opus est modo tristi, sæpe jocoso.*

h. Stilus carminis hujus undique æqualis vix esse potest; pro rerum enim varietate nunc in tenuem & exilem deflectit, alias ad amplitudinem quoque & gravitatem assurgit. Universe tamen planum, perspicuum, nitidum sine fuco & calamistris adhiberi decebit, verbo: quem Horatius pedestrem alio nomine vocat.

*Annot.* Hæc ratio fortassis Horatium impulit; ut Satyris suis *Sermonum* nomen præfigeret, quoniam Sermo, ut Cicero ad Herrenium c. 3. definit, *est oratio remissa, & finitima quotidianæ locutioni.*

i. Exemplaria Satyrarum latinarum nobis suppeditant: Horatius princeps, is, ubicunque ridet, facillime suavissimeque in morem hominis jucundi, sed morati ac nobilis, ridet, firmissimis philosophicis præceptionibus intertextis; tum Persius fortior calidiorque, sed minus amœnus, obscurus, implicatus; tandem Juvenalis ardens, furens, crudeliter ridens, felle ac prope veneno fluens. Apud Gallos celebre Boilæus; inter Germanos nostra adhuc ætate & memoria complures laudem scribendis Satyris aucupati sunt; certe omne tulit punctum Satyris suis sermone soluto emissis Saxo Rabenerus.

E.

E. *De Epistolis.*

a. Postquam ab Eruditis demonstratum est, titulum *Sermones* aut Horatium non ad Satyras tantum, sed ad Epistolas etiam pertinere; quæ Satyris immediate subjunctæ sunt: ratio hinc facile divinari potest, quare nos quoque tractationem de Epistolis Satyrarum præceptis proxime conjungendam existimaverimus.

b. Epistola igitur poëtica nihil aliud est, quam epistola oratoria, id est, vel sermonis quotidiani in familiaribus vel curatioris in elaboratis imitatio, iisdemque generatim præceptionibus & cautionibus continetur, quas aliis epistolis suo loco assignavimus, & quas proinde hoc loco iterum tradere non attinet.

*Annot.* Itaque vel de pluribus argumentis, vel de uno aliquo accuratius scribi poterunt, eritque præsertim moratum epistolæ tum in persona scribentium, tum eorum, ad quos scribitur, solertissime observandum.

c. In quo tamen Epistolæ hæc ligatæ a solutis illis discrepant, ea fere ad sequentia capita reducuntur:

1. *Salutationes* in fronte, & in fine consuetæ, a poëticis Epistolis passim absunt.

*Annot.* Non infrequentes tamen in Epistolis Ovidii, præcipue Heroidum & ex Ponto reperies has in fronte salutationes multifariam pro fœcunditate auctoris hujus propositas.

2. *Ar-*

2. *Argumenta* harum Epiſtolarum, ut innumerabiliter varia eſſe poſſunt, ita non raro quæſtiones graviſſimæ philoſophicæ in iis & proponuntur & examinantur. Sic Horatius L. I. Epiſt. 2. reprimendas cupiditates, & virtutem fortiter matureque excolendam eſſe oſtendit; ſic Epiſt. 6. felicem prædicat, qui nihil timet, & nihil cupit. &c.

3. *Verſus*, materiæ accommodandi ſunt, & ſimplicioribus thematis quidem hendecaſyllabi, ornatioribus elegi, acrioribus jambi, gravioribus heroici aptantur.

*Annot.* Vide & perſentiſce ſi potes, quam tenera & ſimul mundiſſime ſimplex ſit Epiſtola Catulli ad libellum ſuum Carmine 36. hendecaſyllabis expreſſa; quære & vix invenies diſcrimen ab Epiſtola ſoluta.

*Poetæ tenero meo ſodali*
*Velim Cæcilio papyre dicas:*
*Veronam veniat, novi relinquens*
*Comi mœnia, Lariumque littus:*
*Nam quasdam volo cogitationes*
*Amici accipiat ſui, meique.*
*Quare ſi ſapiet, viam vorabit.*

d. Metra tamen Lyrica nullo pacto ſcribendis epiſtolis idonea judicantur; ſunt namque ampliora ſonantioraque, quam Epiſtolæ familiaritas, aut ſaltem ſtilus perpetuus ferre poſſe videatur.

4. *Stilus* ordinarie quidem ſubmiſſus & pedeſter, ſed qui tamen ad numeroſam ampli-

plitudinem usque nonnunquam extollitur, cum rei gravitas, aut personæ, ad quam scribetur, dignitas ita postulabit. Sic Horat. L. I. Epist. 1. *Hic murus aheneus esto, nil conscire sibi, nulla pallescere culpa;* & ibidem principio ad Mæcenatem: *Prima dicte mihi, summa dicende Camoena;* & L. II. Epist. 1. ad Augustum:

*Quum tot sustineas ac tanta negotia solus,*
*Res Italas armis tuteris, moribus ornes,*
*Legibus emendes* &c.

5. *Ornamenta* stili hic sunt (præter munditiem, & elegantiam plane, quæ verbum maxime propriis efficitur) sales & joci quoque aspersi descriptionibus & narratiunculis, sententiæ item acuminis & sapientiæ plenæ interjectæ. Talia sunt apud Horatium in unica Epistola 2. *Dimidium facti, qui bene coepit, habet.* Item: *Sincerum est nisi vas, quodcunque infundis, acescit.* Rursum: *Semper avarus eget.* Item: *Invidus alterius macrescit rebus opimis.* Iterum: *Ira furor brevis est.* Adhuc: *Quo semel est imbuta recens, servabit odorem testa diu* &c.

d. Scripserunt Epistolas poëticas ex Veteribus Latinis: Catullus aliquas tum Phalæcio, tum Jambico, tum Elegiaco versu, multas Tibullus, Propertius plures, Ovidius ex suo prope immodico ornandi desiderio comtissimas plurimas libris aliquot comprehensas. Omnes

hi tres versu elegiaco scripserunt. Tandem Horatius simplicis illius munditiei & gravitatis refertissimas numero 22. nobis reliquit Epistolas, quas in libros duos tribuit.

F. *De Eclogis.*

a. Carmen pastoritium, ut ipsum pastoritiæ vitæ genus, prius ceteris omnibus extitisse facile intelligimus, neque adeo valde mirum nobis videri debet, hoc etiam ad artem poëticam tanslatum fuisse, cum varietatis pariter & delectationis studiosissimi Poëtæ undique argumenta conquirerent, quæ ad naturæ imitationem jucundissime perpolirent.

*Annot.* Sunt, quid cum Scaligero velint, totum modulationis artificium a pastoribus manasse, vel avium, vel arborum diversis modis sibilantium imitatione ab otiosis his observatoribus ortum.

b. Carminum igitur pastoritiorum collectio, si qua concinniora secernere ex plurimis visum fuit, *Eclogæ* (quasi selectas voces) dictæ sunt; carmen ipsum nomen etiam *Bucolici* a bubulcis seu boum pastoribus traxit. Græci autem hoc genus poëmatum *Idyllia* appellarunt, quod parvam ideam seu imaginem indicat, ad humilitatem nimirum materiæ respicientes. Interim omnes hæ tres denominationes promiscue carmini pastoritio tribuuntur.

*Annot.* Qui justo subtilius in hæc inquirunt, Eclogarum & Idylliorum discrimina in eo collocant, quod

quod Eclogas vitæ actionumque oporteat esse abundantiores; Idyllia imaginum, narrationum, affectuumque ditiora.

b. Definiri Ecloga potest: *Imitatio vitæ rusticæ cum omnibus illecebris suis carmine heroico expressa.*

*Annot.* Revocandum hic diligenter in memoriam, quod alibi inculcavimus: Poëticam omnem cultioris & elegantioris naturæ imitationem esse debere; removendum itaque sollicite, quidquid ruri duritiei, sordium, aut nauseæ offerri potest, & munditiës illas sinceras conquirendas esse, quas tranquillam ac beatam vitam rusticam comitari intelligimus.

d. Materia Eclogarum sunt res, personæ, & actiones rusticæ, agrestes, humiles.

1. *Annot.* Conficitur hinc: Eclogarum materiam ultra rus patere, & quidquid infra urbanam ac civilem conditionem depressum est, id tuto ad hoc carminis genus advocari posse. Itaque pastores, agricolæ, vinicolæ, venatores & piscatores etiam apud Græcum Theocritum personæ istius scenæ sunt; agri, sylvæ, pecora, fontes, pascua, vindemiæ, fruges, fluvii, lacus &c. opportuna Eclogarum themata suppeditabunt; & cantiones, æmulationes, vota, laudes, querimoniæ, luctus, gaudia, quæstiones rudes, ænigmata rustica &c. a præcipuis Poëtis Bucolicis exhibentur.

2. Observatum est, a græcis Idylliorum scriptoribus materiam magis adhuc extensam, & ad civium plane res moresque repræsentandos usque dilatatam esse. Sic a Theocrito inducuntur fœ-

minæ Syracuſanæ confabulantes de feſto Adonidis.

e. Forma Eclogæ aut narratio eſt, aut actio, aut utrumque ſimul, prout Poëtæ libitum erit.

*Annot.* Itaque paſtores aliæque perſonæ humiliores modo inter ſe colloquentes agentesque inducuntur, ut Virgil. fecit Eclog. I. III. V. IX. modo ſoli cantare finguntur paſtores, ut apud eumdem Virgilium videre eſt Eclog. II. IV. X. nonnunquam partem Eclogæ narratio, partem colloquium occupat, cujus exemplum habetur in Virgilio Eclog. VII. & VIII. quæ colloquendi agendique conſuetudo in Eclogis recepta, ratio eſt, cur eas ad dramaticum genum referre aliqui maluerint.

f. Dividuntur Idyllia a nonnullis relate ad materias eorum in *urbana* & *ruſtica*.

1. *Idyllia urbana* ſeu non ruſtica vocant ea, quæ themata perſonasque a rure alienas pertractant, ut ſi pueri, artifices, operarii omnium generum &c. aſſumantur. Græci Moſchus, Bion, & nonnunquam ipſe Theocritus in hoc liberaliores ſunt.

2. *Idyllia ruſtica* contra appellant illa, quæ res & perſonas ſuas ex rure deducunt, quales ſunt: bubulci, opiliones, cuſtodes caprarum, anſerum, pullorum &c

*a Annot.* Præferunt paſſim Poëtæ poſteriora iſta prioribus propterea, quod rus naturam longe ſimpliciorem ſincerioremque præ cete-

ris omnibus exhibeat; affectusque & alias illecebras suppeditet longe jucundissimas ac copiosissimas.

b. Quoniam rustica hæc fere quotidie sub oculis nostris versantur, aut versari possunt, ac proinde satietatis periculum intervenit, magno delectu opus erit, ut aut rebus aut saltem sermoni novum quid & insolitum inducatur. Sic e. g. quis non vidit in silvis loca umbrosa & humida ? quoties ebrietate & somno prostratum hominem usurpavimus ? vide vero, quam noviter prius ab Ovidio L. IV. Fastor. proponatur:

*Valle sub umbrosa locus est aspergine multa*
*Uvidus ex alto desilientis aquæ.*
*Tot fuerant illic, quot habet natura colores,*
*Pictaque dissimili flore nitebat humus.*

Alterum autem Virgilius Ecloga VI. in Sileno quam belle ostendit, ibi:

*Silenum Pueri somno videre jacentem*
*Inflatum hesterno venas, ut semper, Iacho.*
*Serta procul tantum capiti delapsa jacebant,*
*Et gravis attrita pendebat cantharus ansa.*

g. **Partes Eclogarum totidem sunt, quot Epopoeiarum, videlicet: Exordium, Invocatio, Narratio, quibus interdum adjungitur Epilogus.**

*Annot.* Partes istæ explicatæ jam sunt singulæ, cum de Epopoeia ageremus, ibi proinde requirenda earum intelligentia. Hic tamen inspice partium harum exempla aliquot.

1. *Exordium* ductum est vel a re, quam Poëta narrat; vel a persona Poëtæ; alias a lo-

loco, in quo conveniunt paſtores; denique a propoſitione rei tractandæ &c.

*Formoſum paſtor Corydon ardebat Alexim.*
Virg. Eclog. I.
*Cum canerem reges, & proelia, Cynthius aurem*
*Vellit & admonuit.* -- -- Virg. Eclog. VI.
*Forte ſub arguta conſederat illice Daphnis,*
Virg. Eclog. VII.
*Damonis Muſam dicemus & Alpheſiboei.*
Virg. Eclog. VIII.

2. *Invocatio* quoque varia pro argumenti varietate adhibetur, de qua itidem ſupra jam præcepimus. En exempla:

*Sicelides Muſæ paullo majora canamus,* Virg. Eclog. IV.
*A Iove principium* — — Virg. Eclog. III.
*Extremum hunc Arethuſa mihi concede laborem.* Virg. Eclog. X.

3. *Narratio* vel ſermo eſt paſtoris, vel colloquium plurium paſtorum, aut etiam Poëtæ ſermo cum paſtorum ſermone conjunctus, de quo jam alibi ſatis.

4. *Epilogus* non raro additur Eclogis apud Virgilium. Ita nempe:

*Hic tamen hanc mecum poteris requieſcere noctem &c.* Eclog. I.
*Claudite jam rivos pueri, ſat prata biberunt.*
Eclog. III.

De

*Desine plura puer* — — — Eclog. IX.
*Ite domum saturæ, venit Hesperus, ite capellæ* Eclog. X.

h. Virtutes, quarum Idyllia imprimis & præcipue rationem habere decet, sequentes numerantur:

1. *Candor*, & aperta sinceritas cum munda & nitenti adeo simplicitate conjuncta, atque ab omnibus argutiis & subtilitate remota, in omnibus dictis factisque eluceat, & per totas adeo Eclogas regnet oportet.

2. *Morum observatio* diligentissime custodiatur; sed nempe sedulo remotis sordibus & nausea omni ruris.

*Annot.* Ex hac morum observatione pendebit ut nulli personæ in colloquendo partes assignentur, quæ statum, conditionem, ætatem, scientiam, experientiam &c. colloquentis superent; aut si proferetur hujus postremi generis aliquid, continuo fons indicetur, unde haustum sit.

3. *Characterum variatio;* hinc enim absque dubio affectuum diversitas repetetur, qui tantopere per multiplices vicissitudines suas ornant, & quibus lex simul inviolabilis hoc loco præfixa est, ut nunquam ad tragicum neque dictis neque factis usque enitantur.

4. *Dissimulatio omnis studii*, diligentiæ, ac laboris, virtus certe fervido Poëtæ ingenio ardua & admodum difficilis: horum enim omnium non tantum affectatio, sed vel aperta demonstratio indubitate everteret simplicitatem & candorem huic Poësi tam necessariam.

5. *Allegoria* juxta aliquos præceptores venustas sane non exigua carminis pastoritii reputatur, cum nempe sub rebus & personis rusticis aliæ res & personæ altiorum ordinum celebrantur. Sic Virgil. Eclog. I. sub Tityro ipse latet; sub Melibæo Mantuani. Eclog. V. Daphnis, si Scaligero credimus, Julius Cæsar est &c. Sed hoc, ut verum aliquando fortassis sit, perpetuo tamen nec obtinet, nec obtinere necesse est.

i. Stilus ad res & personas exactissime attemperandus est, ubi tamen memorem jugiter cupimus Poëtam, se naturam elegantem & cultam imitari.

I. *Annot.* Generatim suavitas stili mera, simplex, mollis ubique curanda, hujusque conciliandæ subsidia undique arcessenda; & descriptiones, imagines, similitudines, comparationes, ex vita rustica & notitiis rusticis desumendæ sunt. Hinc lacti plurima alba, nitentia, pinguia sunt similia: agnis, juvencis, capris &c. comparantur res plurimæ, quorum similia prope singulis paginis apud Virgilium deprehendes.

2.

2. Inter decora non postrema Eclogarum accensentur: Carmen amœbæum, & versus intercalares, quorum primum *Amœbæum* (latine reciprocum) hac lege adhiberi solet inter duos pastores altercantes, ut, qui posterior dicit majora dicat quam prior, aut certe paria, alioqui victus habeatur. Elegans hujus exemplum extat apud Virgil. Eclog. III. *Versus intercalaris* autem est, qui post numerum aliquem versuum semper idem frequentatus interjicitur. Sic Eclog. VII. hunc post quartum fere quintumque versum repetit Damon: *Incipe Mænalios mecum mea tibia versus;* Alphesibæus autem hunc alium: *Ducite ab urbe domum, mea carmina ducite Daphnim.*

k, Apud Græcos in hoc genere Poëseos Theocritus palmam fert, quem pone sequuntur Moschus & Bion; ille Siculus, hic Græcus, item, qui cum delicias captant, & comtulum ornatum identidem inquirunt, prope simplicitate & sincero candore excidunt. Apud Latinos unum numeramus Virgilium, qui felicissime, quem unum sibi proposuit, Theocritum & imitatus & assecutus est. Inter Germanos nostros Theocritum item sibi exprimendum proposuit, & suavissime (prosa tamen, non versu) Gesnerus expressit.

G. *De Fabulis.*

a. Fabularum minimi fere operis poëtici, ortum tempusque ortus divinare facile non est, nisi quod usum antiquissimum testantur & sacræ litteræ Christianorum, & profanæ remotissimæ. Nathanem enim Prophetam

 ad

ad Davidem de crimine adulterii & homicidii revincendum in Judæa; & Menenium ad tumultum populi ſedandum Romæ; & Philoſophum ad Principes populosque docendos in Græcia prope eodem tempore adhibuiſſe fabulas, temporum ſupputus & collatio, ac proinde uſum fabularum jam ea ætate invaluiſſe liquidum facit.

b. Cauſſæ tamen, ob quas inventus & propagatus fuerit mos ille, fortaſſe felicius retegi poſſunt, ſi animadvertatur: ex neceſſitate loquentium ſæpe primum ad Similitudines & Metaphoras, cum propriæ expreſſiones deficerent, deſcenſum fuiſſe, unde naturaliter ad Allegorias deinde (quæ vix a Fabula differt) tranſitum eſt; ex commoditate autem, ſeu ad efficaciam ſermoni tribuendam, ſeu ad obtegenda aliquando animi ſenſa, imagines etiam & exempla illata eſſe, exempla inquam ex animalium potius, aut rerum inanimatarum regno ficta & petita, quibus diſſimulari viderentur præceptiones aut objurgationes in nos evibratæ.

c. Hoc poëſeos genere cum Aeſopus Phryx præſertim philoſophica dogmata ſua involveret, nonnullasque fictionum ab eo uſurpatarum collegiſſent poſteri, auctor perperam & inventor Fabularum a quibusdam habitus eſt, fictionumque genus ipſum Aeſopicum nominatum

tum eſt: etſi negandum non ſit, extantes hodie plurimas ejus ingenio deberi.

d. Definiemus autem Fabulam Aeſopicam: *Eſſe narrationem actionis allegoricæ ab animalibus ordinarie exercitæ.*

*Annot.* Definitionis iſtius minutior conſideratio Fabulæ artificium per omnes partes nitide nobis declarabit; quare libet aliam ordine excutere.

1. *Narratio* cum appellatur, præcipuas & communes narrandi virtutes in fabula requiri ſignificatur, *perſpicuitatem* nimirum, *probabilitatem*, *brevitatem* atque *ſuavitatem*, quas quidem ſuo loco de Narratione tradidimus. Unum hic præterea monemus: Narrationes fabuloſas vix ſimplices eſſe ſolere, in quibus Poëta tantum nomine ſuo narrat; ſed mixtas plerumque, quæ colloquiis ipſorummet agentium animalium non raro interpunguntur.

*Annot.* Hac conſideratione Fabula recte a nonnullis ad genus Dramatum ablegatur, contendentibus, non aliud eſſe fabulas Aeſopicas, quam humilia ſpectacula infantibus aut rudibus præparata, in quibus forte muſca aut formica perſonam Cæſaris aut Alexandri ſuſtinet; recteque huc valere illud Horatii. L. I. Serm. Satyr. I. *Mutato nomine de te Fabula narratur.*

2. *Actionem*, hoc eſt, opus conſilio & deliberatione ſuſceptum omnis Fabula continere debet; quæ, quoniam narratur magis,

gis, quam exhibetur (neque enim aut lupus agnum lacerat, neque ciconiaos ex lupi faucibus coram extrahit, ſed os extractum, & agnus laceratus narrantur) maluerunt aliqui Fabulam ad Epopoeiam, quam ad Drama referre.

a. *Annot.* Quoniam Fabula, ut opus puſillum poëticum eſt, ad epicum partim, partim ad dramaticum genus pertinere hinc intelligitur: ex Epopoeiæ pariter & Dramatum regulis conſtrui ac æſtimari illam debere conſequitur. Quare

1. *Unitas* in fabula deſiderabitur, ut explicata alibi jam eſt; & quamvis epiſodia non reſpuet, ea tamen niſi ſalva unitatis lege non admittet.

2. *Integritas* item erit neceſſaria, ut actio nimirum *principio*, *medio*, & *fine* ſuo rite conſtet.

3. *Propoſitio* deinde, *Implexio* & *Solutio* Fabulæ ſine vitio deeſſe non poſſunt.

4. *Perſonæ* agentes & *Scena* ſeu locus actionis conſtituendus eſt.

5. *Mores* & *Characteres* ſumma accuratione cuſtodiendi erunt.

b. Imo ſeveriſſime & illæ dotes bonæ fictionis hic exigendæ: *novum*, *veroſimile*, ac præſertim *mirabile*, quod unum validiſſimum fortaſſis illicium eſt, cur homines paſſim omnes tantopere Fabularum narrationibus inhient & adhæreſcant.

3. *Al-*

3. *Allegorica* porro actio cum postulatur, id nimirum petitur, ut Maxima aliqua, vel veritas moralis sub actione tecta sit; cum Fabulas ceu specula quædam esse oporteat, in quibus actionum nostrarum justitiam probitatemque, vel contra, in actionibus animalium repræsentata intueri & judicare valeamus.

a. *Annot.* Lupus in Fabula potentem & injustum delineat; agnus infirmum & innocentem: scilicet ex improbitate lupi, & agni innocentis cæde facile est, ad oppressiones a potentibus in pauperes exerceri solitas concludere.

b. Veritas moralis Fabulis inclusa, metaphysica ne sit, ne prolixior, ne quotidiana & humilis, e. g. *Valetudo corporis curanda est*, quis nescit? quis dubitat? Hanc tamen veritatem moralem neque aperte semper, neque constanti aliquo loco inserendam esse alibi docuimus. Hoc nihilominus sollicite & perpetuo curandum, ut fabula tota cum veritate morali concordet, ad eamque dirigatur; est enim finis primarius & principalis hujus operis poëtici, & ut nonnemo perspicaciter effatus est: Veritas moralis anima fabulæ est, cum Narratio solum corpus huic animæ conjunctum sit.

4. *Ab animalibus ordinarie exercitæ.* Ubi per animalia tanquam primam & præcipuam animatorum speciem ceteras omnes etiam inanimatorum intellige.

*Annot.* Etsi enim Poëtæ primum solis animalibus cogitationes & sermonem tribuerunt, hæc tamen deinceps etiam ad arbores & plan-

plantas, tum postremo ad omnia, quæ moventur aut existunt, transtulerunt, & magna cum delectatione non lupum modo & agnum, non quercum tantum & arundinem, sed ferream etiam & figlinam ollam agentes sermocinantesque induxerunt.

e. Materia ex his nunc facile Fabulis Aesopicis constituitur, Actiones nempe rebus inanimatis affictæ; quæ materia proinde tam late patet, quam procul totum naturæ existentis extenditur regnum.

f. Formam Fabularum internam actionum earumdem ad allegoricos significatus elevatio, & intima cum his significatibus coniunctio efficiet, quemadmodum externa forma in narrando sita erit.

g. Divisio Fabularum vulgo ex materia derivari solet, atque hinc jam alibi tres Fabularum classes, *rationales* nimirum, *morales*, & *mixtas* stabilivimus & explicavimus.

*Annot.* Paullo aliam partitionem fabulosarum classium nonnulli statuerunt, discrimen totum per Mirabile dimensi.

1. Itaque prima classis est, cum Mirabile in actione solum insolita aut inexpectata, ab homine tamen profecta reperitur. Hanc classem Fabularum Vocant *verisimilium*.

2. Classis est, cum agentia sunt mirabilia, ut si Dii Gentilium, affectiones humanæ, aut res vita scensuque carentes, v. g. animalia, plantæ, corpora &c. in personas agentes commutantur. Hanc classem vocant *mirabilium*.

3. Ex

3. Ex ſuperioribus tandem claſſis tertia *mixtarum* coaleſcit, cum nempe priorum duarum claſſium perſonæ agentes committuntur: homines aut dii cum ratione carentibus.

h. Finis non tantum delectatio eſt, quæ ex hac naturæ imitatione tam eleganti & accurata oritur, ſed fructus potiſſimum inſtitutionis, quæ tota ad vitæ moralis felicitatem dirigi debet.

i. Virtutes Fabulæ, ſeu qua narratio eſt, ſeu qua actio alibi (ut jam innuimus) proſecuti ſumus.

*Annot.* Ornamentis tamen elocutionis Fabularum adhuc adjice: imagines, picturas, deſcriptiones locorum, perſonarum, ſituum &c. quæ mirifice ſuavitatem & venuſtatem, ſæpe jucunditatem quoque ſermonis augent & exaltant.

k. Fabularum ſcriptorem antiquiſſimum Aeſopum Phrygem novimus, cujus pauculas quasdam Ariſtoteles & Plutarchus conſervarunt, alias autem poſtea Phanudes Monachus Conſtantinopolitanus in unum volumen collectas ſeculo decimo quarto nobis obtulit. Inter Latinos Phædrus fere ſolus Fabulas non tam conſtruxit, quam verſibus jambicis totis aureis exornavit. Apud noſtros Germanos Hagedorn, Gellert, Lichtwer nomen hoc Poëſeos genere meruerunt.

l. Ad propius penitiusque inſpiciendum Fabulæ artificium libet hic adhuc ex Phædri L. I.

Fa-

Fabulam I. ad examen paullulum revocatam in gratiam adolescentum tironum notis quibusdam analyticis poëticis ex Batesio dispungere. Ita vero narrat Poëta:

## *Lupus & Agnus.*

*Ad rivus eumdem lupus & agnus venerant*
*Siti compulsi: superior stabat lupus,*
*Longeque inferior agnus: tunc fauce improba*
*Latro incitatus jurgii caussam intulit:*
*Cur, inquit, turbulentam fecisti mihi*
*Istam bibenti? Laniger contra timens:*
*Qui possum, quæso, facere quod quereris, lupe!*
*A te decurrit ad meos haustus liquor.*
*Repulsus ille veritatis viribus,*
*Ante hos sex menses male, ait, dixisti mihi.*
*Respondit agnus: Equidem natus non eram.*
*Pater Hercule tuus, inquit, maledixit mihi.*
*Atque ita correptum locerat injusta nece.*

1. *Annot.* In hac fabula *Scena* est fixa ad ripam rivi. *Personæ agentes* sunt lupus & agnus. *Actio* est jurgium. *Implexio* sunt objectiones lupi responsis agni elisæ, & expectatio exitus. *Solutio* est mors agni. *Veritas moralis* inde fluens: sæpe infirmum a fortiore opprimi. *Mores* lupi, quales raptoris, latronis, improbi, injusti; agni pro solito mansueti. *Characteres* moribus attemperati, in lupo jurgium, vis & feritas verbis factisque expressa; in agno veritas, timor, innocentia. *Verisimilitudo*, siti compulsi ad eumdem rivum venerant. *Mirabile*, lupum & agnum in colloquium convenire, vicinosque ex eodem rivo bibere. *Novum*, jurgari prius lupum

pum

pum improbum, & rationes cædis patrandæ conquirere &c.

a. Neque minus sermo & elocutio Fabulæ actoribus & circumstantiis singulis est attemperata. Lupus *latro* dicitur, quia publice grassatur; *fauce improba incitatus*, non famis necessitate compulsus, se crudeli & injusta sanguinis cupiditate incensus; *jurgii causam intulit*, injustitiæ effectus primus, ut ad crimen sibi viam pararet. *Cur turbulentam fecisti*, mendaciter, characteri jurgantis conformiter, quippe a lupo decurrit liquor ad haustus agni &c. &c. Deinde: *Superior stabat lupus, longeque inferior agnus — Laniger — contra timens — Correptum lacerat injusta nece*, quam elegantes sunt picturæ! quam bellæ imagines! &c. &c.

# I. COMPARATIONES.

1. *Laborantium Tyriorum cum Apibus* apud Virgil. Aeneid. I.

Instant ardentes Tyri: pars ducere muros
Molirique arcem, & manibus ſubvolvere ſaxa;
Pars optare locum tecto, & concludere ſulco.
Jura, magiſtratusque legunt, ſanctumque ſenatum,
Hic portus alii effodiunt: hic alta theatris
Fundamenta locant alii: immanesque columnas
Rupibus excidunt, ſcenis decora alta futuris.
Qualis apes æſtate nova per florea rura
Exercet ſub ſole labor; cum gentis adultos
Educunt fœtus; aut cum liquentia mella
Stipant, & dulci diſtendunt nectare cellas:
Aut onera accipiunt venientum; aut agmine facto,
Ignavum fucos pecus a præſepibus arcent.
Fervet opus, redolentque thymo fragrantia mella.

2. *Didonis amore furentis cum cerva vulnerata* apud Virgil. Aeneid. IV.

— — — — Eſt mollis flamma medullas
Interea, & tacitum vivit ſub pectore vulnus.
Uritur infelix Dido, totaque vagatur
Urbe furens: qualis conjecta cerva ſagitta,
Quam procul incautam nemora inter Creſſia fixit
Paſtor agens telis, liquitque volatile ferrum
Neſcius: illa fuga ſilvas ſaltusque peragrat

Di-

Dictæos: hæret lateri lethalis arundo:
Nunc media Aeneam secum per mœnia ducit,
Sidoniasque ostentat opes, urbemque paratam,
Incipit effari, mediaque in voce resistit.

3. *Viri Constantis cum quercu* apud Virgil. Aeneid. IV.

Ac veluti annosam valido cum robore quercum
Alpini Boreæ, nunc hinc nunc flatibus illinc
Eruere inter se certant; it stridor, & alte
Consternunt terram, concusso stipite frondes:
Ipsa hæret scopulis, & quantum vertice ad auras
Aetherias, tantum radice in Tartara tendit.
Haud secus assiduus hinc atque hinc vocibus heros
Tunditur, & magno persentit pectore curas.
Mens immota manet; lacrymæ volvuntur inanes.

4. *Romæ pauperis cum Roma divite, & avari cum hydropico* apud Ovid. Fastor. I.

Tempore crevit amor, qui nunc est summus, habendi.
Vix ultra, quo jam progrediatur, habet.
Pluris opes nunc sunt, quam prisci temporis annis;
Dum populus pauper, dum nova Roma fuit:
Dum casa Martigenam capiebat parva Quirinum,
Et dabat exiguum fluminis ulva torum.
Jupiter angusta vix stabat totus in æde!
Inque Jovis dextra fictile fulmen erat.
Frondibus ornabant, quæ nunc Capitolia gemmis;

Pascebatque suas ipse Senator oves.
Nec pudor, in stipula placidam cepisse quietem,
Et fœnum capiti supposuisse suo.
Jura dabat populis posito modo consul aratro;
Et levis argenti lamina crimen erat.
Et postquam Fortuna loci caput extulit hujus;
Et tetigit summos vertice Roma Deos;
Creverunt & opes, & opum furiosa cupido:
Et, cum possideant plurima, plura volunt,
Quærere ut absumant, absumta requirere certant
Atque ipsæ vitiis sunt alimenta vices.
Sic, quibus intumuit suffusa venter ab unda,
Quo plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ.
In pretio pretium nunc est. Dat census honores,
Census amicitias: pauper ubique jacet.

5. *Timoris ab experientia* apud Ovid. Trist. I. 1.

Terretur minimo pennæ stridore columba,
Ungibus, accipiter, saucia facta tuis.
Nec procul a stabulis audet secedere, si qua
Excussa est avidi dentibus agna lupi.
Vitaret cœlum Phaëton, si viveret; & quos
Optarat stulte, tangere nollet equos.
Me quoque, quæ sensi, fateor Jovis arma timere:
Me reor infesto, cum tonat, igne peti.
Quicumque Argolica de classe Capharea fugit;
Semper ab Euboicis vela retorquet aquis.
Et mea cymba, semel vasta percussa procella,
Illum, quo læsa est, horret adire locum.

6. *Diu-*

6. *Diuturni temporis, ſeu conſuetudinis* apud Ovid. Triſt. IV. 6.

Tempore ruricolæ patiens fit taurus aratri,
Præbet & incurvo colla premenda jugo.
Tempore paret equus lentis animoſus habenis,
Et placido duros accipit ore lupos.
Tempore Pœnorum compeſcitur ira leonum;
Nec feritas animo, quæ fuit ante, manet.
Quæque ſui monitis obtemperat Inda magiſtri
Bellua, ſervitium tempore victa ſubit.
Tempus, ut extentis tumeat facit uva racemis,
Vixque merum capiant grana, quod intus habent.
Tempus & in canas ſemen producit ariſtas,
Et, ne ſint triſti poma ſapore, facit.
Hoc tenuat dentem terram renovantis aratri,
Hoc rigidas ſilices, hoc adamanta terit.
Hoc etiam ſævas paullatim mitigat iras:
Hoc minuit luctus, mœſtaque corda levat.
Cuncta poteſt igitur tacito pede lapſa vetuſtas,
Præterquam curas attenuare meas.

# II. DESCRIPTIONES.

## 1. *Apum diverſis laboribus occupatarum* apud Virgil. Georg. IV.

Venturæque hiemis memores, æſtate laborem
Experiuntur, & in medium quæſita reponunt.
Namque aliæ victu invigilant, & fœdere pacto
Exercentur agris: pars intra ſepta domorum
Narciſſi lacrymam, & lentum de cortice gluten,
Prima fabis ponunt fundamina, deinde tenaces
Suſpendunt ceras: aliæ ſpem gentis adultos
Educunt fœtus: aliæ puriſſima mella
Stipant, & liquido diſtendunt nectare cellas.
Sunt, quibus ad portas cecidit cuſtodia ſorti,
Inque vicem ſpeculantur aquas, & nubila cœli:
Aut onera accipiunt venientum, aut agmine facto
Ignavum fucos pecus a præſepibus arcent.
Fervet opus, redolentque thymo fragrantia mella.

## 2. *Solutæ obſidionis Trojanæ; tum introductionis equi* apud Virgil. Aeneid. II.

Nos abiiſſe rati, & vento petiiſſe Mycenas
Ergo omnis longo ſolvit ſe Teucria luctu:
Panduntur portæ: juvat ire, & Dorica caſtra,
Deſertosque videre locos, littusque relictum.
Hic Dolopum manus, hic ſævus tendebat Achilles:
Claſſibus hic locus, hic acies certare ſolebant.

Pars

Pars ſtupet innuptæ donum exitiale Minervæ,
Et molem mirantur equi: primusque Thymœtes
Duci intra muros hortatur, & arce locari:
Sive dolo, ſeu jam Trojæ ſic fata ferebant.
At Capys, & quorum melior ſententia menti,
Aut pelago Danaum inſidias, ſuſpectaque dona
Præcipitare jubent, jubjectisque urere flammis:
Aut terebrare cavas uteri, & tentare latebras.
Scinditur incertum ſtudia in contraria vulgus.
— — — — — — — — —
— — — — — — — — —
Dividimus muros, & mœnia pandimus urbis.
Accingunt omnes operi, pedibusque rotarum
Subjiciunt lapſus, & ſtupea vincula collo
Intendunt: ſcandit fatalis machina muros,
Fœta armis, circum pueri, innuptæque puellæ
Sacra canunt, funemque manu contingere gaudent.
Illa ſubit; mediæque minans illabitur urbi.
O patria! O divum domus Ilium & inclyta bello
Mœnia Dardanidum! quater ipſo in limine portæ
Subſtitit, atque utero ſonitum quater arma dedere.
Inſtamus tamen immemores, cæcique furore,
Et monſtrum infelix ſacrata ſiſtimus arce.

3. *Montis Aetnæ flammivomi* apud Virgil. Aeneid. III.

— — Horrificis juxta tonat Aetna ruinis.
Interdumque atram prorumpit ad æthera nubem
Turbine fumantem piceo & candente favilla,
Attollitque globos flammarum, & ſidera lambit.

Interdum ſcopulos, avulſaque viſcera montis
Erigit eructans, liquefactaque ſaxa ſub auras
Cum gemitu glomerat, fundoque exæſtuat imo,
Fama eſt Enceladi ſemuſtum fulmine corpus
Urgeri mole hac, ingentemque inſuper Aetnam
Impoſitam, ruptis flammam expirare caminis;
Et feſſum quoties motat latus, intremere omnem
Murmure Trinacriam, & cœlum ſubtexere fumo.

4. *Venationis juſſu Didonis apparatæ* apud Virgil. Aeneid. IV.

Oceanum interea ſurgens Aurora reliquit:
It portis, jubare exorto, delecta juventus:
Retia rara, plagæ, lato venabula ferro,
Maſſylique ruunt equites, & odora canum vis.
Reginam thalamo cunctantem ad limina primi
Pœnorum expectant: oſtroque inſignis & auro
Stat ſonipes: ac frena ferox ſpumantia mandit.
Tandem progreditur, magna ſtipante caterva,
Sidoniam picto chlamydem circumdata limbo,
Cui pharetra ex auro, crines nodantur in aurum,
Aurea purpuream ſubnectit fibula veſtem.
Nec non & Phrygii comites, & lætus Iulus
Incedunt. Ipſe ante alios pulcherrimus omneis
Infert ſe ſocium Aeneas, atque agmina jungit.
Qualis, ubi hybernam Lyciam, Xanthique fluenta
Deſerit, ac Delum maternam inviſit Apollo,
Inſtauratque choros; miſtique altaria circum
Cretesque, Dryopesque fremunt, pictique Agathyrſi:

ipſe

Ipſe jugis Cynthi graditur, mollique fluentem
Fronde premit crinem fingens, atque implicat auro:
Tela ſonant humeris. Haud illo ſegnior ibat
Aeneas, tantum egregio decus enitet ore.
Poſtquam altos ventum in montes, atque invia luſtra:
Ecce feræ ſaxi dejectæ vertice capræ
Decurrere jugis: alia de parte patentes
Transmittunt curſu campos, atque agmina cervi
Pulverulenta fuga glomerant, montesque relinquunt.
At puer Aſcanius mediis in vallibus acri
Gaudet equo, jamque hos curſu, jam præterit illos,
Spumantemque dari pecora inter inertia votis
Optat aprum, aut fulvum deſcendere monte leonem.

5. *Domus Invidiæ* apud Ovid. Metamorphoſ. II. 12.

Protinus Invidiæ nigro ſquallentia tabo
Tecta petit. *Domus* eſt imis in vallibus antri
Abdita, ſole carens, non ulli pervia vento;
Triſtis, & ignavi pleniſſima frigoris; & quæ
Igne vacet ſemper, caligine ſemper abundet.
Huc ubi pervenit bello metuenda virago;
Conſtitit ante domum (neque enim ſuccedere tectis
Fas habet) & poſtes extrema cuſpide pulſat.
Concuſſæ patuere fores. Videt intus edentem
Vipereas carnes, vitiorum alimenta ſuorum,
Invidiam: viſaque oculos avertit. At illa
Surgit humo pigra: ſemeſarumque relinquit
Corpora ſerpentum: paſſuque incedit inerti.
Utque Deam vidit formaque armisque decoram,

Ingemuit: vultumque ima ad ſuſpiria duxit.
Pallor in ore ſedet: macies in corpore toto:
Nusquam recta acies: livent rubigine dentes;
Pectora felle virent: lingua eſt ſuffuſa veneno.
Riſus abeſt; niſi quem viſi movere dolores.
Nec fruitur ſomno, vigilacibus excita curis:
Sed videt ingratos, intabeſcitque videndo,
Succeſſus hominum: carpitque, & carpitur una:
Suppliciumque ſuum eſt. — — — —

6. *Peſtis diverſimode graſſantis* apud Ovid. Metamorphoſ. VII. 25.

Dira lues ira populis Junonis iniquæ
Incidit exoſæ dictas a pellice terras.
Dum viſum mortale malum, tantæque latebat
Cauſſa nocens cladis; pugnatum eſt arte medendi.
Exitium ſuperabat opem; quæ victa jacebat.
Principio cœlum ſpiſſa caligine terras
Preſſit; & ignavos incluſit nubibus æſtus.
Dumque quater junctis implevit cornibus orbem
Luna, quater plenum tenuata retexuit orbem;
Letiferis calidi ſpirarunt flatibus Auſtri.
Conſtat & in fontes vitium veniſſe, lacusque;
Milliaque incultos ſerpentum multa per agros
Erraſſe; atque ſuis fluvios temeraſſe venenis.
Strage canum primo, volucrumque, oviumque boumque,
Inque feris ſubiti deprenſa potentia morbi.
Concidere infelix validos miratur arator
Inter opus tauros: medioque recumbere ſulco.

Lani-

Lanigeris gregibus balatus dantibus ægros.
Sponte ſua lanæque cadunt, & corpora tabent.
Acer equus quondam, magnæque in pulvere famæ,
Degenerat palmas, veterumque oblitus honorum,
Ad præſepe gemit, morbo moriturus inerti.
Non aper iraſci meminit; non fidere curſu
Cerva; nec armentis incurrere fortibus urſi.
Omnia languor habet, ſilvisque, agrisque, viisque
Corpora fœda jacent: vitiantur odoribus auræ.
Mira loquor. Non illa canes, avidæque volucres,
Non cani tetigere lupi: dilapſa liqueſcunt;
Afflatuque nocent, & agunt contagia late.
Pervenit ad miſeros damno graviore colonos
Peſtis, & in magnæ dominatur mœnibus urbis.
Viſcera torrentur primo: flammæque latentis
Indicium rubor eſt, & ductus anhelitus ægre.
Aſpera lingua tumet; trepidisque arentia venis
Ora patent: auræque graves captantur hiatu.
Non ſtratum, non ulla pati velamina poſſunt:
Dura ſed in terra ponunt præcordia: nec fit
Corpus humo gelidum, ſed humus de corpore fervet.
Nec moderator adeſt: inque ipſos ſæva medentes
Erumpit clades; obſuntque auctoribus artes.
Quo propior quisque eſt, ſervitque fidelius ægro;
In partem leti citius venit; utque ſalutis
Spes abiit; finemque vident in funere morbi;
Indulgent animis: & nulla, quid utile, cura eſt.
Utile enim nihil eſt, paſſim, poſitoque pudore,
Fontibus, & fluviis, puteisque capacibus hærent.
Nec ſitis eſt extincta prius, quam vita, bibendo

In-

Inde graves multi nequeunt consurgere, & ipsis
Immoriuntur aquis: aliquis tamen haurit, & illas.
Tantaque sunt miseris invisi tædia lecti;
Prosiliunt: aut, si prohibent consistere vires,
Corpora devolvunt in humum; fugiuntque penates
Quisque suos: sua cuique domus funesta videtur.
(Et quia caussa latet, locus est in crimine notus)
Semanimes errare viis, dum stare valebant,
Aspiceres, flentes alios, terraque jacentes;
Lassaque versantes supremo lumina motu,
(Membraque pendentis tendunt ad sidera cœli,
Hic, illic ubi mors deprenderat, exhalantes)

7. *Famis* apud Ovid. Metamorphos. VIII. 11.

Quæsitamque famem lapidoso vidit in agro,
Unguibus, & raris vellentem dentibus herbas.
Hirtus erat crinis, cava lumina, pallor in ore,
Labra incana situ, scabræ rubigine fauces,
Dura cutis, per quam spectari viscera possent:
Ossa sub incurvis exstabant arida lumbis:
Ventris erat pro ventre locus: pendere putares
Pectus, & a spinæ tantummodo crate teneri.
Auxerat articulo macies, genuumque tumebat
Orbis, & immodico prodibant tubera talo.

8. *Tempestatis in mari* apud Ovid. Metamorphos. XI. 10.

Cum mare sub noctem tumidis albescere cœpit
Fluctibus, & præceps spirare valentius Eurus:

Ar-

Ardua, jam dudum, demittite cornua, rector
Clamat; & antennis totum fubnectite velum.
Hic jubet, impediunt adverfæ juffa procellæ;
Nec finit audiri vocem fragor æquoris ullam.
Sponte tamen properant alii fubducere remos;
Pars munire latus; pars ventis vela negare.
Egerit hic fluctus; æquorque refundit in æquor:
Hic rapit antennas, quæ dum fine lege geruntur;
Afpera crefcit hyems; omnique e parte feroces
Bella gerunt venti, fretaque indignantia mifcent:
Ipfe pavet, nec fe, qui fit ftatus, ipfe fatetur
Scire ratis rector; nec quid jubeatve, vetetve:
Tanta mali moles, totaque potentior arte eft.
Quippe fonant clamore viri, ftridore rudentes,
Undarum incurfu gravis unda, tonitribus æther.
Fluctibus erigitur, cœlumque æquare videtur
Pontus; & inductas afpergine tangere nubes.
Et modo, cum fulvas ex imo verrit arenas,
Concolor eft illis; Stygia modo nigrior unda:
Sternitur interdum, fpumisque fonantibus albet.
Ipfa quoque his agitur vicibus Trachinia puppis:
Et modo fublimis veluti de vertice montis
Defpicere in valles, imumque Acheronta videtur;
Hunc, ubi demiffam curvum circumftetit æquor,
Sufpicere inferno fummum de gurgite cœlum.
Sæpe dat ingentem fluctu latus icta fragorem:
Nec levius pulfata fonat, quam ferreus olim
Cum laceras aries ballifta ve concutit arces.
Utque folent, fumtis in curfu viribus, ire
Pectore in arma feri, prætentaque tela leones;

Sic

Sic ubi se ventis admiserat unda coortis;
Ibat in arma ratis; multoque erat altior illis.
Jamque labant cunei, spoliataque tegmine ceræ
Rima patet; præbetque viam letalibus undis.
Ecce cadunt largi resolutis nubibus imbres:
Inque fretum credas totum descendere cœlum:
Inque plagas cœli tumefactum adscendere pontum.
Vela madent nimbis, & cum cœlestibus undis
Aequoreæ miscentur aquæ, caret ignibus æther;
Cæcaque nox premitur tenebris hyemisque, suisque.
Discutiunt tamen has, præbentque micantia lumen
Fulmina: fulmineis ardescunt ignibus undæ.
Dat quoque jam saltus intra cava texta carinæ
Fluctus: &, ut miles numero præstantior omni,
Cum sæpe assiluit defensæ mœnibus urbis,
Spe potitur tandem; laudisque accensus amore
Inter mille viros, murum tamen occupat unus.
Sic ubi pulsarunt celsi latera ardua fluctus;
Vastius insurgens decimæ ruit impetus undæ:
Nec prius absistit fessam oppugnare carinam;
Ruam velut in captæ descendat mœnia navis.
Pars igitur tendebat adhuc invadere pinum;
Pars maris intus erat. Trepidant haud segnius omnes;
Quam solet urbs, aliis murum fodientibus extra
Atque aliis murum, trepidare, tenentibus intus.
Deficit ars, animique cadunt: totidemque videntur,
Quot veniant fluctus, ruere, atque irrumpere mortes.
Non tenet hic lacrymas: stupet hic: vocat ille beatos,
Funera quos maneant: hic votis numen adorat:
Brachiaque ad cœlum, quod non videt, irrita tendens

Po-

Poſcit opem: ſubeunt illi fratresque parensque;
Huic cum pignoribus domus, & quod cuique relictum eſt.

9. *Domus Somni* apud Ovid. Metamorphoſ. XI. 10.

Eſt prope Cimmerios longo ſpelunca receſſu,
Mons cavus, ignavi domus & penetralia Somni;
Quo nunquam radiis oriens mediusve cadensve
Phœbus adire poteſt. Nebulæ caligine miſtæ
Exhalantur humo, dubiæque crepuſcula lucis.
Non vigil ales ibi criſtati cantibus oris
Evocat Auroram; nec voce ſilentia rumpunt
Sollicitive canes, canibusve ſagacior anſer.
Non fera, non pecudes, non moti flamine rami
Humanæve ſonum reddunt convicia linguæ.
Muta quies habitat. Saxo tamen exit ab imo
Rivus aquæ Lethes: per quem cum murmure labens
Invitat ſomnos crepitantibus unda lapillis.
Ante fores antri fœcunda papavera florent,
Innumeræque herbæ: quarum de lacte ſoporem
Nox legit, & ſpargit per opacas humida terras.
Janua, quæ verſo ſtridorem cardine reddat,
Nulla domo tota; cuſtos in limine nullus.
At medio torus eſt, ebeno ſublimis in antro
Plumeus, unicolor, pullo velamine tectus:
Quo cubat ipſe Deus, membris languore ſolutis.
Hunc circa paſſim varias imitantia formas

Som-

Somnia vana jacent totidem, quot messis aristas,
Silva gerit frondes, ejectas littus arenas.

10. *Iterum tempestatis in mari* apud Ovid. Trist. I. 2.

Me miserum, quanti montes volvuntur aquarum!
Jam jam tacturos sidera summa putes.
Quantæ diducto subsidunt æquore valles!
Jam jam tacturas Tartara nigra putes.
Quocumque adspicias, nihil est, nisi pontus & aër;
Fluctibus hic tumidus, nubibus ille minax.
Inter utrumque fremunt immani turbine venti.
Nescit, cui domino pareat, unda maris.
Nam modo purpureo vires capit Eurus ab ortu;
Nunc Zephirus sero vespere missus adest:
Nunc gelidus sicca Boreas bacchatur ab Arcto:
Nunc Notus adversa prælia fronte gerit.
Rector in incerto est; nec quid fugiatve, petatve,
Invenit; ambiguis ars stupet ipsa malis.
Scilicet occidimus, nec spes est ulla salutis;
Dumque loquor, vultus obruit unda meos.
Opprimet hanc animam fluctus: frustraque precanti
Ore necaturas accipiemus aquas.
At pia nil aliud quam me dolet exsule conjux:
Hoc unum nostri, scitque gemitque mali.
Nescit in immenso jactari corpora ponto:
Nescit agi ventis: nescit adesse necem.
Di bene, quod non sum mecum conscendere passus:
Ne mihi mors misero bis patienda foret!

At

At nunc, ut peream, quoniam caret illa periclo,
Dimidia certe parte superstes ero.
Hei mihi, quam celeri micuerunt nubila flamma!
Quantus ab æthereo personat axe fragor!
Nec levius laterum tabulæ feriuntur ab undis
Quam grave balistæ mœnia pulsat onus.
Qui venit hic fluctus supereminet omnes,
Posterior nono est, undecimoque prior.

II: *Veris redeuntis* apud Ovid. Trist. III. 12.

Frigora jam Zephyri minuunt, annoque peracto
(Longior antiquis visa Mæotis hyems)
Impositamque sibi, qui non bene pertulit Hellen,
Tempora nocturnis æqua diurna facit.
Jam violam puerique legunt, hilaresque puellæ;
Rustica quam nullo terra serente gerit.
Prataque pubescunt variorum flore colorum,
Indocilique loquax gutture vernat avis.
Utque malæ crimen matris deponat hirundo,
Sub trabibus cunas, parvaque tecta facit.
Herbaque, quæ latuit, Cerealibus obruta sulcis,
Exerit e tepida molle cacumen humo.
Quoque loco est vitis, de palmite gemma movetur;
Nam procul a Getico littore vitis abest.
Quoque loco est arbor, turgescit in arbore ramus;
Nam procul a Geticis finibus arbor abest.

# III. ELEGIAE EX OVIDIO.

## 1. *Librum suum, quem Romam mittit, alloquitur, & in varias vices instruit.* Trist. I. 1.

Parve (nec invideo) sine me liber ibis in Urbem;
(Hei mihi) quo domino non licet ire tuo.
Vade, sed incultus; qualem decet exsulis esse.
Infelix, habitum temporis hujus habe.
Nec te purpureo velent vaccinia fuco:
Non est conveniens luctibus ille color:
Nec titulus minio, nec cedro charta notetur:
Candida nec nigra cornua fronte geras.
Felices ornent hæc instrumenta libellos:
Fortunæ memorem te decet esse meæ.
Nec fragili geminæ poliantur pumice frontes:
Hirsutus passi ut videare comis.
Neve liturarum pudeat; qui viderit illas,
De lacrumis factas sentiet esse meis.
Vade, liber, verbisque meis loca grata saluta:
Contingam certe, quo licet, illa pede.
Si quis, ut in populo, nostri non immemor illic;
Si quis, qui, quid agam, forte requirat, erit;
Vivere me dices: salvum tamen esse negabis.
Id quoque, quod vivam, munus habere Dei.

At-

Atque ita te tacitus quærenti plura legendum,
Ne; quæ non opus eſt, forte, loquare, dabis.
Protinus admonitus repetet mea crimina lector,
Et peragar populi publicus ore reus.
Neu cave defendas, quamvis mordebere dictis.
Cauſſa patrocinio non bona pejor erit.
Invenies aliquem, qui me ſuſpiret ademptum,
Carmina nec ſiccis perlegat iſta genis:
Et tacitus ſecum, ne quis malus audiat, optet:
Sit mea lenito Cæſare pœna minor.
Nos quoque, quisquis erit, ne ſit miſer ille, precamur,
Placatos miſero, qui volet eſſe Deos.
Quæque volet, rata ſint, ablataque Principis ira
Sedibus in patriis det mihi poſſe mori.
Ut peragas mandata, liber, culpabere forſan;
Ingeniique minor laude ferere mei.
Judicis officium eſt, ut res, ita tempora rerum
Quærere, quæſito tempore tutus eris.
Carmina proveniunt animo deducta ſereno:
Nubila ſunt ſubitis tempora noſtra malis.
Carmina ſeceſſum ſcribentis, & otia quærunt:
Me mare, me venti, me fera jactat hyems.
Carminibus metus omnis abeſt: ego perditus enſem
Hæſurum jugulo jam puto jamque meo.
Hæc quoque, quæ facio, judex mirabitur æquus;
Scriptaque cum venia qualiacunque leget.
Da mihi Mæoniden, & tot circumſpice caſus;
Ingenium tantis excidet omne malis.
Denique ſecurus famæ, liber, ire memento;
Nec tibi ſit lecto diſplicuiſſe pudor.

Non ita se nobis præbet fortuna secundam,
Ut tibi sit ratio laudis habenda tuæ.
Donec eram sospes, tituli tangebar amore,
Quærendique mihi nominis ardor erat.
Carmina nunc si non studiumque, quod obfuit, odi,
Sit satis ingenio sic fuga parta meo.
I tamen, i, pro me tu, cui licet, adspice Romam.
Dî facerent, possem nunc meus esse liber!
Nec te, quod venias magnam peregrinus in urbem,
Ignotum populo posse venire puta.
Ut titulo careas, ipso noscere colore,
Dissimulare velis te licet esse meum.
Clam tamen intrato; ne te mea carmina lædant:
Non sunt, ut quondam plena favoris erant.
Si quis erit, qui te, quod sis meus, esse legendum
Non putet, e gremio rejiciatque suo;
Inspice, dic, titulum, non sum præceptor amoris,
Quas meruit pœnas, jam dedit illud opus.
Forsitan exspectes, an in alta Palatia missum
Scandere te jubeam, Cæsareamque domum.
Ignoscant augusta mihi loca, Dique locorum:
Venit in hoc illa fulmen ab arce caput.
Esse quidem memini mitissima sedibus illis
Numina: sed timeo, qui nocuere, Deos.
Terretur minimo pennæ stridore columba,
Unguibus, accipiter, saucia facta tuis.

Nec

Nec procul a ſtabulis audet ſecedere, ſi qua
Excuſſa eſt avidi dentibus agna lupi.
Vitaret cœlum Phaëton, ſi viveret; & quos
Optarat ſtulte, tangere nollet equos.
Me quoque, quæ ſenſi fateor Jovis arma timere:
Me reor infeſto, cum tonat, igne peti.
Quicumque Argolica de claſſe Capharea fugit,
Semper ab Euboicis vela retorquet aquis.
Et mea cymba, ſemel vaſta percuſſa procella,
Illum, quo læſa eſt; horret adire locum.
Ergo care liber, timida circumſpice mente;
Et ſatis a media ſit tibi plebe legi.
Dum petit infirmis nimium ſublimia pennis
Icarus, Icariis nomina fecit aquis.
Difficile eſt tamen, hic remis utaris an aura,
Dicere: conſilium resque locusque dabunt.
Si poteris vacuo tradi, ſi cuncta videbis
Mitia, ſi vires fregerit ira ſuas;
Si quis erit, qui te dubitantem, & adire timentem
Tradat, & ante tamen pauca loquatur, adi.
Luce bona, dominoque tuo felicior ipſe
Pervenias illuc; & mala noſtra leves.
Namque ea vel nemo, qui mihi vulnera fecit,
Solus Achilleo tollere more poteſt.
Tantum ne noceas, dum vis prodeſſe, videto:
Nam ſpes eſt animi noſtra timore minor.
Quæque quieſcebat, ne mota reſæviat ira,
Et pœnæ tu ſis altera cauſſa, cave.
Dum tamen in noſtrum fueris penetrale receptus,
Contigerisque tuam ſcrinia curva domum;

Adſpicies illic poſitos ex ordine fratres,
  Quos ſtudium cunctos evigilavit idem.
Cætera turba palam titulos oſtendet apertos;
  Et ſua detecta nomina fronte geret.
Tres procul obſcura latitantes parte videbis.
  Hi quoque, quod nemo neſcit, amare docent.
Hos tu vel fugias, vel, ſi ſatis oris habebis,
  Oedipodas facito, Telegonosque voces.
Deque tribus, moneo, ſi quæ tibi cura parentis,
  Ne quemquam, quamvis ipſe docebit, ames.
Sunt quoque mutatæ ter quinque volumina formæ,
  Nuper ab exequiis carmina rapta meis:
His mando dicas, inter mutata referri
  Fortunæ vultum corpora poſſe meæ.
Namque ea diſſimilis ſubito eſt effecta priori:
  Flendaque nunc, aliquo tempore læta fuit.
Plura quidem mandare tibi, ſi quæris, habebam,
  Sed vereor tardæ cauſſa fuiſſe moræ.
Quod ſi, quæ ſubeunt, tecum, liber, omnia ferres;
  Sarcina laturo magna futurus eras.
Longa via eſt: propera, nobis habitabitur orbis
  Ultimus; a terra terra remota mea.

2. *Amici fidem etiam in adverſis ſibi conſtantem & integram ſervatam laudat.*
Triſt. I, 5.

O mihi poſt ullos nunquam memorande ſodales,
  O cui præcipue ſors mea viſa ſua eſt;
Attonitum qui me (memini), cariſſime, primus
  Auſus es alloquio ſubſtinuiſſe tuo;

Qui

Qui mihi confilium vivendi mite dedifti,
  Cum foret in mifero pectore mortis amor;
Scis bene, cui dicam, pofitis pro nomine fignis;
  Officium nec te fallit, amice, tuum.
Hæc mihi femper erunt imis infixa medullis;
  Perpetuusque animæ debitor hujus ero.
Spiritus & vacuas prius hic tenuandus in auras
  Ibit, & in tepido deferet offa rogo;
Quam fubeant animo meritorum oblivia noftro:
  Et longa pietas excidat ifta die.
Di tibi fint faciles, & opis nullius egentem
  Fortunam præftent, diffimilemque meæ.
Si tamen hæc navis vento ferretur amico:
  Ignoraretur forfitan ifta fides.
Thefea Pirithous non tam fenfiffet amicum,
  Si non infernas vivus adiffet aquas:
Ut foret exemplum veri Phocæus amoris,
  Fecerunt furiæ, triftis Orefta, tuæ.
Si non Euryalus Rutulos cecidiffet in hoftes:
  Hyrtacidæ Nifo gloria nulla foret.
Scilicet ut fulvum fpectatur in ignibus aurum,
  Tempore fit duro eft infpicienda fides.
Dum juvat, & vultu ridet Fortuna fereno;
  Indelibatas cuncta fequuntur opes.
At fimul intonuit: fugiunt: nec nofcitur ulli,
  Agminibus comitum, qui modo cinctus erat.
Atque hæc exemplis quondam collecta priorum,
  Nunc mihi funt propriis cognita vera malis.
Vix duo tresve mihi de tot fupereftis amici,
  Cætera Fortunæ, non mea, turba fuit.

Quo magis, o pauci, rebus ſuccurrite lapſis,
Et date naufragio littora tuta meo:
Neve metu falſo nimium trepidate timentes,
Hac offendatur ne pietate Deus.
Sæpe fidem adverſis etiam laudavit in armis;
Inque ſuis amat hanc Cæſar, in hoſte probat.
Cauſſa mea eſt melior, qui non contraria fovi
Arma; ſed hanc merui ſimplicitate fugam.
Invigiles igitur noſtris pro caſibus oro,
Diminui ſi qua numinis ira poteſt.
Scire meos ſi quis caſus deſideret omnes;
Plus, quam quod fieri res ſinit, ille petat.
Tot mala ſum paſſus, quot in æthere ſidera lucent:
Parvaque quot ſiccus corpora pulvis habet.
Multaque credibili tulimus majora; ratamque,
Quamvis acciderint, non habitura fidem.
Pars etiam mecum quædam moriatur oportet:
Meque velim poſſit diſſimulante tegi.
Si vox in fragili mihi pectore firmior ære,
Pluraque cum linguis pluribus ora forent;
Non tamen idcirco complecterer omnia verbis:
Materia vires exſuperante meas.
Pro duce Neritio docti mala noſtra Poëtæ
Scribite: Neritio nam mala plura tuli.
Ille brevi ſpatio multis erravit in annis
Inter Dulichias Iliacasque domos.
Nos freta ſideribus notis diſtantia menſos
Sors tulit in Geticos Sarmaticosque ſinus.
Ille habuit fidemque manum, ſociosque fideles:
Me profugum comites deſeruere mei.

Ille

Ille suam lætus patriam, victorque petebat:
A patria fugio victus & exul ego.
Nec mihi Dulichium domus est, Ithaceve, Sameve:
Pœna quibus non est grandis abesse locis.
Sed quæ de septem totum circumspicit orbem
Montibus; imperii Roma Deumque locus:
Illi corpus erat durum patiensque laborum:
Invalidæ vires ingenuæque mihi.
Ille erat assidue sævis agitatus in armis:
Assuetus studiis mollibus ipse fui.
Me Deus oppressit, nullo mala nostra levante:
Bellatrix illi Diva ferebat opem.
Cumque minor Jove sit, tumidis qui regnat in undis;
Illum Neptuni, me Jovis ira premit.
Adde, quod illius pars maxima ficta laborum est;
Ponitur in nostris fabula nulla malis.
Denique quæsitos tetigit tamen ille Penates;
Quæque diu petit, contigit arva tamen.
At mihi perpetuo patria tellure carendum est,
Ni fuerit læsi mollior ira Dei.

3. *Queritur vulgus fortunam sequi in amicitiis.*
Trist. I. 9.

Detur inoffensæ metam tibi tangere vitæ,
Qui legis hoc nobis non inimicus opus.
Atque utinam pro te possint mea vota valere,
Quæ pro me duros non tetigere Deos!
Donec eris felix multos numerabis amicos:
Tempora si fuerint nubila, solus eris.

Aſpicis, ut veniant ad condida tecta columbæ;
Accipiat nullas ſordida turris aves.
Horrea formicæ tendunt ad inania nunquam:
Nullus ad amiſſas ibit amicus opes.
Utque comes radios per ſolis euntibus umbra,
Cum latet hic preſſus nubibus, illa fugit;
Mobile ſic ſequitur Fortunæ lumina vulgus:
Quæ ſimul inducta nube teguntur, abit.
Hæc precor, ut ſemper poſſint tibi falſa videri:
Sunt tamen eventu vera fatenda meo.
Dum ſtetimus, turbæ quantum ſatis eſſet, habebat
Nota quidem, ſed non ambitioſa domus.
At ſimul impulſa eſt, omnes timuere ruinam:
Cautaque communi terga dedere fugæ.
Sæva nec admiror metuunt ſi fulmina, quorum
Ignibus afflari proxime quæque ſolent.
Sed tamen in duris remanentem rebus amicum
Quamlibet inviſo Cæſar in hoſte probat.
Nec ſolet iraſci (neque enim moderatior alter,)
Cum quis in adverſis, ſi quid amavit, amat.
De comite Argolici poſtquam cognovit Oreſtæ
Narratur Pyladen ipſe probaſſe Thoas.
Quæ fuit Actoride cum magno ſemper Achille,
Laudari ſolita eſt Hectoris ore fides.
Quod pius ad manes Theſeus comes iſſet amico,
Tartareum dicunt indoluiſſe Deum.
Euryali Niſique fide tibi Turne relata,
Credibile eſt lacrymis immaduiſſe genas.
Eſt etiam miſeris pietas, & in hoſte probatur.
Hei mihi, quam paucos hæc mea dicta movent!

4. In

## 4. *In mortem Pſittaci.* Lib. II. 6.

Pſittacus, Eois imitatrix ales ab Indis,
Occidit: exequias ite frequenter aves.
Ite piæ volucres; & plangite pectora pennis;
Et rigido teneras ungue notate genas.
Horrida pro mœſtis lanietur pluma capillis:
Pro longa reſonent carmina veſtra tuba.
Quid ſcelus Iſmarii quereris, Philomela, tyranni?
Expleta eſt annis iſta querela ſuis.
Alitis in raræ miſerum divertite funus.
Magna, ſed antiqui cauſſa doloris Itys.
Omnes, quæ liquido libratis in aëre curſus;
Tu tamen ante alias, turtur amice, dole.
Plena fuit vobis omni concordia vita,
Et ſtetit ad finem longa tenaxque fides.
Quod fuit Argolico juvenis Phocæus Oreſtæ;
Hoc tibi, dum licuit, Pſittace, turtur erat.
Quid tamen iſta fides? quid rari forma coloris?
Infelix avium gloria, nempe jaces.
Tu poteras fragiles pennis hebetare ſmaragdos,
Tincta gerens rubro Punica roſtra croco.
Non fuit in terris vocum ſimulantior ales:
Reddebas blæſo tam bene verba ſono.
Raptus es invidia. Non tu fera bella movebas;
Garrulus, & placidæ pacis amator eras.
Ecce coturnices inter ſua prælia vivunt:
Forſitan & fiant inde frequenter anus.
Plenus eras minimo: nec præ ſermonis amore
In multos poteras ora vacare cibos.
Nux erat eſca tibi, cauſſæque papavera ſomni:
Pellebatque ſitim ſimplicis humor aquæ.

Vi-

Vivit edax vultur, ducensque per aëra gyros
  Milvius, & pluviæ graculus auctor aquæ.
Vivit & armiferæ cornix invisa Minervæ;
  Illa quidem seclis vix moritura novem.
Occidit ille loquax, humanæ vocis imago
  Psittacus, extremo munus ab orbe datum,
Optima prima fere manibus rapiuntur avaris;
  Implentur numeris deteriora suis.
Tristia Phyllacidæ Thersites funera vidit:
  Jamque cinis, vivit fratribus, Hector erat.
Colle sub Elysio nigra nemus ilice frondens,
  Udaque perpetuo gramine terra viret.
Si qua fides dubiis; volucrum locus ille piarum
  Dicitur, obscœnæ quo prohibentur aves.
Illic innocui late pascuntur olores:
  Et vivax Phœnix, unica semper avis.
Psittacus has inter, nemorali sede receptus,
  Convertit volucres in sua verba pias.
Ossa tegit tumulus; tumulus pro corpore parvus:
  Quo lapis exiguus par sibi carmen habet.
Colligor ex ipso dominæ placuisse sepulcro.
  Ora fuere mihi plus ave docta loqui.

5. *Mortem Tibulli deflet.* Lib. III. 9.

Memnona si mater, mater ploravit Achillem,
  Et tangunt magnas tristia fata deas;
Flebilis indignos, Elegeia, solve capillos.
  Ah nimis ex vero nunc tibi nomen erit!
Ille tui vates operis, tua fama Tibullus
  Ardet in extructo corpus inane rogo.

Ec-

Ecce, Puer Veneris fert everſamque pharetram,
Et fractos arcus, & ſine Luce facem.
Aſpice, demiſſis ut ea miſerabilis alis;
Pectoraque infeſta tundat aperta manu.
Excipiunt ſparſi lacrymas per colla capilli,
Oraque ſingultu concutiente ſonant.
Fratris in Aeneæ ſic illum funere dicunt
Egreſſum tectis, pulcher Iule, tuis.
At ſacri vates, & divum cura vocamur;
Sunt etiam, qui nos numen habere putent.
Scilicet omne ſacrum mors importuna profanat:
*Deos & heroas primum, dein Auguſtum laudat.*
Apud Horat. Carm. L. I. Ode 12.

Quem virum aut heroa lyra, vel acri
Tibia ſumes celebrare, Clio?
Quem Deum? Cujus recinet jocoſa
Nomen imago,
Aut in umbroſis Heliconis oris,
Aut ſuper Pindo gelidove in Hæmo?
Unde vocalem temere inſecutæ
Orphea ſylvæ,
Arte materna rapidos morantem
Fluminum lapſus, celeresque ventos,
Blandum & auritas fidibus canoris
Ducere quercus.
Quid prius dicam ſolitis Parentis
Laudibus; qui res hominum, ac deorum
Qui mare & terras, variisque mundum
Temperat horis?

Unde nil majus generatur ipſo;
Nec viget quicquam ſimile, aut ſecundum;
Proximos illi tamen occupavit
Pallas honores.
Præliis audax, neque te ſilebo,
Liber, & ſævis inimica virgo
Belluis: nec te metuende certa
Phœbe, ſagitta,
Dicam & Alcidem, pueroſque Ledæ
Hunc equis, illum ſuperare pugnis
Nobilem: quorum ſimul alba nautis
Stella refulſit.
Defluit ſaxis agitatus humor;
Concidunt venti; fugiuntque nubes,
Et minax (quod ſic voluere) ponto
Unda recumbit.
Romulum poſt hos prius an quietum
Pompili regnum memorem, an ſuperbos
Tarquini fasces, dubito, an Catonis
Nobile lethum.
Regulum & Scauros, animæque magnæ
Prodigum Paulum ſuperante Pœno,
Gratus inſigni referam Camœna
Fabricumque.
Hunc, & incomptis Curium capillis
Utilem bello tulit, & Camillum
Sæva paupertas, & avitus apto
Cum lare fundus.
Creſcit occulto velut arbor ævo
Fama Marcelli. Micat inter omnes

Ju-

Julium sidus, velut inter ignes
Luna minores.
Gentis humanæ Pater, atque custos,
Orte Saturno, tibi cura magni
Cæsaris fatis data; tu secundo
Cæsare regnes.
Ille seu Parthos Latio imminentes
Egerit justo domitos triumpho,
Sive subjectos Orientis oris
Scythas & Indos
Te minor latum reget æquus orbem
Tu gravi curru quaties Olympum,
Tu parum castis inimica mittes
Flumina lucis.

4. *Vaticinium de Trojæ excidio.* Apud Horat. Carmin. L. I. Ode 15.

Pastor cum traheret per freta navibus
Idæis Helenam perfidus hospitam,
Ingrato celeres obruit otio
Ventos, ut caneret fera
Nereus fata. Mala ducis avi domum
Quam multo repetet Græcia milite,
Conjuratâ tuas rumpere nuptias
Et regnum Priami vetus.
Eheu, quantus equis, quantus adest viris
Sudor! Quanta moves funera Dardanæ
Genti! Jam galeam Pallas & ægida,
Currusque, & rabiem parat,

Ne-

Nequicquam Veneris præſidio ferox
Pectes cæſariem: grataque fœminis
Imbelli cithara carmina divides.
Nequicquam thalamo graves
Haſtas, & calami ſpicula Gnoſſii
Vitabis, ſtrepitumque, & celerem ſequi,
Ajacem. Tamen, heu, ſerus adulteros
Crines pulvere collines.
Non Laërtiaden, exitium tuæ
Gentis, non Pylium Neſtora reſpicis?
Urgent impavidi te Salaminius,
Teucerque, & Sthenelus ſciens
Pugnae, ſive opus eſt imperitare equis
Non auriga piger. Merionem quoque
Noſces. Ecce furit te reperire atrox
Tydides melior patre:
Quem tu, cervus uti vallis in altera
Viſum parte lupum graminis immemor,
Sublimi fugies mollis anhelitu
Non hoc pollicitus tuæ
Iracunda diem proferet Ilio,
Matronisque Phrygum claſſis Achillei,
Poſt certas hyemes uret Achaicus
Ignis Iliacas domos.

5. *Innocentiam ubique tutam eſſe.* Apud Horat.

Carminum L. I. Ode 22.

Integer vitæ, ſceleriſque purus
Non eget Mauri jaculis, neque arcu,

Nec

Nec venenatis gravida ſagittis,
Fuſce, pharetra.
Sive per Syrtes iter æſtuoſas
Sive facturus per inhoſpitalem
Caucaſum, vel quæ loca fabuloſus
Lambit Hydaſpes.
Namque me ſilva lupus in Sabina,
Dum meam canto Lalagen, & ultra
Terminum curis vagor expeditus,
Fugit inermem.
Quale portentum neque militaris
Daunia in latis alit eſculetis,
Nec Iubæ tellus generat, leonum
Arida nutrix.
Pone me, pigris ubi nulla campis
Arbor æſtiva recreatur aura:
Quod latus mundi nebulæ, malusque
Jupiter urget.
Pone ſub curru nimium propinqui
Solis, in terra domibus negata,
Dulce ridentem Lalagen amabo
Dulce loquentem.

6. *Ad Fortunam. Ut ſervet Cæſarem in Britannos profecturum.* Apud Horat. Carm. L. I. Ode. 35.

O Diva, gratum quæ regis Antium,
Præſens vel imo tollere de gradu
Mortale corpus, vel ſuperbos
Vertere funeribus triumphos:

Te

Te pauper ambit ſollicita prece
Ruris colonus: te dominam æquoris,
Quicumque Bithyna laceſſit
Carpathium pelagus carina,
Te Dacus aſper, te profugi Scythæ,
Urbesque gentesque: & Latium ferox,
Regumque matres barbarorum, &
Purpurei metuunt tyranni.
Injurioſo ne pede proruas
Stantem columnam: neu populus frequens
Ad arma ceſſantes; ad arma
Concitet, imperiumque frangat.
Te ſemper anteit ſæva neceſſitas,
Clavos trabales, & cuneos manu
Geſtans ahena: nec ſeverus
Uncus abeſt, liquidumque plumbum.
Te ſpes & albo rara fides colit
Velata panno, nec comitem abnegat:
Utcumque mutata potentes
Veſte domos inimica linquis.
At vulgus infidum, & meretrix retro
Perjura cedit: diffugiunt cadis
Cum fœce ſiccatis amici,
Ferre jugum pariter doloſi
Serves iturum Cæſarem in ultimos
Orbis Britannos, & juvenum recens
Examen Eois timendum
Partibus Oceanoque rubro.
Eheu, cicatricum, & ſceleris pudet,
Fratrumque. Quid no dura refugimus

Aetas? Quid intactum nefasti
Liquimus? Unde manus juventus
Metu Deorum continuit? Quibus
Pepercit aris? O utinam nova
Incude diffingas retusum in
Massagetas Arabasque ferrum.

7. *Sodales hortatur ad lætandum extincta Cleopatra.* Apud Horat. Carm. L. I. Ode 37.

Nunc est bibendum, nunc pede libero
Pulsanda tellus: nunc Saliaribus
Ornare pulvinar Deorum
Tempus erat dapibus, sodales.
Antehac nefas depromere Cæcubum
Cellis avitis; dum Capitolio
Regina dementes ruinas,
Funus & imperio parabat,
Contaminato cum grege turpium
Morbo virorum; quidlibet impotens
Sperare, fortunaque dulci
Ebria. Sed minuit furorem
Vix una sospes navis ab ignibus;
Mentemque lymphatam Mareotico
Redegit in veros timores
Cæsar, ab Italia volantem
Remis adurgens; accipiter velut
Moles columbas, leporem citus
Venator in campis nivalis
Aemoniæ; daret ut catenis

Fa-

Fatale monſtrum: quae generoſius
Perire quaerens, nec muliebriter
Expavit enſem, nec latentes
Claſſe cita reparavit oras.
Auſa & jacentem viſere regiam
Vultu ſereno fortis, & aſperas
Tractare ſerpentes, ut atrum
Corpore combiberet venenum;
Deliberata morte ferocior:
Saevis Liburnis ſcilicet invidens
Privata deduci ſuperbo
Non humilis mulier triumpho.

8. *C. Aſinium Pollionem monet, ut bella civilia deſcribere intermittat: tum laudat ejus ſcripta.* Apud Horat. Carm. L. II, Ode I.

Motum ex Metello conſule civicum,
Bellique cauſſas, & vitia, & modos,
Ludumque fortunae, gravesque
Principum amicitias, & arma
Nondum expiatis uncta cruoribus,
Periculoſae plenum opus aleae
Tractas: & incedis per ignes
Suppoſitos cineri doloſo.
Paullum ſeverae Muſa Tragoediae
Deſit theatris: mox, ubi publicas
Res ordinaris, grande munus
Cecropio repetes cothurno,

In-

Insigne mœstis præsidium reis,
Et consulenti Pollio Curiæ:
Cui laurus æternos honores
Dalmatico peperit triumpho.
Jam nunc minaci murmure cornuum
Perstringis aures: jam litui strepunt,
Jam fulgor armorum fugaces
Terret equos, equitumque vultus.
Audire magnos jam videor Duces,
Non indecoro pulvere sordidos;
Et cuncta terrarum subacta,
Præter atrocem animum Catonis.
Juno, & Deorum quisquis amicior
Afris, inulta cesserat impotens
Tellure: victorum nepotes
Rettulit inferias Jugurthæ.
Quis non Latino sanguine pinguior
Campus sepulcris impia prælia
Testatur, auditumque Medis
Hesperiæ sonitum ruinæ?
Qui gurges, aut quæ flumina lugubris
Ignara belli? Quod mare Dauniæ
Non decoloravere cædes?
Quæ caret ora cruore nostro?
Sed ne relectis Musa procax jocis,
Ceæ retractes munera Næniæ:
Mecum Dionæo sub antro
Quære modos leviore plectro.

## 9. *Ad C. Sallustium Crispum.*

*Divitiarum non possessio, sed contemtus, ac laudabilis usus beatum facit.* Apud Horat. Carmin. L. II. Ode. 2.

Nullus argento color est, avaris
Abditae terris inimice lamnae,
Crispe Sallusti, nisi temperato
Splendeat usu.
Vivet extento Proculejus aevo,
Notus in fratres animi paterni:
Illum aget penna metuente solvi
Fama superstes.
Latius regnes, avidum domando
Spiritum, quam si Libyam remotis
Gadibus jungas, & uterque Poenus
Serviat uni.
Crescit indulgens sibi dirus hydrops;
Nec sitim pellit, nisi caussa morbi
Fugerit venis, & aquosus albo
Corpore languor.
Redditum Cyri solio Phraatem
Dissidens plebi, numero beatorum
Eximit virtus, populumque falsis
Dedocet uti
Vocibus, regnum & diadema tutum
Deferens uni, propriamque laurum,
Quisquis ingentes oculo irretorto
Spectat acervos.

10.

## 10. *Ad Delium.*

*Nec adversis frangi, nec prosperis extolli debet moriturus, sed moderate lætari.* Apud Horat. Carmin. L. II. Ode. 3.

Aequam memento rebus in arduis
Servare mentem; non secus in bonis
Ab insolenti temperatam
Lætitia, moriture Deli;
Seu mœstus omni tempore vixeris,
Seu te in remoto gramine per dies
Festos reclinatum bearis
Interiore nota Falerni:
Qua pinus ingens, albaque populus
Umbram hospitalem consociare amant
Ramis; & obliquo laborat
Lympha fugax trepidare rivo.
Huc vina, & unguenta, & nimium breves
Flores amœnæ ferre jube rosæ;
Dum res, & ætas, & sororum
Fila trium patiuntur atra.
Cedes coëmtis saltibus, & domo
Villaque, flavus quam Tiberis lavit,
Cedes: & extructis in altum
Divitiis potietur heres.
Divesne prisco natus ab Inacho,
Nil interest, an pauper, & infima
De gente sub dio moreris,
Victima nil miserantis Orci,

Omnes eodem cogimur: omnium
Versatur urna: serius ocyus
Sors exitura, & nos in æternum
Exilium impositura cymbæ.

## II. *Ad Licinium.*

*Servandam esse animi æquabilitatem in utraque fortuna.*
Apud Horat. Carmin. L. II. Ode. 10.

Rectius vives, Licini, neque altum
Semper urgendo; neque, dum procellas
Cautus horrescis, nimium premendo
Littus iniquum.
Auream quisquis mediocritatem
Diligit: tutus caret obsoleti
Sordibus tecti: caret invidenda
Sobrius aula.
Sæpius ventis agitatur ingens
Pinus: & celsæ graviore casu
Decidunt turres: feriuntque summos
Fulmina montes
Sperat infestis, metuit secundis
Alteram sortem bene præparatum
Pectus. Informes hyemes reducit
Jupiter: idem
Summovet: non, si male nunc, & olim
Sic erit. Quondam cithara tacentem
Suscitat Musam; neque semper arcum
Tendit Apollo.
Rebus angustis animosus, atque
Fortis appare; sapienter idem

Con-

Contrahes vento nimium ſecundo
Turgida vela.

12. *In arborem, cujus caſu pene eſt oppreſſus.*
Apud Horat. Carmin. L. II. Ode 13.

Ille & nefaſto té poſuit die,
Quicumque primum, & ſacrilega manu
Produxit, arbos, in nepotum
Perniciem, opprobriumque pagi.
Illum & parentis crediderim ſui
Fregiſſe cervicem, & penetralia
Sparſiſſe nocturno cruore
Hoſpitis. Ille venena Colchica,
Et quicquid usquam concipitur nefas
Tractavit, agro qui ſtatuit meo.
Te, triſte lignum, te caducum
In domini caput immerentis.
Quid quisque vitet, nunquam homini ſatis
Cautum eſt in horas. Navita Boſphorum
Pœnus perhorreſcit; neque ultra
Cœca timet aliunde fata.
Miles ſagittas & celerem fugam
Parthi; catenas Parthus, & Italum
Robur: ſed improviſa lethi
Vis rapuit rapietque gentes.
Quam pene furvæ regna Proſerpinæ,
Et judicantem vidimus Aeacum,
Sedesque diſcretas piorum, &
Aeoliis fidibus querentem

Sappho puellis de popularibus:
Et te sonantem plenius aureo,
Alcæe, plectro dura navis,
Dura fugæ mala, dura belli.
Utrumque sacro digna silentio
Mirantur umbræ dicere: sed magis
Pugnas, & exactos tyrannos
Densum humeris bibit aure vulgus.
Quid mirum? Ubi illis carminibus stupens
Demittit atras bellua centiceps
Aures: & intorti capillis
Eumenidum recreantur angues?
Quin & Prometheus, & Pelopis parens
Dulci laborum decipitur sono:
Nec curat Orion leones
Aut timidos agitare lyncas.

## 13. *Ad Mæcenatem Aegrotum.*

*Superstitem ei se non futurum.* Apud Horat. Carmin. L. II. Ode 17.

Cur me querelis exanimas tuis?
Nec dis amicum est nec mihi, te prius
Obîre, Mæcenas, mearum
Grande decus, columenque rerum.
Ah! te meæ si partem animæ rapit
Maturior vis, quid moror altera,
Nec charus æque, nec superstes
Integer? Ille dies utramque
Ducet ruinam. Non ego perfidum
Dixi sacramentum: ibimus, ibimus;

Ut

Utcumque præcedes, ſupremum
Carpere iter comites parati.
Me nec Chimæræ ſpiritus igneæ,
Nec ſi reſurgat centimanus Gyas
Divellet umquam: ſic potenti
Juſtitiæ, placitumque Parcis:
Seu Libra, ſeu me Scorpius aſpicit
Formidoloſus, pars violentior
Natalis horæ, ſeu tyrannus
Heſperiæ Capricornus undæ:
Utrumque noſtrum incredibili modo
Conſentit aſtrum. Te Jovis impio
Tutela Saturno refulgens
Eripuit, volucrisque fati
Tardavit alas, cum populus frequens
Lætum theatris ter crepuit ſonum;
Me truncus illapſus cerebro
Suſtulerat, niſi Faunus ictum
Dextra levaſſet, Mercurialium
Cuſtos virorum. Reddere victimas,
Aedemque votivam memento:
Nos humilem feriemus agnam.

14. *Non opibus aut honoribus, ſed mediocri fortuna, vitaque tranquilla conſtat felicitas.*
Apud Horat. Carmin. L. III.
Ode. I.

Odi profanum vulgus, & arceo.
Favete linguis; carmina non prius

Audita, Muſarum Sacerdos
Virginibus puerisque canto.
Regum timendorum in proprios greges,
Reges in ipſos imperium eſt Jovis,
Clari Gigantæo triumpho,
Cuncta ſupercilio moventis.
Eſt ut viro vir latius ordinet
Arbuſta ſulcis: hic generoſior
Deſcendat in campum petitor:
Moribus hic, meliorque fama
Contendat: illi turba clientium
Sit major. Aequa lege neceſſitas
Sortitur inſignes & imos.
Omne capax movet urna nomen.
Diſtrictus enſis cui ſuper impia
Cervice pendet, non Siculæ dapes
Dulcem elaborabunt ſaporem:
Non avium citharæque cantus
Somnum reducent. Somnus agreſtium
Lenis virorum non humiles domos
Faſtidit, umbroſamque ripam,
Non Zephyris agitata Tempe.
Deſiderantem quod ſatis eſt, neque
Tumultuoſum ſollicitat mare,
Nec ſævus Arcturi cadentis
Impetus aut orientis Hœdi:
Non verberatæ grandine vineæ,
Fundusque mendax; arbore nunc aquas
Culpante, nunc torrentia agros
Sidera, nunc hyemes iniquas.

Con-

Contracta pisces æquora sentiunt,
Jactis altum molibus. Huc frequens
Cæmenta demittit redemtor
Cum famulis, dominusque terræ
Fastidiosus. Sed timor & minæ
Scandunt eodem quo dominus: neque
Decedit ærata triremi, &
Post equitem sedet atra cura.
Quod si dolentem nec Phrygius lapis,
Nec purpurarum sidere clarior
Delenit usus, nec Falerna
Vitis Achæmeniumque costum:
Cur invidendis postibus, & novo
Sublime ritu moliar atrium?
Cur valle permutem Sabina
Divitias operosiores?

15. *Virum justum nihil extimescere. Item de non reparanda Troja.* Apud Horat. Carmin. L. III. 3.

Justum & tenacem propositi virum
Non civium ardor prava jubentium,
Non vultus instantis tyranni
Mente quatit solida; neque Auster
Dux inquieti turbidus Adriæ:
Nec fulminantis magna Jovis manus,
Si fractus illabatur orbis
Impavidum ferient ruinæ.
Hac arte Pollux, & vagus Hercules
Innixus arces attigit igneas:

Quos inter Auguſtus recumbens
Purpureo bibit ore nectar.
Hac te merentem, Bacche pater, tuæ
Vexere tigres, indocili jugum
Collo trahentes: hac Quirinus
Martis equis Acheronta fugit:
Gratum elocuta conſiliantibus
Junone divis: Ilion, Ilion
Fatalis inceſtusque Judex,
Et mulier peregrina vertit
In pulverem, ex quo deſtituit Deos
Mercede pacta Laomedon, mihi
Caſtæque damnatum Minervæ,
Cum populo, & duce fraudulento.
Jam nec Lacænæ ſplendet adulteræ
Famoſus hoſpes: nec Priami domus
Perjura pugnaces Achivos
Hectoreis opibus refringit:
Noſtrisque ductum ſeditionibus
Bellum reſedit. Protinus & graves
Iras, & inviſum nepotem,
Troica quem peperit ſacerdos,
Marti redonabo. Ilium ego lucidas
Inire ſedes, ducere nectaris
Succos, & adſcribi quietis
Ordinibus patiar Deorum.
Dum longus inter ſæviat Ilion,
Romamque pontus; qualibet exules
In parte regnando beati,
Dum Priami Paridisque buſto

In-

Insultet armentum, & catulos feræ
Celent inultæ; ſtet Capitolium
Fulgens, triumphatisque poſſit
Roma ferox dare jura Medis.
Horrenda late nomen in ultimas
Extendat oras, qua medius liquor
Secernit Europen ab Afro,
Qua tumidus rigat arva Nilus:
Aurum irrepertum, & ſic melius ſitum,
Cum terra celat, ſpernere fortior,
Quam cogere humanos in uſus,
Omne ſacrum rapiente dextra.
Quicumque mundi terminus obſtitit,
Hunc tangat armis, viſere geſtiens
Qua parte debacchentur ignes,
Qua nebulæ pluviique rores.
Sed bellicoſis fata Quiritibus
Hac lege dico, ne nimium pii,
Rebusque fidentes, avitæ
Tecta velint reparare Trojæ.
Trojæ renaſcens alite lugubri
Fortuna triſti clade iterabitur,
Ducente victrices catervas
Conjuge me Jovis & ſorore.
Ter ſi reſurgat murus aheneus,
Auctore Phœbo; ter pereat meis
Exciſus Argivis: ter uxor
Capta virum puerosque ploret.
Non hæc jocoſæ conveniunt lyræ.
Quo, Muſa, tendis? Deſine pervicax

Referre ſermones Deorum, &
Magna modis tenuare parvis.

16. *Auguſti laudes*, *Craſſi vituperium*, *Reguli virtus*, *fides*, *conſtantia.* Apud Horatium Carmin. Lib. III. Ode 5.

Cœlo tonantem credidimus Jovem
Regnare: præſens divus habebitur
Auguſtus, adjectis Britannis
Imperio, gravibusque Perſis.
Milesne Craſſi conjuge barbara
Turpis maritus vixit? Et hoſtium
(Proh Curia, inverſique mores!)
Conſenuit ſocerorum in armis
Sub Rege Medo, Marſus & Appulus,
Anciliorum, nominis, & togæ
Oblitus, æternæque Veſtæ,
Incolumi Jove, & urbe Roma?
Hoc caverat mens provida Reguli,
Diſſentientis conditionibus
Fœdis, & exemplo trahenti
Perniciem veniens in ævum;
Si non periret immiſerabilis
Captiva pubes. Signa ego Punicis
Affixa delubris, & arma
Militibus ſine cæde, dixit,
Direpta vidi: vidi ego civium
Retorta tergo brachia libero,
Portasque non clauſas, & arva
Marte coli populata noſtro.

Auro repensus scilicet acrior
Miles redibit? Flagitio additis
Damnum. Neque amissos colores
Lana refert medicata fuco:
Nec vera virtus, cum semel excidit,
Curat reponi deterioribus.
Si pugnat extricata densis
Cerva plagis: erit ille fortis,
Qui perfidis se credidit hostibus:
Et Marte Pœnos proteret altero:
Qui lora restrictis lacertis
Sensit iners, timuitque mortem.
Hic unde vitam sumeret inscius,
Pacem duello miscuit. O pudor!
O magna Carthago, probrosis
Altior Italiæ ruinis!
Fertur pudicæ conjugis osculum
Parvosque natos, ut capitis minor,
Ab se removisse, & virilem
Torvus humi posuisse vultum;
Donec labantes consilio patres
Firmaret auctor, nunquam alias dato,
Interque mœrentes amicos
Egregius properaret exul.
Atqui sciebat, quæ sibi barbarus
Tortor pararet: non aliter tamen
Dimovit obstantes propinquos,
Et populum reditus morantem,
Quam si clientum longa negotia
Dijudicata lite relinqueret;

Tendens Venafranos in agros,
Aut Lacedæmonium Tarentum.

17. *Ad Torquatum.*

*Vita hilariter ducenda, quia res omnes diffluunt.*
Apud Horat. Carmin. L. IV. Ode 7.

Diffugere nives, redeunt jam gramina campis
Arboribusque comæ.
Mutat terra vices, & decreſcentia ripas
Flumina prætereunt.
Gratia cum Nymphis geminisque ſororibus audet
Ducere nuda choros.
Immortalia ne ſperes, monet annus, & almum
Quæ rapit hora diem.
Frigora miteſcunt Zephyris: ver proterit æſtas
Interitura, ſimul
Pomifer autumnus fruges effuderit: & mox
Bruma recurrit iners.
Damna tamen celeres reparant cœleſtia Lunæ:
Nos ubi decidimus.
Quo pius Aeneas, quo Tullus dives & Ancus;
Pulvis & umbra ſumus:
Quis ſcit an adjiciant hodiernæ craſtina ſummæ
Tempora Di ſuperi?
Cuncta manus avidas fugient hæredis, amico
Quæ dederis animo
Cum ſemel occideris, & de te ſplendida Minos
Fecerit arbitria.
Non, Torquate, genus, non te facundia, non te
Reſtituet pietas.

Infernis neque enim tenebris Diana pudicum
 Liberat Hippolytum:
Nec lethaea valet Thefeus abrumpere charo
 Vincula Pirithoo.

## 18. *Ad Virgilium.*

*Vernam tempeſtatem deſcribit: tum invitat eum ad epulas, & ad hilaritatem.* Apud Horat. Carmin. L. IV. Ode 12.

Jam veris comites, quae mare temperant
Impellunt animae lintea Thraciae:
Jam nec prata rigent, nec fluvii ſtrepunt
 Hyberna nive turgidi.
Nidum ponit, Ityn flebiliter gemens,
Infelix avis, & Cecropiae domus
Aeternum opprobrium, quod male barbaras
 Regum eſt ulta libidines.
Dicunt in tenero gramine pinguium
Cuſtodes ovium carmina fiſtula,
Delectantque Deum, cui pecus & nigri
 Colles Arcadiae placent.
Adduxere ſitim tempora, Virgili:
Sed preſſum Calibus ducere Liberum
Si geſtis, juvenum nobilium cliens,
 Nardo vina moerebere.
Nardi parvus onyx eliciet cadum,
Qui nunc Sulpitiis accubat horreis,
Spes donare novas largus, amaraque
 Curarum eluere efficax.

Ad

Ad quæ ſi properas gaudia, cum tua
Velox merce veni. Non ego te meis
Immunem meditor tingere poculis,
Plena dives ut in domo.
Verum pone moras, & ſtudium lucri:
Nigrorumque memor, dum licet, ignium,
Miſce ſtultitiam conſiliis brevem.
Dulce eſt deſipere in loco.

# VIII. EPIGRAMMATA.

## EX MARTIALE.

### *In Cottam* Lib. I. epigr. 10.

1. Bellus homo & magnus vis idem, Cotta, videri;
Sed qui bellus homo eſt, Cotta, puſillus homo eſt.

### *De Arria & Pæto.* I. 14.

2. Caſta ſuo gladium cum traderet Arria Pæto,
Quem de viſceribus traxerat ipſa ſuis:
Si qua fides, vulnus, quod feci, non dolet, inquit;
Sed quod tu facies, hoc mihi, Pæte, dolet.

### *Ad Aeliam.* I. 20.

3. Si memini, fuerant tibi quatuor, Aelia, dentes;
Exſpuit una duos tuſſis, & una duos.
Iam ſecura potes totis tuſſire diebus,
Nil iſtic, quod agat, tertia tuſſis habet.

### *De Diaulo medico.* I. 48.

4. Nuper erat medicus, nunc eſt veſpillo Diaulus:
Quod veſpillo facit, fecerat & medicus.

### *Ad Flaccum.* I. 99.

5. Litigat, & podagra Diodorus Flacce laborat;
Sed nil Patrono porrigit, hæc Chiragra eſt.

*In Linum.* Lib. I. Epigr. 38.

6. Quid mihi reddat ager, quæris, Line, Nomentanus?
Hoc mihi reddit ager: te Line non video.

*De Fannio.* II. 80.

7. Hoftem cum fugeret, fe Fannius ipfe peremit.
Hic rogo, non furor eft, ne moriare, mori?

*In Cinnam.* III. 9.

8. Verficulos in me narratur fcribere Cinna.
Non fcribit, cujus carmina nemo legit.

*In Neftorem.* III. 28.

9. Auriculam Mario graviter miraris olere.
Tu facis hoc: garris, Neftor, in auriculam.

*De pifcibus fculptis.* III. 35.

10. Artis Phidiacæ toreuma clarum,
Pifces afpicis: adde aquam, natabunt.

*In Lentinum.* III. 43.

11. Mentiris juvénem tinctis, Lentine, capillis:
Tam fubito corvus, qui modo cygnus eras.
Non omnes fallis: fcit te Proferpina canum:
Perfonam capiti detrahet illa tuo.

*In Cotilium.* III. 63.

12. Cotile, bellus homo es: dicunt hoc, Cotile, multi.
Audio, fed quid fit, dic mihi, bellus homo?

Bel-

Bellus homo est, flexos qui digerit ordine crines,
Balsama qui semper, cinnama semper olet:
Cantica qui Nili, qui Gatidiana susurrat:
Qui movet in varios brachia volsa modos:
Inter fœmineas tota qui luce cathedras
Desidet, atque aliqua semper in aure sonat:
Qui legit hinc illinc missas, scribitque tabellas:
Pallia vicini qui refugit cubiti:
Qui scit, quam quis amet, qui per convivia currit:
Hirpini veteres qui bene novit avos.
Quid narras? hoc est, hoc est homo, Cotile, bellus?
Res pretiosa est, Cotile, bellus homo.

*De Thaide & Lecania.* V. 44.

13. Thais habet nigros, niveos, Lecania dentes.
Quæ ratio est? emptos hæc habet, illa suos.

*Ad Bassum.* V. 54.

14. Colchida quid scribis, quid scribis, amice, Thyesten?
Quid tibi vel Niobe, Basse, vel Andromache?
Materia est, mihi crede, tuis aptissima chartis,
Deucalion, vel, si non placet hic, Phaëton.

*Ad Cinnam.* V. 77.

15. Profecit toto Mithridates sæpe veneno,
Toxica ne possent sæva nocere sibi:

Tu quoque cavisti cœnando tam male semper:
Ne possis unquam Cinna perire fame.

*De Pompejo & filiis.* V. 75.

16. Pompejos juvenes Asia, atque Europa, sed ipsum
Terra tegit Libyes; si tamen ulla tegit.
Quid mirum toto si spargitur orbe? jacere
Uno non poterat tanta ruina loco.

*Ad Lupum.* VI. 79.

17. Tristis es, & felix; sciat hoc fortuna caveto:
Ingratum dicet te, Lupe, si scierit.

*In Paullam* IX. 9.

18. Nubere vis Prisco, non miror, Paulla, sapisti;
Ducere te non vult Priscus: & ille sapit.

## EX OVENO.

*Ad quemdam pauperem medicum.* Libr. I. Epigr. 21.

1. Qui modo venisti nostram mendicus in urbem,
Paullum mutato nomine fis medicus.
Pharmaca das ægroto: aurum tibi porrigit æger,
Tu morbum curas illius: ille tuum.

*In Chymicum.* II. 9.

2. Rem decoxit iners Chymicus, dum decoquit aurum,
Et bona dilapidat omnia pro lapide.

In

*In avarum.* II. III.

3. Ferrea cista auri custos tibi: ferrea porta;
Ferrea tota domus: ferreus & dominus.

*In calvum.* II. 126.

4. Ecce tibi nulli superant in vertice crines,
Nullus in infida stat tibi fronte pilus.
Omnibus amissis a tergo & fronte capillis,
Quid tibi jam restat perdere calve? Caput.

*In prodigum. & parcum.* III. 65.

5. Hic nisi post mortem veteri nil donat amico:
Ille nihil, quod post funera donet, habet.

*In Marcum.* Libr. Singul. 23.

6. Plus tibi pollicitis præstandum: non minus: undè
Una data est homini lingua, manusque duæ.
At tu nil præstas; promittis plurima: tanquam,
Marce, duæ linguæ sunt tibi, nulla manus.

*In Ponticum clientem.* Libr. Sing. 68.

7. Pontice caussidico nil porrigis; ista Chiragra est.
Ille pedem pro te non movet: hæc Podagra est.

*In hypocritam.* Libr. I. 46.

8. Nescit, ais, mea læva manus quid dextera donet.
Credo, quod omnino dat tua dextra nihil.

*In Cinnam medicum.* I. 86.

9. Tollere scis morbos, at quomodo? tollis & ægros;
Quodque facis (Judas ut) cito Cinna facis.
Qui tuus est patiens, o terque quaterque beatum!
Ægrotare illum non patiere diu.

*In quemdam oratorem infinitum.* Libr. III. 123.

10. Omnia cum dixti; superest tibi dicere: Dixi;
Hæc mihi sermonis vox placet una tui.

*In Labienum philautum.* I. 64.

11. Sed solum Labienus amat, miratur, adorat:
Non modo se solum, se quoque solus amat.

*In ignorantem arrogantem.* III. 59.

12. Captivum Line te tenet ignorantia duplex:
Scis nihil, & nescis te quoque scire nihil.

# APPENDIX I.

## DE MYTHOLOGIA

SEU

## FABULOSA DEORUM GENTILIUM HISTORIA.

a. *Mythologia* eſt ſermo de fictis gentilium Diis eorum hiſtorias præſertim recenſens.

b. Quamquam verum ſit complurium Deorum fictorum originem ad Chaldaeos, Aegyptios & Phœnices referendam eſſe, unde in Græciam una cum coloniis poſtea propagatam fuiſſe hanc abominationem in confeſſo eſt apud omnes: tamen Græciæ potiſſimum fabuloſam Deorum multitudinem, qualis hodie adhuc deprehenditur, deberi, & inde Romano Imperio deinceps illatam fuiſſe extra omnem controverſiam eſt.

c. Non eſt hujus loci turpiſſimæ idololatriæ in orbem invadentis & inſigniter auctæ cauſſas prolixius perſequi; has tamen originum cauſſas ex plurimarum & graviſſimarum numero interim indubitatas tenebimus:

1. *Depravatio* multarum Traditionum Sacrarum, quæ orali doctrina a Patriarchis cum filiis & nepotibus communicatæ, præſer-

tim post dispersionem Babelicam multipliciter degenerarunt, & absurdissimis figmentis non nunquam coinquinatæ sunt.

*Annot.* Dudum doctissimi homines Bochartus & Huetius conspirationem fabularum plurimarum gentilium cum factis, quæ in libris sacris Christianorum notata sunt, ostenderunt; unde vel suppilata a gentibus & dolo transformata Christianorum Sacra, vel certe temporum longinquitate, & a genuinis fontibus distantia corruptas narrationes in Theologiam ethnicam manasse, plus quam verisimiliter suspicari liceat.

2. *Arrogantia* Sacerdotum Aegyptiorum & Philosophorum; qui cum arcana naturæ & phœnomena physica in vulgus prodere nollent, eadem hieroglyphicis; symbolis, & allegoriis involverunt.

3. *Vanitas* deinde Græcorum & superbia, qui cum se antiquissimos mundi populos reputarent, originem suam ad Deos, quam ad homines referre maluerunt, & quæ verissima etiam a Judaeis aut Aegyptiis acceperant, fictionibus deformaverunt, ut tanto securius vera laterent.

4. *Phantasia* & ardens imaginatio Poëtarum, qui oblectandi caussa virtutes, vitia, affectus humanis imo divinis formis pingebant, proponebantque.

5. *Con-*

5. *Consectatio* voluptatum & conscientia turpitudinis scelerum, ad quæ vel excusanda vel consecranda Deos sibi fabrifecerunt, quibus eadem vitia non adscribebant solum, sed familiaria plane reddebant.

6. *Assentatio* erga Principes in populis, in Principibus ipsis studium memoriam Antecessorum suorum perpetuandi, suæque simul immortalitati eadem opera velificandi.

d. Colluviem tot stultarum divinitatum ignorare non equidem magnum juventuti nostræ damnum futurum esse, nisi a pluribus inde annorum millibus fermenti instar ita fere omnem scientiarum artiumque bonarum massam, Poëticæ puta, Oratoriæ, Pictoriæ, Plasticæ, Statuariæ, Musicæ &c. pervasisset, ut integrum amplius jam nemini sit cognitione hac carere, quicunque ad eruditionem eniti proposuit.

e. Itaque id nobis isthic negotii datum putabimus, ut cum sobrietate, & qua fieri poterit, cum ordine non tam tractemus quam delibemus ea Deorum gentilium facta, quæ maxime ex usu juventutis in auctorum latinorum tractatione & in reliquo fortassis vitæ humanæ commercio futura videbuntur.

f. Ordinem quidem tractationis istius varii varium sunt amplexi: alii Deos primum omnes promiscue, tum Deas ordine dignitatis executi sunt; alii neglecto sexus discrimine, clas-

ses Deorum cœlestium, terrestrium, marinorum, inferorum, & Semideorum constituerunt; alii demum eruditi in duas supremas classes omne divinitatum ethnicarum genus sic partiti sunt, ut singulas deinceps in secundarias classes subdividerent.

g. Nos postremam hanc ipsam partitionem eruditioni classicæ adolescentum nostrorum opportuniorem rati, de Diis majorum gentium primo, tum de Diis minorum gentium hoc ordine perpetuo acturi sumus, ut singulorum primo ortum, tum facta, deinde formam, postremo diversa illorum nomina enarremus.

## §. I.

### *De Diis majorum gentium.*

a. *Dii majorum gentium* illi dicti sunt apud Romanos, qui ceterorum omnium familiam ducere putabantur, & propterea ab universis prope gentibus, quamquam diverso modo, nonnunquam etiam sub diversis nominibus, culti celebratique erant.

b. Complectebatur vero istarum divinitatum census Deos Deasque viginti numero; quorum *Consentes* duodecim; *selecti* autem octo numerabantur.

A. *De*

A. *De Diis Consentibus.*

*Consentes* omnes Deos Deasque (quibus hoc nomen ab antiquo verbo *conso*, quod idem ac *consulo* significat, inditum fuit) Ennius his duobus versiculis comprehendit:

*Juno*, *Vesta*, *Minerva*, *Ceres*, *Diana*, *Venus*, *Mars*,
*Mercurius*, *Jovi*, *Neptunus*, *Vulcanus*, *Apollo*.

Quos jam singulos inspicere libet, Itaque

I. JUPITER Princeps Deorum omnium, Deorum hominumque Pater, Præses cœli habitus.

a, *Saturni* & *Opis* (quam alii *Rheam* vocant) filius est, conservatus clam patre Saturno, cui a callida matre Jovis loco lapis pannis obvolutus devorandus oblatus est; pastoribus in Ida monte educandus traditus, ibi lacte *Amalthea* capræ pastus, deinceps cornui istius capræ virtutum tribuit, ut ex libitu inde bona quæque depromi possent, unde *Cornu copiæ* nomen traxit. Transeuntem aliquando patrem, ut ab attentione subtracti lacrymantis filii averteret mater, sacerdotes Idæ (juxta alios Cretæ) *Curetes* seu *Corybantes* strepitum musicis instrumentis & collisione armorum excitare jussit, quo dolo occultus mansit puer, adolevitque. Dejecto postea re-

regno patre Saturno cum fratribus Neptuno & Plutone hereditatem ita divisit, ut sibi cœli terræque imperium ac supremam in Deos omnes hominesque potestatem retineret, Neptuno maris & aquarum; Plutoni autem inferorum regna in sortem cederet.

b. Ad summum cœli terræque imperium exaltatus plurimis benefactis juxta & malefactis inclaruit, quorum memorabiliora fere sunt hæc:

1. *Gigantes* terræ filii, immania hominum monstra, quorum alii centum manibus, alii serpentum pedibus instructi erant, bellum in Superos moverunt; in *Phlegæis* Thessaliæ campis *Athon*, *Pelion*, *Ossam*, *Rhodopem* altissimos montes aggesserunt, ardentes quercus & saxa in cœlum ejaculati, tantoque terrore Deos repleverant, ut plerique fugam in Aegyptum arriperent, atque ut ibi securius laterent, sub diversorum animalium figuris se absconderent. Apollo corvum, Bacchus capram, Diana felem, Juno vaccam, Venus piscem &c. induit (unde animalium horum divinum in Aegypto cultum deducunt) solus Jupiter comite Minerva bellum intrepidus sustinuit, rebelles fulminibus occidit partim, par-

tim

tim dejectos montium ruinis oppressit, *Typhonem* Gigantum omnium maximum ferocissimumque (quem alii *Enceladum*, alii *Briareum* appellant) Sicilia a terris avulsa obruit, ubi iras & ignes spirans nequidquam commovere se nititur, per Aetnam flammas evomens.

2. *Lycaon* crudelis Arcadum Rex peregrinos mactare, edendosque hospitibus apponere consueverat. Veritatem sceleris ad se delati exploraturus ipse Jupiter peregrini habitu ad Regem hospes venit, & re vera humanas carnes sibi appositas videns, sceleratum ultus est regia fulmine exusta, & Lycaone in lupum converso.

3. *Prometheus* simulacrum hominis ex argilla variorum animalium sanguine macerata efformaverat, idque surrepto ex solis rota igne animaverat. Ejus confidentiam indignatus Jupiter in *Caucaso* monte alligari saxis Prometheum fecit, addito vulture, qui jecur illius continuo renascens exedit.

4. *Epimetheo* fratri Promethei uxorem per Mercurium allegavit *Pandoram*, fœminam omnium Deorum Dearumque muneribus divitem. Hæc mari-

to

to pyxidem dotis loco attulit, qua curiosius incautiusque aperta omne malorum genus illic conclusum in orbem evolavit, sola spe (solito miserorum omnium solatio) in fundo remanente, cum pyxidem celeriter iterum conclusisset. Horum filia *Pyrrha* est.

5. *Thessaliæ* totius incolas flagitiis contaminatissimos diluvio aquarum immisso funditus delevit, solis *Deucalione* & *Pyrrha* ex communi interitu relictis, qui ad verticem *Olympi* montis confugerant, & qui deinceps in ea rerum solitudine a *Themide* jussi sunt genus humanum reparare rejectis post tergum lapidibus, quorum ii, quos Deucalion jecerat, in viros commutati sunt; quos Pyrrha autem, fœminæ extiterunt.

*Annot.* Non est difficile, nec admodum a verisimilitudine alienum suspicari: sub his fabulis primorum parentum lapsum, diluvium universale, Noachi conservationem, filiorum trium Noachi in universum orbem divisionem, & turris Babelicæ fabricam delitescere &c.

6. *Ganymedem* Trois Regis Troiani filium eximia forma adolescentem in monte *Ida* venantem ab aquila sua rapi, in cœlum perferri fecit, ibique

que allatum miſcendo ac miniſtrando Diis nectari præfecit. Quo officio cum hucusque *Hebe* Junonis filia functa eſſet, ab eo miniſterio inepte inter ſerviendum prolapſa, remota nunc eſt. Hinc irarum item Junonis in Trojanos cauſſa extitit.

7. Ad *Danaëm* Acriſii Argivorum regis filiam a patre turri fortiſſima, adhibitis etiam cuſtodibus, ut ab omni humano commercio remota eſſet, concluſam, in imbrem aureum transformatus inviſit.

*Annot.* Quid opportunius; quam in Danaës fabula Jovem imbrem aureum ſic interpretari, ut cuſtodes auro corruptos ſignificet? quemadmodum Horatius interpretatus eſt Carmm. L. III. Od. 16. *Aurum per medios ire ſatellites, & perrumpere amat ſaxa potentius igne fulmineo.* Quod utique nec in veris hiſtoriis rariſſimum eſt &c.

8. *Europam* Agenoris regis Phœnicum filiam cum collactaneis ſuis ad littus maris ludentem, tauri formam mentitus ad blanditias primum, tum ad fiduciam plane tergo ſuo inſidendi pellexit, ac repente prædam tenens fugam capeſſivit, marique tranato in *Cretam* inſulam depoſuit.

9. Ex

9. Ex *Leda*, cujus gratia cygnum induerat, gemellos fuscepit *Pollucem* & *Helenam*; & quæ hujus generis complura fabulantur.

c. Forma diverfiffima ab antiquitate exhibebatur Jupiter: fere autem vultu virili & ferio pingitur, nonnunquam barbato, throno eburneo aureoque infidens, fæpe nubibus aut aquilæ fuæ innixus, coronam auream capite, fceptrum finiftra, dextra autem fulmina gerens; pedibus illius affidet alis plerumque expanfis aquila, aliquando Jovis loco fulmina unguibus intentans, hinc *fulminum miniftra* dicta.

1. *Annot.* Facile conjectura affequimur, cur aquila potiffimum ex ceteris animalibus Jovi facra fuerit? quemadmodum item quercus & æfculus eidem facræ arbores funt, a fulmine, ut fabulabantur, immunes.

2. Celeberrima Jovis templa erant: *Elide* in Græcia, ubi fingulis quinquenniis *Ludi Olympici*, maximo apparatu & univerfæ Græciæ concurfu celebrabantur; *Dodonæ* item in Græcia, ubi in fylva quercina antiquiffimum celebratiffimumque Græciæ oraculum erat; *Romæ* in Capitolio, quod Cicero *fedem Imperii & arcem omnium nationum* appellavit, & in defertis *Lybiae* Jovis *Ammonii*, ubi cornua arietis præferens colebatur.

d. Nomina aut Cognomina plurima diverfiffimaque tum apud Romanos, tum apud

cete-

ceteros nonnullos populos retulit Jupiter; ita ut solus Varro trecenta illorum recenseat. Digniora notatu sunt sequentia:

*Jupiter* quasi *juvans pater*, aut ut verius alii existimant, antiquum nominativum *Jovis* junctum fuisse voci *pater*, unde *Jovis pater*, mox *Joupiter* & *Jupiter*.

*Optimus Maximus*, Deorum enim summus, Divorumque ac hominum pater erat.

*Jupiter Custos*; quod ordinem universi conservaret tueretur que.

*Jupiter Fulminator*, & *Tonans*: arma enim huic uni & soli Deo propria erant fulmina.

*Jupiter Vindex*, quod & æquum defenderet, scelera autem injustitiasque vindicaret.

*Jupiter Lapis* a lapide, quem Saturnus Jovis loco devoraverat: unde jurantes silicem lapidem manu tenebant, *Jovemque lapidem jurare* sanctissimum jusjurandum edere significabat.

*Diespiter*, id est, *diei pater*, vel etiam *Lucetius*; lucis enim Deus creditus est, & universe etiam pro aëre, præsertim a Poëtis usurpatus. Hinc illa Horatii: sub *Jove frigido*, *Jove pluvio* &c.

*Vejovis* aut *Vejupiter*, quaſi parvus & infeſtus Jupiter, quem, ut maleficiis inferendis abſtineret, colebant.

*Zevs* a Græcis appellatus eſt.

*Jupiter Xenius* vel *Hoſpitalis*, hoc nomine ceu hoſpitalitatis præſes celebrabatur.

*Jupiter Capitolinus*, *Tarpejus*, *Feretius*, *Stator*, *Latialis*; nomina ſunt, quorum originem & cauſſas in faſtis Romanis require

*Jupiter Ammonius*, *Olympicus*, *Dodonæus*, ex locis, in quibus præcipue colebatur, dictus eſt.

II. NEPTUNUS aquarum omnium apud Ethnicos Deus eſt, ac propterea maria omnia, flumina, fontes, lacus, nec non Dii Deæque, quicunque his aquis præſidere credebantur, eidem tanquam ſupremo aquatico Numini reputantur ſubordinati.

a. *Saturni* & *Opis* fuit filius, frater proinde Jovis, cui ſortitione aquarum imperium ex hereditate paterna obtigerat.

b. Sequentia præcipua facta de eo commemorantur:

1. A Jove condemnatus, ut in terris cœlo exul degeret, *Laometonti* in extruendis Trojæ mœnibus operam ſuam una cum Apolline item exule condi-

cta

cta mercede locavit. Sed fidem pactæ mercedis fallente deinceps Laomedonte, regnum illius primum exundationibus aquarum; tum monstro marino emisso, cui virginem quot annis devorandam offerre debebant, miserum in modum afflixit, donec tandem Hercules monstro occiso, *Hesioneque* filia Laomedontis liberata turpissimum tributi opprobrium abstulit.

2. In celebri cum Pallade controversia de Athenarum imperio ac tutela cum conventum esset, illi tutelam in jus cessuram, qui singulari aliquo munere recens producto urbem cohonestaturus esset: tridente in terram impacto equum produxit. Cum Minerva autem oleam germinare fecisset, judicio Deorum Consentientium tutela Minervæ adjudicata est, qua sententia ita exacerbatus est Neptunus, ut vindictæ caussa omnem Atticam inundaret.

3. *Peleo* cum *Thetide* connubium celebranti donum nuptiale equos duos obtulit *Xanthum* & *Balium* singulari virtute præditos.

4. Artem domandi equos, mortales docuisse perhibetur.

 5. Cer-

5. Certans cum Minervâ & Appolline de efficiendo illuſtriori artificio, bovem protulit, Vulcano hominem, & Minerva domum fabricante. Sed prærogativa tamen ex Momi, judicis delecti, ſententia cecidit, quod cornua capiti, non pectori, qua parte fortiſſimus bos eſſet, affixiſſet.

6. Ad preces Theſei vindictam ab Hippolyto filio Theſei ſumturus, monſtrum marinum ablegavit, a quo conterriti Hippolyti equi herum aurigam miſerrime dilacerarunt.

c. Effingebatur Neptunus paſſim vultu ſenili, comante barba, capillitio glauco, oculis cæruleis, vultu nunc placido, alias perturbato, fere nudo potiſſimo corpore, tridentem manu ſceptri in morem geſtans, & conchæ currus loco inſiſtens, quam equi duo marini trahunt, anterioribus pedibus pinnas annexas habentes; poſteriori autem ſui parte in piſcem deſinentes. Aliquando curru quadrijugi vectus pingitur aſſidente ſibi uxore ſua *Amphitrite*, & præcedente tibicine *Tritone* eorum filio, qui item ſuperior corporis parte hominem junceo ſerto redimitum; inferiori autem piſcem refert, & tibiæ loco concham marinam inflat.

An-

*Annot.* Præter hos præcipuos aquarum Deos proximi adhuc sunt aliqui, nimirum: *Oceanus* Neptuni gener & trium millium filiarum pater (intellige fluviorum); *Nereus* Oceani filius, cujus uxor *Doris*, filiæ *Nerum* quinquaginta Nymphæ marinæ, *Nereides* vel *Nerinæ* dictæ; *Najades* item fluviorum & fontium præsides Nymphæ; tum *Proteus* phocarum seu vitulorum marinorum pastor, in multiplices formas se mutare solitus; denique *Glaucus*, & *Thetis* filia Neptuni, in cujus cum Peleo nuptiis *Eris* (seu Discordia) mensæ convivali Deorum Dearumque, qui universi aderant, fatale pomum injecit cum inscriptione: *Pulcherrimæ.*

2. Monstra præterea marina hic notanda præsertim sunt duplicia, *Sirenes* nimirum, quæ virgines erant infima corporis parte pisces, Siciliæ littora juxta promontorium Pelorum incolentes, cantusque incredibili suavitate, si qui præternavigarent, allicientes ac devorantes. Duos tantum viros ex earum artibus incolumes exivisse commemorant: Ulyssem cum sociis, qui aures cera obturaverant, & Orpheum, qui laudes Deorum ad cytharam cecinerat. Deinde *Scylla* & *Charybdis* monstra duo fœminea sunt, hodieque ad Messanam & Rhegium urbes navigantibus infestissima. Lege sis descriptionem eorum apud Virg. L. VIII. Aeneid.

d. Neptunum a *nubendo*, hoc est, tegendo dictum observavit Varro, quod nimirum quaquaversum potissimam terræ partem aquæ obtegant. Sed cognomina præterea complura sortitus, est, ut:

*Isthmius*, quod præcipue in isthmo Corinthiaco celebre templum haberet, & ibidem splendidissimi in ejus honorem ludi ederentur.

*Consus* cognomen, quod apud Romanos obtinuit, & festa in honorem illius obiri solita, *Consualia* dicta, ludis equestribus peragebantur.

*Hippius* item propter equos vel inventos, vel domitos vocabatur. &c.

III. APOLLO diversis muneribus apud veteres functus est; erat enim unus ipse sol orbem collustrans, & jaculator eximius, artis medendi ac vaticinandi auctor, Musicæ inventor, & Musarum præses.

a. *Jovis* & *Latonæ* filius. Cum Juno Latonæ infensa terram deprecata esset, ne pariturae locum ullum cederet, quin immisso etiam immani dracone, *Pythone* dicto, fugitivam undique persequeretur, afflicta Latona ad Neptunum confugit, qui insulam *Delon* ex mari ascendere jussit, eamque fugitivæ locum perfugii & nativitatis assignavit.

a Facta Dei hujus secundum diversa, quæ obivit munera, sunt varia;

1 Cum

1. Cum artis jaculandi effet peritiffimus, ante omnia matrem de Pythone ferpente ultus eft, draconemque turpiffimum exhaufta prope pharetra, fagittis interfecit. Idem poftea, cum Jupiter filium ejus *Aefculapium* fulmine interemiffet, in vindictam exardefcens *Cyclopes* aliquot fulminum fabros interemit, quod ita male Jovem uffit, ut Apollinem cœlo ejiceret, Deorumque conſortio deturbatum ad mortalium focietatem redigeret.

2. Inter mortales ad rerum omnium inopiam redactus *Admeti* Regis greges pavit, eoque præfertim tempore Muficæ artis inventor fuit; hinc poëtarum & Muficæ Deus.

3. *Laomedontem* Regem Trojanum in mœnibus exftruendis juvit, diciturque tibiæ & citharæ (quorum inftrumentorum muficorum inventor item eft) dulcedine lapides fic commoviffe, ut fe ipfi ad mutuas ædificii juncturas accederent.

4. *Pan* tibiæ inventionem fibi pariter vindicare volens Apollinem ad certamen muficum provocavit, arbitro *Mida* Rege Lydiæ electo; fed cum hic pretium certaminis Pani improvi-

denter adjudicaſſet, ab Apolline irato auribus aſininis punitus eſt.

5. Simili certamine congredi auſo, victoque Satyro *Marſiæ* pellem detrahi juſſit.

6. *Hyacinthum* juvenem filium regis *Orbeli*, quocum luſitare diſco aſſolebat, cum evibrato fortius, & gravius in caput pueri relabente diſco imprudenter necaſſet, ſanguinem illius in florem cognominem mutavit.

7. Cum *Daphne Penei* Theſſaliæ regis filia Apollinem identidem fugiens a Jove in arborem laurum transformata eſſet, arborem ſaltem hanc ſacram Apollo ſibi eſſe voluit, ramisque inde decerptis coronam capiti ſuo plexuit. Hinc Poëtarum corona laurea.

8. *Leucothoës* virginis regiæ, quæ a patre viva humi defoſſa fuerat, ſepulcrum nectare perfudit, atque thuriferas inde arbores germinare fecit.

9. *Clitien* autem ſororem Leucothoës Apollinis videndi deſiderio contabeſcentem in *Heliotropium* mutavit, ſe jugiter ad ſolis intuitum convertens.

10. *Caſſandram* Priami Regis filiam dono futura prædicendi equidem impertitus

eſt.

eft, fed fimul miferrimam conditionem annexuit, ut vaticinanti, etiam vera, nemo crederet.

11. *Phaëtonti* filio, in teftimonium paterni generis id poftulanti, currum fuum folis equis ferociffimis quatuor junctum agendum credidit: fed juvenis præfidens, cum aurigationis hujus horrendæ imperitus cœlos terramque incendiffet, a Jove fulmine in *Erydanum* fluvium dejectus, & orbis terrarum exuftionis periculo liberatus eft. Sorores Phaëtontis *Heliades* immodice fratris cafum deplorantes in arbores Alnos commutatæ funt.

6. Pingitur Apollo fpecie imberbis juvenis, flavis promiffisque capillis (unde paffim apud Latinos intonfus dicitur), caput lauro cinctus, levi folum pallio ex humeris pendente, dextra arcum & fagitas, læva citharam vel lyram tenens. Nonnunquam aureo radiantique currui infidens, quam quatuor equi juxta fe adjuncti trahunt. Alias etiam eadem quidem fere corporis forma, quam mox defcripfimus, fed in monte Olympo Mufas inter confidens repræfentatur.

1. *Annot.* Tribuuntur Apollini per orbem terrarum plurima oracula, fed celebrius nullum eo, quod *Delphis* in Phocide per Sacerdo em

 mat

mulierem, quæ *Phœbas* ſeu Pythoniſſa dicta eſt, tripodi inſidentem & furore correptam reddebat. Hinc proverbium manavit: *ex tripote dictum*, pe veritate manifeſtaria. Ceterum laurus arbcr & corvus animal ſive etiam accipiter Apollini ſacra erant.

2. *Muſæ*. quarum præſes Apollo eſt, virgines ſorores novem ſunt, *Iovis* & *Mnemoſines* filiæ, (intellige ingenii & memoriæ) ſolitarios Græciæ montes: *Parnaſſum*, *Heliconem*, *Pimplam*, *Pindum*, ad amœniſſimos fontes Caſtalios, *Aganippes* & *Hippocrenes* incolere putatæ, quorum poſtremum fontem *Pegaſus* alatus equus ungula excuſſiſſe narratur, ex quo qui bibunt, poëtico *entheo* corripiuntur. Sunt vero novem hæ ſorores ſingulæ artibus aut ſcientiis ſingulis præpoſitæ. En nomina illarum & munera: *Calliope* heroico carmini præeſt; *Clio* Hiſtoriæ; *Euterpe* tibiæ; *Melpomene* Tragœdiæ; *Terpſichore* lyræ; *Erato* ſaltui; *Polyhymnia* Mimicæ; *Uranie* Aſtronomiæ; *Thalia* Comœdiæ.

d. Ex diverſis factorum eventorumque circumſtantiis varia tulit nomina, quorum notiſſima ſunt:

*Sol*, *Titan*, *Phoebus*, a lucendo.

*Delphicus*, a Delpho urbe, templo atque oraculo.

*Clarius* & *Cynthius* primum a magnifico templo in urbe Aſiæ Claro; alterum a monte Cyntho in Delo Inſula.

*Delius* ex inſula natali.

*Pythius* ab interfecto dracone.

*Hy-*

*Hyperboreus* a peculiari cultu, quo eum ſeptentrionales populi proſequebantur. &c.

*Annot.* Celebrior ceterórum Apollinis filiorum fuit *Aeſculapius* poſt parentem medicinæ peritiſſimus creditus. Fingitur arte ſua mortuos in vitam revocaſſe, de quo cum Pluto apud Jovem quereretur, regnum ſuum imminui, iratus Jupiter fatorum ordinem per eum turbari, fulmine percuſſum abſtulit. *Epidauri* in Peloponeſo præcipue colebatur. Pingitur ſenili vultu formaque, baculo nixus, cui ſerpens circumvolutus eſt. Reliquit filios duos fama medicæ artis notiſſimos *Machaonem*, & *Podalirium*.

IV. MERCURIUS, diverſis muneribus obeundis præerat, *Nuncius Deorum*, Deus *mercatorum*, *oratorum*, imo & *furum* habitus cultusque.

a. *Jovis* ex *Maja* filia *Atlantis* Mauritaniæ regis, fuit filius. Cum lac, quo infans alebatur, effuſum eſſet, *via* inde *lactea* in cœlo orta eſt, quamquam id de Hercule alii narrent.

b. Facta ſingulari nota præluſtria vix pauca aliqua recenſentur de Deo hoc omnium occupatiſſimo; ſed eorum loco munera, quibus fungitur, notabuntur. Itaque

1. *Nuncius Deorum* eſt, quo utuntur Dii equidem ad mandata ultro citroque perferen-

ferenda per cœlos, terras, atque inferos, negotiaque nonnunquam sua conficienda, sed præcipue Jupiter, cui prope assidue præsto adesse debet. Festivissime hanc illius negotiositatem ridet Lucianus in Dialogo, in quo Mercurium apud matrem Majam detot tantisque occupationibus ita querentem inducit: *Quid dicam ego*, inquit, *qui solus tot negotia sustineo, quibus delassor in tam multa ministeria distractus. Me quidem mane surgentem verrere oportet convivii coenaculum: & curiam ubi stravero, & singula composuero, Jovi est assistendum ad perferenda illius mandata, tota die sursum deorsum cursitando*, &c.

Adjunctum est muneri huic alterum: vi cujus morientibus adesse, animas corporum vinculis solvere, solitas ad Tartarum aut Elisios secundum promerita eorum deducere, deinque si opus esset, in lucem hanc iterum ex inferis reducere debebat.

2. Nobilissimum, quo fungitur, munus, *Eloquentiæ præsidium* est; ex quo a Græcis *Hermes* quasi ab interpretando vocatur. Hæc ratio sine dubio est, cur nonnunquam catenulis aureis ex ore defluentibus pictus reperiatur. Pacis hinc etiam & fœderum pangendorum Deus

cultus

cultus est, quod ad hæc concilianda eloquentia opus sit. Hinc Lystrensium quoque errorem manasse conspicuum est, cum Paulum ob eloquentiam Deum Mercurium vocabant (Actor. 14, 12.) quippe sermonis, ut rebantur, ministrum.

3. *Deus mercatorum* divitiis, quas omnes expetunt, comparandis, & lucro conficiendo præsidere existimatus, pondera quoque, mensuras & commercia invenisse creditus est, unde statuis ejus nonnunquam marsupium appendere soliti sunt. Romæ mercatores festum Mercurio diem agebant, quo ritu certo constituto perjuria inter mercandum commissa expiabant, & simul, Ovidio teste, futurorum veniam deprecabantur.

4. *Deus furum* eadem fortassis de caussa appellatus, quod lucri captandi fautor & adjutor implorabatur, a græco Comico Aristophane propterea *perfossor parietum* cognominatus. Aliquot hac in arte memorabilia facinora singulari dexteritate perpetrata Dei istius commemorantur;

Juvenis admodum & *Neptuno* tridentem,
& *Marti* gladium, & *Veneri* cingulum, *Vulcano* forcipes, & *Jovi* ipsi
scep-

ſceptrum furto ſuſtulit, ablaturus fulmen quoque, niſi ignibus a propoſito abſterritus fuiſſet.

*Battum* paſtorem Arcadem in lapidem commutavit, qui contra fidem de ſilentio ſervando datam Mercurio ipſimet aliam formam induto indicium fecerat de furto boum duorum, quos Apollini armenta Admeti regis paſcenti abegerat.

*Argo* item paſtori centoculo (etſi bina ſolum ejus lumina dormiendo alternarent) vaccam Io cuſtodiæ illius a Junone creditam, de patris ſuis Jovis mandato ſurripuit, ſuaviſſima Muſica oculis univerſis ſoporem inducens, ac tum paſtorem ipſum morti dans. Occiſi Argi paſtoris ſui vicem miſerata Juno centum ſaltem ejus oculos pavonum ſuorum caudis affixit.

c. Pingitur juvenis ſpecioſi & hilaris forma; *petaſo* & *talaribus* inſtructus, *caduceum* manu una, cui ſerpentes duo circumvoluti ſunt, altera marſupium tenens, catenulis nonnunquam ex ore profluentibus, ut ſupra inſinuavimus. Quæ tota forma munerum diverſorum index eſt.

1. *Annot. Petaſus* pileus rotundus eſt, cui alæ utrinque adhærent; pileus ipſe dimidia ſui parte albus, altera dimidia ater pingi con-

consuevit, quod ejus officiorum ratio non superas solum, sed inferas etiam plagas respiceret. *Talaria* binæ alæ sunt pedum illius talis affixæ; tandem *Caduceus* virga pacis conciliatrix est, in quam periculi faciendi caussa aliquando inter depugnantes serpentes duos abjectam continuo amplexi ambo amice coierunt.

2. In triviis & quadriviis ejus honori statuæ collocabantur, lapide quadrato constantes, qui solo vertice caput Mercurii præferebant, reliquo omni corpore trunco. Apud Latinos *Mercuriales*, Græcis *Hermæ* dictæ sunt.

3. Animalium galli & vituli, ac horum animalium præsertim linguæ; arborum ficus; plantarum vero quinquefolium Mercurio sacrum habebatur.

d. Nomen *Mercurii* a mercibus derivatum complures existimant; sed præter hoc aliis quoque nominibus cognominibusque apud Latinos juxta & Græcos insignitus fuit. *Camillus* Romanis dictus est, quæ vox ministrum significat.

*Vialis*, ob continuas profectiones suas sursum & deorsum viis præsidere tanquam Numen putatus.

*Hermes* Græcis, ut supra, ab interpretando. *Caducifer*, *Ales*, a forma, qua pingitur. *Cyllenius* a monte Cyllene loco natali in Arcadia. &c. &c.

V. VUL-

V. VULCANUS, fabrorum omnis ejus generis, quicunque ignem, aut quæ vi ignium liquefcunt, tractare confueverunt, Deus.

a. *Jovis* & *Junonis* filius. Ob deformitatem, cum vix natus effet, a Junone matre cœlo dejectus eft; vel juxta aliorum narrationem: Cum Junoni a marito Jove durius habitæ fuppetias veniret, pede a patre arreptus in terras elifus, in Lemnum maris Aegæi infulam decidit, claudusque ex eo cafu toto reliquo vitæ tempore permanfit.

b. Facta ipfius fere ad effectiones operum fabrilium conftringuntur:

1. Officinas enim fabriles ferrarias in Lemno, Lippara, & Siciliæ infulis, præcipue in Aetna ignivomo monte erexit, in quorum ultima præfertim focios laboris fui Cyclopes uno folo in fronte oculo inftructos habuit *Brontem*, *Steropem* & *Piracmonem*. His adjutoribus elegantiffima quæque fabrilia opera, partem dona, partem in ufus Deorum affaberrime elaboravit: eoque obfequii genere tantam apud univerfos gratiam inivit, ut in Deorum cœtum rurfum aggregaretur.

*Annot.* Vel hodie adhuc montes ignivomi feu in nominatis infulis, feu ubicunque alibi fiti, Vulcani appellari confueverunt.

2. Uxo-

2. Uxorem ex Deabus cœlitibus ducturus, conjugium Minervæ primum ambivit quidem; ſed ab ea repudiatus eſt, tum feliciori ſucceſſu Dearum pulcherrimam Venerem acquiſivit, Deorum ipſe deformiſſimus.

3. Artefactorum fabrilium, quæ ex illius officina prodiverunt, inter plurima, quæ numerantur, memorabilia ſunt: *Sceptrum* Jovis; *Sella* Junonis; *Currus* & *Regia* Solis; *Monile* donum nuptiale Harmoniæ: *Arma* & *Galea* Martis; *Arma* Achillis & Aeneæ, illa ad Thetidis, hæc ad veneris preces fabricata &c. Præ ceteris autem omnibus Jovi *fulmina* jugiter providenda, curandumque Vulcano erat, ut ne Deorum Rex hac penu unquam careret.

c. Pingitur Vulcanus forma annoſi & claudi fabri, potiſſima corporis parte nudus, ad incudem ſedens vel etiam ſtans, dextra malleum, forcipes ſiniſtra tenens, vel etiam ſociis fulmina fabricantibus invigilans; nonnunquam Palladi ſibi aſſiſtenti galeam effingens. Simili prope forma Cyclopes quoque repræſentantur, niſi quod unicum in fronte oculum gerant, nervoſi ceterum & robuſti, quippe de gigantum gente.

1. *Annot.* Sacra peculiari quodam modo huic Deo erat pinus ſeu abies; & ex metallis

 fer-

ferrum, tanquam præcipua artefactorum ejus materia. Solennia in Vulcani honorem Romæ menfe Augufto agi folita *Vulcanalia* dicta funt, in quibus populus diverfa animalia in ignem conjecerat, honoribus Vulcani concremanda.

2. In Græcia facibus five lampadibus fefto illi die decurrebatur; curfu fuperatus alteri lampadem tradere tenebatur. Hinc orta locutio adagialis latina: *lampadem fuam alteri tradere*, quod fignificat: *fenio vel alio cafu fatigatum alteri cedere*.

d. Nomen Vulcani origine latinum eft, idem ex nonnullorum fententia, ac *Volicanus*, quod ignis celerrime transvolet & violentus fit. Præter notiffimum hoc, plurimis aliis nominibus infignis eft, ut:

*Hephæftos* apud Græcos, quafi ardentem dicas, & fecundum Platonis interpretationem: qui luci præeft.

*Mulciber* a mulcendo (vel potius molliendo) ferro & ceteris metallis vocatus.

*Lemnius* ab infula, in quam deciderat.

*Aetnæus* a loco officinæ, quæ fub monte Aetna conftituta fingitur. &c.

*Annot.* Paffim eruditi fufpicantur, Tubalcainum Mofis fub Vulcano latere de quo Genef. IV. 22. fcriptum eft: *Tubalcain, qui fuit malleator, & faber in cuncta opera æris & ferri.* Nonnulli elementum ignis admirandaque illius phænomena intelligunt, quæ fub diverfis Vulcani factis abfcondita effe pertendunt. Alii Vul-

Vulcanum ſic elemento ignis, ut Jovem aëris, & Neptunum aquæ præfectum fuiſſe putant.

VI. MARS bellorum Deus & præſes non apud Græcos ſolum & Romanos, ſed apud alios etiam, præſertim apud Scytas, Thraces, Germanos præ aliis, bellis claros populos habitus fuit.

a. *Jovis* & *Junonis* Græci mythologi filium ajunt, in Thracia natum; a Thero Nympha (quod nomen feritatem exprimit) altum & educatum. Latini vero mythologi Junonis ſolius filium pertendunt, quem contacto quodam flore genuerit, ad imitationem ſcilicet natæ ex Jove ſolo Minervæ, de quo infra.

b. Vix aliqua peculiari obſervatione digna Dei hujus commemorantur facta: en pauca:

1. In bello Gygantum fortem & egregium primo Jovis adjutorem ſe præſtitit, Pelorumque & Mimantem interfecit; ſed a Typhœo deinceps fugit, & ne comprehenderetur, piſcis formam ſumſit.

2. In bello Trojano cum a partibus Trojanorum ſtaret, a Diomede (Minerva inſtigatrice) in ventre vulneratus tanto clamore, narrante Homero, infremuit, quanto alias novem vel decem millia hominum in prœliis ſolent.

c. Pingitur ardente vultu, totus armatus lanceam manu librans, currui infiftens ab equis duobus indomitis tracto. Aurigæ vices obit *Bellona* (alias item *Enyo* dicta) Martis feu foror, ut plurimi narrant, feu uxor, ut alii. Hæc paffis capillis, manu una flagellum fanguineum equis intentans, altera facem jactans, equos laxatis habenis urget, præcurrente armati Martis bigam *Difcordia*, vefte fciffa, commitantibus *Metu*, *Terrore*, & *Furiis*, pone autem fuccedentibus *Fame* & *Pefte*. Aliquando Marti *gallus* appingitur, ad vigilantiam militibus tantopere neceffariam fignificandam. Fabulantur enim *Alectrionem* juvenem, quod ei in excubiis a Marte collocato fomnus obrepferat, in gallum hunc cummutatum fuiffe.

1. *Annot.* Vides nimirum triftiffimum belli effectus & cauffam fub figuris fymbolicis, quarum difficilis conjectura non eft, reconditos, & exhibitos nobis fuiffe.

2. Quo populi idololatræ bellicofiores erant, eo magis Deum hunc percolebant. Apud Romanos quidem honor cultusque iftius Dei erat fummus, quod fundatores fuos Romulum & Remum ejus filios fuiffe crederent: Templum in foro habuit magnificentiffimum, *Martis Ultoris* nomine infigne, in quo exercitus Romani Imperator ad bellum exiturus *ancilia* (fcutorum quoddam genus facrum erat) commovebat cum dicto: *Mars vigila.* Sed campus etiam, in quo fumma reipublicæ fæpe age-

agebantur negotia, Magistratuum electio &c. ab eo *Campus Martius* dictus fuit, *Bellonae* porro aedes Romae extra Urbem fuit, in qua senatus dabatur legatis exterarum gentium, & Imperatoribus ex bello redeuntibus, ac triumphum petentibus.

3. Ex animalibus quadrupedibus lupus ob rapacitatem; equus ob utilitatem in bello Marti sacer erat: ex volatilibus autem accipitres, & ceterae aves praedatrices ejus tutelae suberant.

d. Martis nomen a *maribus* derivat Varro, quod maribus in bello praesit. Praeterea vero vocatur:

*Mavors*, quod *magna vertat*.

*Gradivus* a *gradiendo* in bellum, seu progrediendo; aut si ex Graeco derivatum hoc malimus, graecum verbum *κραδαίνειν vibrare* significat, quod Mars hastam vibret.

*Quirinus* a Romanis pacis tempore appellabatur ex voce Sabina *Curis* aut *Quiris*, quod securim seu lanceam exprimit.

*Enyalius* a Bellona, quam *Enyo* dici supra meminimus.

*Salis subsulus* a *subsiliendo*; nimirum *Salii* Martis Sacerdotes mense Majo ejus ancilia cum tripudio circumferebant &c.

VII. JUNO. Jovis soror & conjux, Deorum omnium Dearumque ceterarum regina, nuptiarum partuumque Praeses.

 a. Sa-

a. *Saturni* & *Opis* fuit filia, in infula Samo nata, Jovis germana & gemella foror, quem propterea tanto facilius patri a matre occultari potuiffe ajunt, ut fupra retulimus. Matrimonio conjuncta eft eidem fratri fuo Jovi, cujus patientiam perpetuo exercuit, non raro in jurgia & rixas ex ira & zelotypia præceps delapfa. Aliquando tamen Jupiter infolite exardefcens ex capillis terram cœlumque inter mediam fufpendit, incudibus duabus ad pedes additis, qua occafione Vulcanum auxilio matri venientem Jupiter in terram excuffit, ut fupra retulimus. Unicam memorabilem filiam habet *Heben*, quæ Dea Juventutis & miniftra in conviviis Dearum fuit: de cujus fato jam fupra fermo fuit.

b. Facta illius fere omnia ex dominandi libidine, iræ impotentia, & turpi zelotypia profecta, ad iram vindictamque a ceteris nonnunquam Jovis conjugibus fumtam pertinent.

1. *Callifto* enim Dianæ comitem & affeclam in urfam convertit, quam Jupiter inter aftra deinceps retulit, ubi hodieque fub nomine *Urfæ majoris* feu *Arctus* perdurare fingitur.

2. *Herculem* Jovis ex Alcumena filium ab incunabulis odio conftanti perfecuta eft, an-

anguibus illi in cunis primum objectis diversis postea laboribus conciliatis.

3. Trojanos tum judicii *Paridis* caussa, tum ob *Ganymedem* in locum & ministerium filiæ suæ Hebes ex terris advocatum perenni & infensissimo odio undique comitata est.

4. *Io* filiam Inachi Argivorum Regis, quam Jupiter in vaccam converterat, ut tanto securior a Junonis ira delitesceret, detectam nihilominus Argo primum solertissime custodiendam tradidit. Sed cum pastor iste a Mercurio sublatus esset, ex Io vacca vindictam propterea repetitura in furorem illam egit, & per fluvios, lacus, maria, toto prope orbe exagitatam in Aegyptum tandem compulit, ubi ad Nilum flumen Jovis opem imploravit, ac obtinuit, pristinæ humanæ formæ restituta, & apud Aegyptios divinos deinceps honores sub nomine Isidis consecuta.

5. *Ixionem*, qui, ut nonnulli ajunt, nectare nimio epoto irreverenter tantaque furia ad Junonem appropinquaverat, ut vix nube objecta ab illius injuria se tueretur, ad Deæ hujus preces Jupiter in Tartara demersit: ibique rotæ perpetuo circumactæ per Mercurium alligandum curavit, &c.

c. Forma augusta & regali pingitur, aut throno aureo, aut currui duobus pavonibus juncto insidens, diademate aureo in capite & sceptro item aureo in manibus conspicua.

*Annot.* Præcipua ministrarum Junonis *Iris* erat Nympha, qua sic ad nuncios & negotia sua expedienda utebatur, quemadmodum conjux ejus Jupiter Mercurio. Itaque Iris ista præ aliis ministeriis animabus muliebribus a corpore educendis & ad inferos transportandis deputata fuit.

2. Templa augustissima *Argis*, *Sami*, & præsertim *Carthagine* habuit, *quam Juno fertur terris magis omnibus unam posthabita coluisse Samo. Hic illius arma, hic currus fuit.* Sacrificabantur ejus honoribus: vaccæ juvenes, agni, capellæ, & sues matres. Avium autem sub tutela illius pavones putabantur.

d. Nomen Junonis itidem a *juvo*, ut Jovis juvantis patris derivant aliqui; præter quod alia multa obtinuit, quæ aut ad dignitatem, aut diversa illius munera referuntur. Dicebatur enim

*Juno Regina*, quod regnis & divitiis præsidere putaretur.

*Juno Juga*, quod conjuges in matrimonia jungeret.

*Pronuba*, quod nuptiis & nubentibus præesset.

*Cinxia*, a cingulo virginali, quod sponsæ cingebantur.

*Juno*

*Juno Lucina* vocabatur, cum puerperarum, nascentiumque erat Præses, quod scilicet lucem nascentibus impertiretur.

*Sospita* a valetudine, cujus tutela ad eam tanquam aëris temperieique Præsidem pertinebat.

*Populonia* a cultu, quo omnis populus eam venerabatur.

*Juna Moneta* a monendo dicta; monuerat enim Romæ terræ motum plena sue esse procurandum.

*Samia*, *Argiva*, *Imbrasia* &c. nomina sunt a locis, in quibus templa Junoni sacra erant, mutuata.

VIII. VESTA duplex apud mythologos reperitur, altera major, quæ etiam cum Cybele Deorum omnium matre confunditur: altera minor, de qua hic infra.

a. Vesta major, quæ etiam *Cybele* sæpe vocatur, Cœli uxor, Saturni & Deorum omnium mater, fertur filia Phrygii Regis *Moeonis* & reginæ *Dindymes* in monte *Cybelo* educata.

b. Vix aliquid ex tota vita illius memoratu dignum succurrit; istud tamen satis perturbate de illa narratur: Junior adhuc, cum altrices illius Pastores fœminæ & Atys collactaneus jussu regis Phrygiæ necarentur, adeo infelici harum benefactricum sua-

rum forte commota fuit, ut mente alienata cum amico sibi Marsya undique, ad hyperboreos usque montes, vagaretur inter cymbalorum & tymbanorum strepitum.

e. Pingitur matronali habitu, turritam coronam capite, manu clavem tenens; curruique insidens a duobus leonibus tracto; nonnunquam coronæ loco, serto quercino redimita. Vestis autem diversi generis & floribus & animalibus consita est, ad rerum omnium terestrium tutelam significandam, cui præposita erat, id quod clavis quoque manibus inserta indicabat.

1. *Annot.* Sumitur passim Vesta hæc seu Cybele pro ipsa terra; ex qua acceptione facile interpretabitur diversas figuras & symbola, sub quibus nonnunquam repræsentata reperitur. Culta præcipue in monte Ida Phrygiæ fuit, ubi Corybantes sacerdotes inter strepitum armorum, cymbalorum & tympanorum ejus sacra peragebant; Romæ autem Megalensia ludis scenicis in honorem illius celebrata sunt.

2. Vesta altera minor ignis Dea est. Hanc itinerum suorum comitem Aeneas in Italiam attulerat. Romæ Numa Pompilius primus magnificum templum penitus rotundum erexerat, in cujus medio ignis certissimum imperii pignus collucebat, a Virginibus Vestalibus in hanc rem institutis & delectis tam caste cauteque custoditus; ut si quo casu extingueretur ignis, negotia publica & privata continuo cessarent, dum prodigium expiaretur virgis

cæsa

cæſa Veſtali; ſi quæ voti publici religionem autem temerata pudicitia violaſſet, viva defoderetur.

d. Mirum plane eſſe non debet, nomina duabus his Veſtis promiſcue eadem non raro tribui. Sunt autem reliquis celebriora, quæ ſequuntur:

*Veſta*, quod *vi ſua ſtaret*, terra nimirum, vel quod terram floribus & fructibus veſtiret: aut etiam a græco εςία, quod focum ſignificat, ſi nimirum pro minore ſeu igne accipiatur.

*Cybele* a monte, in quo educatam fabulantur; alii a cubo deducunt etymon, quæ figura ceterarum ſtabilior, ac terræ proinde ſymbolum eſt.

*Ops* ab ope ſeu auxilio, quod terra omnibus plantis ſuppeditat.

*Magna mater Deorum*, nempe ut ex terra omnia, ſic ipſas divinitates ſuas indidem ortas exiſtimabant cœci gentiles.

*Bona Dea* Romanis dicta.

*Rhea* item: quod hominibus per eam plurima bona affluant.

*Berecyntia*, *Idæa*, *Phrygia*, a montibus duobus, & regione ortus ſui Phrygia.

*Peſſinuntia* a Peſſinunte urbe cultu ejus celebri.

IX. MINERVA ſapientiæ & bonarum artium præſes, lanificii, artiumque ceterarum muliebrium

brium: texendi, nendi, acu pingendi, &c. oleæ item inventrix, bellorum & armorum Dea a gentili antiquitate habita.

a. *Jovis* unius filia est; fingitur enim ex ejus cerebro tota quanta jam adulta & armata prosiluisse, postquam Vulcanus Jovi patri caput doloribus maximis cruciatum impacta securi diffidisset.

b. Facta illius ad classes complures, quarum rerum Præses est, revocari possent; sed in rem nostram pauca aliqua suffecerint.

1. Jovis patris in bello Gygantum, fugientibus licet Diis ceteris, indissolubilis comes fuit, eumque in debellatione rebellium horum egregie adjuvit, tum Medusæ capite objecto, tum fulminibus etiam, quæ precario a patre acceperat, in hostes evibaratis.

2. Occisa monstro *Aegide*: quod orbem Terrarum incendio vastaverat, pellem ejus scuto suo induxit.

3. *Medusæ Gorgonis* caput anguibus capillorum loco tectum per Perseum recidi fecit, allatumque scuto suo inseruit, quo intuentes quicunque in lapides convertebantur.

4. *Arachnem* puellam textorio opere præstantem quidem, ex superbia tamen secum

cum de excellentia in hoc laboris genere certare ausam, impacto radio ad suspendium adegit, miserta tamen postea artificis in araneum illam commutavit.

5. Ob repudium in judicio Paridis latum Græcorum contra Trojanos fautrix & adjutrix potentissima, Ulyssem præsertim & Diomedem direxit undique & protexit, priorisque filium Telemachum Mentoris forma assumta in itineribus & periculis comitata est, efficacissime illum ad virtutem & sapientiam efformans.

6. Olea inventa tutelam novæ urbis controversam præ Neptuno adepta nomen suum Athenas urbi indidit, eamqué scientiarum & artium bonarum omnium sedem constituit.

c. Pingitur forma augusta, vultu serio, imo torvo, oculis glaucis (quo epitheto illam Homerus perpetuo designat) loricata armataque tota, caput galea tecta, cui vel cristæ, vel certe noctua impositæ sunt. Vestis ejus auro, purpura, cæsioque colore intertexta ad imos pedes demissa est. Manu altera hastam, Aegidem altera præfert; deinque gallo, aut etiam noctua pedibus ejus assidente frequentissime exhibetur, quo nocturnas antelucanasque eruditorum vigilias designari nihil dubium est.

*An-*

*Annot.* Dignitate Jovi proxima credebatur, inde apud Romanos cum Jove & Junone in Capitolio quoque culta eſt. Fatalis Deæ hujus ſtatua *Palladium* dicta, cujusque conſervationi ſalus Romani Imperii adhæreſcebat, in Veſtæ templo ita ſancte occulteque cuſtodiebatur, ut nemini præter ſummam Veſtalium Præſidem conſpicua unquam fieret. Quinque continuorum dierum feſta ejus honori dicata erant, *Quinquatria* inde dicta. Bobus jugi expertibus ei immolabatur; eratque ei ſacra præ aliis avibus noctua; arborum autem olea.

d. *Minervæ* nomen nonnulli ab antiquo *meneo* deducunt, quod idem eſt ac moneo.
*Pallas* a *vibrando* haſtam.
*Tritonia* a fluvio *Trutone*, ad quem vel educata fuit, vel inclaruit.
*Parthenia*, virgo enim permanſit, nulli Deorum conjugio unquam copulata.
*Cæſia* ab oculis glaucis & fulgurantibus.
*Glaucopis* ob eandem cauſſam.
*Armipotens* ex vi nominis notum eſt.

X. CERES. Frugum terræ inventrix; ſationis, & quæ ad frugum creationem ac uſum pertinent, præſes.

a. *Saturni* & *Opis* filia, Jovis ſoror, & veriſimilius Jovis ejusdem item uxor, ex eo quippe Proſerpinam ſuſcepiſſe fertur.

q. Facta, quibus celebritatem conſecuta eſt, ſunt fere ſequentia:

1. Fer-

1. Fertur in amœniſſima Siciliæ regione commorata fuiſſe, ceterosque illius regionis incolas erudiviſſe, quomodo terra ſubigenda, frumentum ſeminandum, metendum, purgandum, conſervandum ſit, denique quomodo moli, pinſi, & in cibos humanos præparari debeat, cum hucusque homines herbis ſolum & glandibus victitaſſent. In eundem finem boves ſub juga miſiſſe aratroque adjunxiſſe perhibetur: quo exemplo paullatim in ſocietatem coëgit, & legibus ſocialibus editis poſſidere terram ſine mutua injuria docuit homines.

2. Proſerpinam filiam perditam cum facibus accenſis undique quærens divagaretur, paſſim interim ignorantia iterum & negligentia colendorum agrorum, atque inde ſterilitas invaſit. Cui malo opem latura *Triptolemum* Eleuſinorum Regis filium in terræ cultura informavit, ablatoque curru ſuo draconibus duobus præjuncto artem hanc per orbem vulgare juſſit.

3. Poſtquam ad lacum Syracuſium velum filiæ perditæ aquis innatare vidiſſet, & ex Arethuſa Nympha didiciſſet: raptam fuiſſe in conjugem a Plutone Proſerpinam, apud Jovem reddi filiam deprecata eſt, qui annuit quidem, ea tamen

men lege: ſiquidem ciborum inferorum nondum guſtaſſet aliquid; neque enim eam ſi ſecus factum ſit, per fata reddi licere. At dum compertum deinde fuit, revera ex malo granato filiam comediſſe, id ſaltem impetravit, ut dimidium ſemper annum apud Superos exigere licitum eſſet filiæ Proſerpinæ inferorum jam reginæ.

4. *Eriſichtonem*, qui ſilvam Deæ huic ſacram violaverat, tanta fame punivit, ut ſe ipſum poſtremo devoraret.

c. Pingitur forma ut gravi, at eleganti, capillis flavis, ferto ſpiceo caput redimita, dextra facem ardentem, ſiniſtra faſciculum ſpicarum & papaverum geſtans. Aliquando toto hoc ornatu comta currui inſidet, cui dracones duo juncti ſunt. Sacrificabatur illi porca fœta, animali frugibus infeſto; quam inter hymnos circum agros ductam immolabant.

*Annot.* Sacra hujus Deæ Romæ a matronis caſtiſſimis peragebantur, quas eo tempore a virorum conſortio ſegregatas eſſe oportebat. In Attica autem illius honoribus ſacra *Eleuſinia* obibantur, quæ poſterioribus temporibus Romam etiam penetrarunt, & a quibus quoscunque non initiatos ſub mortis pœna abeſſe conveniebat. Ceterum faces accenſæ ſacris his in memoriam Proſerpinæ quæſitæ & inventæ adhibebantur.

d. No-

d. Nomen *Cereris* ab antiquo verbo *cereo*, quod idem ac *creo* eſt, ortum habere dicunt, quaſi frugum creatrix diceretur; vel etiam *a gerendis frugibus*.

*Demeter* aut *Damater* apud Græcos terram indicat, quæ matris inſtar pane nutrit.

*Legifera*, cujus nominis originem ſupra vidimus.

*Arcana* cum dicitur, probabilius ad Eleuſinia reſpicitur.

*Almam* ab *alendo* vocatam putant.

XI. DIANA. Pro ratione triplicis, quo fungebatur, muneris & in cœlo, & in terta, & in inferis, triplex etiam divinitas credita eſt. Et quamquam diverſis item ſecundum munerum diverſitatem nominibus inſignis eſſet (in cœlis namque *Luna*, apud inferos *Hecate*, in terris autem *Diana* nominabatur) omnia tamen fere ad idem & præcipuum Dianæ nomen ad Numen referebantur. Itaque Diana eadem & lucis nocturnæ & venationum & umbrarum apud inferos late ſilentium Dea habita fuit. Virginalis præcipue continentiæ cultrix ante omnes Cœlites illuſtris.

a. *Jovis* & *Latonæ* filia, in Delo inſula eodem partu cum fratre Apolline edita eſt. A teneris inde venationum amatrix immodica conjugium perpetuo averſabatur. Parvula namque ſinui patris Jovis inſidens arcum, ſagittas, & ſexaginta Nymphas ſo-

dales suppliciter petiit, obtinuitque, ut eam pater sylvarum Deam constitueret. Cyclopes inde arcum & sagittas suppeditaverunt novæ præsidi, Pan autem canes venaticos majores sex, vertagos septem dono obtulit.

b. Factorum Deæ hujus principium a venatione.

1. Penu namque venatoria dono Panis & Cyclopum instructa, ante alia in monte Parrhasio cervos quatuor aureis cornibus sublimes cepit, quos deinceps currui suo præjunxit; quintum Herculi capiendum superstitem liberum reliquit.

2. *Actæonem* Cadmi nepotem venando imprudenter progressum ad fontem usque, quo Diana cum Nymphis sodalibus corpus vestibus positis abluebat, crudelissima morte mulctavit. Aqua enim ex fonte in infelicem venatorem manu ejaculata repente in cervum convertit dominum, canibus suismet ignotum, qui diu exagitatum miserrime dilaniarunt.

3. *Meleagrum*, qui Diis ceteris omnibus sacrificaverat, de neglecto cultu suo punivit, immisso immani apro, Calydonio dicto, qui ditiones ejus miserum in modum devastabat.

4. *En-*

4. *Endymionem* formosum venatorem aut pastorem tanta tamque constanti amicitia prosecuta est, ut quamvis perpetuo sopori a Jove immersum, & in specu montis Latmi recubantem, frequentissime tamen invisesit.

5. In bello Gigantum Jovi patri fideliter fortiterque adstitit, immanemque Tityum telis confecit; quamquam postremo & ipsa in Aegyptum fugerit, felemque, ut lateret, induerit.

6. *Niobem* de prolium multitudine & pulchritudine Latonæ matri suæ superbe temerarieque insultantem, postquam Apollo jam septem ejus filios telis confixisset; Diana nunc etiam morte septem filiarum illius ulta est, matre Niobe ipsa doloris immanitate in lapidem conversa.

c. Pingitur forma conspicuæ virginis, statura procera, vultu gravi sed amabili, succincta in morem Amazonis. Coma aut dissoluta, aut nodo unico post cervicem revincta. Arcu, sagittis, & pharetra instructa, in capite lunulam bicornem splendentem gerit. Manu venabulum agitat: canes venatici pone sequuntur, & Nymphæ sodales latera stipant, quibus ipsa una supereminet omnibus. Nonnun-

quam etiam curru aureo vehitur, cui adjuncti sunt equorum loco cervi albi, quos ipsa in Parrhasio monte cepit primitias venationum suarum.

1. *Annot.* Quamquam Jupiter Dianæ cultui triginta solum urbes assignaverit, tamen vix ullius Deorum cultus diffusior per orbem fuit. Celeberrimum toto orbe templum Ephesi habuit, quod ornatus divitiis, & edificii magnificentia inter septem mundi miracula relatum a veteribus fuit; unde fabri argentarii ex elaboratis ædis istius & idoli imaginibus, testantibus Actis Apost. cap. 19. magnum quæstum faciebant. Romæ sacrificia Dianæ hujus cervis albis; in Chersoneso Taurica autem hominibus peragebantur. Erant vero sacra Dianæ animalia: cervi, canes, & feles: ex arboribus pini; universe prata, sylvæ ac fontes.

2. Cum fratre Apolline apud Romanos præcipue *Ludis secularibus* & præerat, & iisdem colebatur; quibus in ludis pueri puellæque patrimi & matrimi choreas ducebant, & hymnos solenniter decantabant, *Carmen seculare* dictos.

d. Nomen Dianæ secundum Varronem a *Dea Jana* commode derivatur, quod *Lunam* significat, quemadmodum *Janus Apollinem*. Ex triplici munere præter ea, quæ principio commemorata sunt, varia tulit cognomina:

*Trivia* dicta est aut a tribus officiis ut mox aut quod ubicunque tres viæ publicæ con-

convergerent, ſtatuas huic Deæ erigi ſolenne eſſet.

*Lucina*, quod cum Junone Lucina aut Pronuba parturientium Dea confundi videtur.

*Diva genitalis* eadem de cauſſa non raro vocari conſuevit.

*Phoebe*, ut ſoror Phœbi ſeu Apollinis eſt, hoc eſt: Luna, cum Apollo ſol ſit.

*Noctiluca*, item *Siderum Regina* eodem ſignificatu de Luna accipienda ſunt.

*Cynthia* & *Delia* ex loco ortus item, ut fratris Apollinis nomina explicantur.

*Triformis* aut ad rationem triplicis iterum muneris ſumta forma, aut, quod malunt alii, a triplici forma, in quam Luna per vices mutatur.

*Dictynna* a Cretenſibus appellari ſolita eſt.

*Epheſia*, *Taurica*, *Coriphæa*, a locis aut regionibus, in quibus cultus ejus celeber erat.

XII. VENUS pulcritudinis & amoris caſti Dea, per totam, qua late patet, naturam regnans ab univerſa gentili antiquitate reputata eſt; poſtremis ſequentibus temporibus ad voluptatum cujuscunque generis præſidium fœde traducta.

a. Nonnulli Venerem *Jovis* & *Dionis* filiam eſſe ajunt; juxta alios ex ſpuma maris orta a Zephyro in concha ad littus Cypri inſulæ primum appulſa, ad Cythercam po-

ſtea ab Horis educata eſt. Quacunque pedem fixiſſet adoleſcentula, flores ſub ejus paſſibus germinabant. Adultior comta ornataque ad cœlos deducta eſt, ſimul miraculum, ſimul ſpectaculum gratiſſimum univerſis Cœlitibus fuit. Et quamquam Dii prope univerſi conjugem illam expetiiſſent, rejectis tamen ceteris omnibus, Deorum deformiſſimum Vulcanum ſponſum elegit.

b. Plena eſt fabuloſa antiquitas factis, quæ Venus aut perpetraſſe, aut inſpiraſſe, aut participaſſe ſaltem narratur. Notatu digniora ſunt pauca hæc:

1. Cum *Eris* pomum aureum diſcordiæ inter Deas projeciſſet, arbiter pulchritudinis Paris Priami filius a Jove datus fuit. Verum eo judice Venus prælata eſt Junoni & palladi indignantibus, ac infeſtis propterea deinceps ſemper Paridi & Trojano populo Deabus, quæ cauſſa ceciderant, cum victrix Venus interim judicem Paridem Helenæ conjugio remunerata eſſet.

2. *Adonidem* juvenem, quem inpenſe diligebat, venationi aliquando ferventius vacantem, Mars in ferum aprum mutatus occidit. Venus de clientis ſui periculo edocta auxilio quidem properaverat, ſed occiſum repertum ſaltem in flo-

florem Anemonem mutavit. In ea auxilii properatione cum pedem ſpina ſauciaſſet, ex Veneris divino ſanguine roſæ olim albæ poſthac rubeo colore imbutæ ſunt.

c. Forma juvenis amœnæque Deæ pingitur, veſtitu facili, levi, capite corona ex roſis albis rubrisque plexa redimito, aliquando etiam magnam corporis partem nuda conchæ inſiſtens, aut ex mari aſcendens, ut Appelles eam pinxiſſe perhibetur. Alias currui eburneo inſidet, conchæ in morem facto, a columbis aut etiam cygnis tracto, filium Cupidinem aut lateri ſuo aſſiſtentem, aut ſinui inſidentem habet, Gratias autem ſeu Charites pone ſtantes, ſequentes, vel gyrum concludentes.

1. *Annot.* Filii Veneris gemini numerantur *Cupidines*, quorum alteri nomen *Eros*, alteri *Anteros*: ut ſignificaretur, amorem niſi mutuum ſubſiſtere diu non poſſe. Cupidines porro iſti puerili figura, nudi, alati, oculis velatis, arcu, ſagittis, pharetris, & lampadibus ardentibus manus inſtructi pinguntur, quibus omnibus amoris effectus ſymbolice exhibentur; fere enim puerorum amantes ſunt ſimiles, cœci, ardentes, fraudis expertes quidem, ſed tamen leves, doloribus diverſimode obnoxii &c. Ovidius duorum generum ſagittas Cupidini tribuit: amicitiæ & averſionis L. I. Metam. Fab. IX.

2. *Gratiæ* tres, *Charites* aliter dictæ: *Aglaë*, *Thalia*, & *Euphrosine* erant. Pinguntur hæ item nudæ, plerumque manibus junctis in circulum subsultantes, junctis manibus amoris concordiam; nuditate autem amicitiæ sinceritatem, quam fuco omni carere decet, indicare volentes.

3. Templa Deæ istius honoribus in Græcia dicata erant præcipua, in *Cypro* insula, in *Cythera*, in *Papho*, *Gnido*, & *Sicyone*, postremo *Corinthi*. Apud Romanos cultus illius tanto celebrior & frequentior erat, quod Venus mater Aeneæ Romani Imperii Conditoris putaretur. Hinc Romæ templa *Veneris Erycinæ*, *Veneris Cluacinæ*, *Veneris Libidinæ*, & postremo magnifice ædificata a Iul. Cæsare ædes *Veneris Genitricis*. Sacra porro Deæ huic erant ex animalibus: passeres, columbæ, cygni; ex arboribus & plantis: rosæ, myrti, & mali arbores.

d. Veneris nomen (interprete ipso Cicerone) a *veniendo*, descendere volunt. Varia adhuc alia nomina sortita est:

*Aphrodite* a Græcis appellata est, nomenclatione a spuma maris ducta.

*Dionea* a matre Dione.

*Verticordia*. Corda enim hominum in Deæ istius potestate esse creditum est gentilibus.

*Amica*, quod amicitiæ vinculum nectere putaretur.

Migo-

*Migonitis*, quod conjugiis præſit. Hoc nomine Paris ei templum condidit ducta Helena.

*Paphia*, *Cypria*, *Gnidia*, *Cytherea*, *Idalia*, *Erycina*, a locis cultus ſui, nimirum inſulis *Cypro*, *Cythera*, urbe *Paphis*, & montibus *Ida* & *Eryce*.

B. *De Diis Selectis.*

a. Dii Selecti apud Romanos illi vocabantur, qui dignitate cultusque frequentia & celebritate Conſentibus proximi habebantur.

b. Ad claſſem iſtam Dii Deæque univerſe octo referebantur, nimirum: *Janus*, *Saturnus*, *Rhea*, *Genius*, *Pluto*, *Bacchus*, *Sol* & *Luna*.

c. Equidem Deorum iſtorum aliquos omnino eosdem eſſe cum nonnullis illorum, quos hucusque jam enumeravimus, liquido videbimus; ſed tamen & hos quoque tum ordinis ſtatuti cauſſa, tum ideo etiam attingere juvabit, ut adoleſcentes noſtri divinitatum iſtarum quoque ignari ne ſint.

I. JANUS anni, triviorum, & januarum, præcipue autem pacis Deus apud latinos tantum fuit, Græcis penitus incognitus.

a. *Coeli* & *Hecates* filium ferunt, qui ex Theſſalia populos quosdam in Italiam traduxit, & ſapientiſſime rexit, unde ipſi cognomen *Patris* adhæſit.

b. Factorum illius hæc commendatione longe dignissima ad nos pervenerunt;

1. Primus homines Deorum cultum & Sacrorum ritus docuit; unde primus in omnibus Sacris invocatus fuit, ut per eum (quemadmodum Ovidius observat) quasi janitorem ad reliquos Deos aditus fieret.

2. Artes scientiasque eximie promovit, & quoniam concordiæ pacisque cum finitimis conservandæ erat studiosissimus, hinc *Paci* Deus habitus cultusque fuit.

3. Saturno ex regno a filio Jove dejecto non tantum perfugium in terris suis, sed etiam societatem regni concessit, cum quo deinceps conjuncta opera populos sibi subjectos felices reddidit.

c. Pingitur forma viri gravis, togam Romani civis indutus, bifrons, clavem & virgam manibus tenens, quibus vel unio duorum populorum, Romani & Sabini, & societas imperii inter Romulum & Tatium coita denotetur (hac nempe forma primum Romæ in eo templo apparuit, quod Romulus Deo huic post pacem cum Sabinis conclusam suscitavit) vel certe symbolum prudentiæ humanæ in eo erigitur, quæ non ad futura solum, sed ad præterita etiam animum advertere præcipit.

1. *An-*

1. *Annot.* Fuerunt, qui solum Jani nomine intelligerent, atque hinc anni Deum nuncuparunt, quem una cum *Horis* cœli foribus præesse finxerunt & inde postea foribus etiam in terris præfecerunt. Ita quoque *januarum* pariter & *Januarii* mensis, qui annum aperit, nomina a Jano dedecta affirmant.

2. Quoniam præcipuum tamen Jani munus erat, paci faciendæ tuendæque præesse, hinc templum ejus Romæ pace undique restituta concludebatur: belli autem tempore perpetuo patebat.

d. Nomen Jani, quod penitus latinæ origi nis esse debet, si Ciceroni fides habetur, ab eundo derivatum est, quasi *Eanus* vel *Eanus* dicatur, quod scilicet annus seu tempus semper it ac procedit.

*Matutinus pater* apud Horatium vocatur; Jani enim nomine sol non raro veniebat.

*Biceps* aut *Bifrons* a forma, qua pictus exprimebatur. Cum *Quadrifrons* autem exhibebatur; quatuor anni tempora designata fuerunt.

*Claviger* item a picturæ forma.

*Patuleius*, quia illius templum bello indicto patebat.

*Clusius*, quod idem templum pace facta mox constanter claudebatur.

II. SATURNUS Temporis Deus, & ætatis aureæ auctor a fabulographis assignatur.

a. *Coeli*

a. *Coeli* & *Terræ* (id eſt Veſtæ majoris) filius fuit, qui cum fratre ſuo natu majori Titano fœdus hac conditione pepigerat, ut Saturnus natu minor regnum avitum obtineret, filios tamen nullos tolleret, quo hereditas hæc ad Titanis filios poſtliminio rediret. Sed cum dolo matris Rheæ nihilominus Jupiter, Neptunus, Pluto, conſervati fuiſſent, hinc bellum ſemel iterumque exarſit, in quorum poſtremo Saturnus throno dejectus eſt, & exulatum in Italiam abivit, ubi tranquillus latuit. A latitatione hac Saturni regioni nomen *Latii* acceſſit.

b. Hoc factorum Saturni & per omnem vitam, & præſertim exilii tempore præclariſſimum, quod homines plurimis beneficiis affecerit, præſertim agreſtes ad cultum humaniorem tranſtulerit, & ad culturam terræ erudiverit; aſſumtus autem deinde in regni ſocietatem a Jano, tranquillitatem, libertatem, abundantiam, felicitatemque undique ſic propagaverit, ut tempora regni illius *aureæ ætatis* nomen meruerint.

c. Pingitur forma ſenis decrepiti, calvo potiſſimum capite, promiſſa barba, pallido vultu, caperata fronte, manu una falcem tenens, altera ſerpentem in orbem ſic convolutum, ut caudam propriam remordeat.

I. *An-*

1. *Annot.* Romæ templum Deo huic admodum ſplendidum & ſacrum conditum fuit, religione & fide ſanctiſſima cultum; *ærarium* enim in illo conſervabatur, in quo non ſolum pecunia publica, ſed etiam monimenta publica & ſigna militaria adſervabantur.

2. Feſta Dei hujus, *Saturnalia* dicta, menſe Decembri tanta ſolennitate & tam communi lætitia agebantur, ut omnis urbs feriaretur & ad reſricandam aureæ ætatis memoriam domini ſervis paſſim in conviviis publicis & immiſcerentur & miniſtrarent. Humanæ tamen etiam victimæ olim eidem Deo immolabantur, quod ſacrificium præter omnem Sacrorum morem aperto capite fieri neceſſe erat, & cujus recordatio in gladiatoribus ſaltem conſervata Romæ fuit, qui in ejus honorem publice depugnabant, ac vulneribus mutuis ſe conficiebant.

d. Nomen Saturni varii varie derivant, plerique tamen a *ſatu*, quod homines ſerere docuiſſet. Præter vulgatum hoc aliis nominibus quandoque appellatus eſt, ut:

*Chronius* græco χρόνος, quod temporum auctor putaretur.

*Sterculius*, quod homines artem agros ſtercorandi primus docuerit. &c.

III. RHEA, alio ſatis pervulgato item nomine *Ops* dicta, telluris habitatæ peculiari titulo Dea & præſes eſt.

a. *Coeli* & *Terræ*, filia, Saturni autem uxor & ſoror fuit.

*Annot.*

*Annot.* Confunditur hæc Rhea ſus deque modo in ortu, modo in factis, attributisque ſuis cum Veſta majore, aut Cybele: quod mirum eſſe non poteſt. Quod enim ſyſtema conſtans & verum in fictionibus falſiſſimis & ridiculis expectemus.

b. Quo dolo materno filios Jovem, Neptunum, Plutonem Saturno ſubtraxerit, ac ſalva jurisjurandi religione, quod vir ejus crudeliter fratri Titano præſtiterat, proles has ſuas conſervarit; alibi narratum eſt.

c. Pingitur coronam turritam in capite, & clavem manibus gerens, ut Cybele.

*Annot.* In ſacris ejus, quæ bovis aut porcæ fœtæ immolatione agebantur, cymbala & tympana adhiberi moris erat, quia Rhea horum inſtrumentorum uſu Saturnum maritum ab attentione ad vagitum infantis Jovis avertit.

d. Præter nomen *Rheæ* & *Opis* porro etiam:
*Magna mater* appellata eſt, quia tellus tanquam mater omnia animantia nutrit.
*Mater Deorum*, quia Saturni uxor fuit, ex quo fere omnes Dii deſcendunt.

IV. GENIUS Deus tutelaris erat & Protector non tantum ſingulorum hominum, ſed urbium etiam & quorumvis locorum.

a. Alii *Jovis*, alii Deorum generatim filium faciunt, hominum vero patrem.

b. Genium ſuum cuivis homini ſtatim a nativitate adeſſe credebant veteres, cujus

mu-

munus esset: hominem istum vel locum assidue tueri, eique præsidere, ad bona perpetranda creditos sibi clientes ducere, ad mala autem defugienda incitare. Summam muneris hujusmodi Genio dati egregie Apuleus exprimit, cum ab eo vocatur: *Singularis præfectus, domesticus speculator, individuus arbiter, inseparabilis testis, malorum improbator, bonorum probator* &c. Imo duplices plerique genios singulis destinatos putabant, bonum unum; malum alterum, quorum amborum officia facile ex significatu nominis discernuntur. Postremi generis genios *Deos Manes* in sepulchris mortuorum commorantes vocabant.

*Annot.* Hinc orta consuetudo jurandi per genium suum, & postquam adulatio invaserat, per genios Principum; enixe autem obtestaturi per *genium alicujus* deprecabantur.

c. Pingitur sæpe forma serpentis; aliquando senili, potissimum juvenili specie, veste stellis distincta, corolla ex floribus & platani foliis redimitus, cornucopiæ manibus gerens.

*Annot.* Sacra Deo huic natali præsertim cujusque die fiebant floribus, vino, unguentis & thure; sanguine enim Deum vitæ placare incongruum visum.

d. Universe genius *Naturæ Deus* credebatur, qui omnium rerum gignendarum vim habebat, nomine illius ab antiquo verbo *geno* (quod idem significat ac gigno) descendente.

*Dæmon* Græcis bonus Genius dictus est, unde dæmonium Socratis facile interpretaberis.

*Annot.* Affines genio *Penates* & *Lares* erant, Dii ex quibuscunque vel majoribus, vel minoribus, vel heroibus, vel denique ex defunctis majoribus a peculiarem curam familiæ vel domus alicujus delecti. Penates in penitissima ædium parte seu in penetralibus colebantur, inde *Penates*. Contra *Lares* Dii hereditarii erant, inde etiam *Patrii* dicti. His in domibus singulis *Lararium*, hoc est ædicula sacra constituta erat, in qua icunculæ canina pelle vestitæ, & canem juxta se habentes collocabantur. Ante has imagines sertis & floribus exornatas ignis constanter alebatur, offerebanturque Diis Laribus primitiæ frugum & porci. Hinc Penates & Lares sæpe pro ædibus usurpari videas.

V. PLUTO Inferorum Deus est, & noctis omniumque infernarum umbrarum, ac subterranearum divinitatum summus præses.

a. Patre *Saturno*, matre *Rhea* seu Ope natus, eodem matris dolo, quo fratres reliqui, conservatus est, atque tertius Jovis ac Neptuni frater ex hereditate paterna imperium omne subterraneum sortito accepit.

b. Me-

b. Memorabile factorum illius nullum, nisi malefactum, quod Proserpinam Cereris filiam flores cum sodalibus ad pedem montis Aetnæ in Sicilia legentem repente ex terra in lucem quadriga infernali sua erumpens rapuit, uxoremque sibi desponsavit. Quam tamen violentiam hinc extitisse referunt, quod a Deabus omnibus, quas in conjugium depopóscerat, turpitudinis caussa repudiatus fuerit. Quo pacto autem matri Cereri de raptu isto apud Jovem impensius querenti satisfactum fuerit, supra de Cerere narratum est.

*Annot.* Factorum plurium vice juvat hoc loco inferorum numina secundaria inserere, quibus Pluto in gubernando rite & ordine regno suo inferno administris utitur, & voluntatis suæ executoribus. Sunt autem sequentia.

1. *Proserpina* conjux Plutonis, inferorum Regina, filia Cereris. Huic Deæ in mortuos omnes imperium adscribunt, & illam nonnunquam cum *Hecate*, *Trivia*, *Luna* permiscent, atque ita veneficiis præficiunt; rati nimirum, Proserpinam ceu Lunam in herbas, quibus veneficia exercebantur, vim magicam despumare.

2. *Minos*, *Aeacus*, *Rhadamantus* judices apud inferos ut incorruptissimi, ita inexorabiles sunt, qui in universos ad-

venas ex ponderatis vitæ meritis, præmia pœnasve decernunt, & condemnatos vel ad Elyſium vel ad Tartarum ablegant. Ante hos judices ſtatuta eſt fatalis illa urna, qua omnium viventium nomina continentur, & quæ perpetuo verſata eorum nomina emittit, qui Parcæ necandi, & poſtea judicandi deſtinantur.

3. *Furiæ* aliter *Diræ* ſorores tres, vindictæ pœnarumque in ſontes decretarum executrices & generatim malorum ultrices Deæ ſunt, a Græcis *Eumenides* vel *Erinnyes* appellatæ. Forma ſunt terribili, veſtitu atro, capilli earum angues ſunt, & anguibus cincta veſtis eſt. Manibus faces ardentes agitant, & ſæpius flagella intentant ex anguibus meris plexa & contorta. Nomina ſingularum ſunt: *Alecto*, *Megæra*, *Tiſiphone.*

4. *Parcæ* fatorum humanorum Deæ, itidem in hac tenebrarum regione commorantur. Sorores item tres ſunt, *Clotho*, *Lacheſis*, & *Atropos*, quarum primam in nativitate cujusvis hominis lanam aut linum colo alligare fabulantur; alteram deinceps per omnem hominis iſtius vitæ curſum fuſum ex hoc colo deducere, tertiam autem hoc filum deductum tum incidere, cum homini morien-

tiendum eſt. *Parcas* vocatas ajunt, quod *nemini parcant*; juxta alios a *parcendo*, quod duæ ſaltem parcant.

5. *Fluviis* quinque omne hoc inferorum regnum (quod aliis nominibus etiam *Avernus* vel *Tarrtarus* vel *Orcus* appellatur) circumdatum aut memorabile eſt. Sunt autem fluvii iſti: a.) *Acheron*, b.) *Styx*, per quem Dii omnes inviolabile jusjurandum pronunciabant, carituri ſecus nectare & ambroſia anno uno & diebus novem. c.) *Cocytus*, fluctus fluvii hujus gemitum & ejulatum referebant. d.) *Phlegeton* fluctus ſulphure piceque ardentes aquarum loco volvebat. e.) *Lethe*, ex quo ſeu Tartarum inituris, ſeu in lucem mundi ſuperioris reverſuris bibendum erat, ut anteactorum omnium obliviſcerentur.

6. *Charon* ſenex ſqualidus & triſtis, vultu torvo, tetrico, lacinias veſtimentorum ex humero ſuſpenſas, portans, & cymbæ rimoſæ ac carioſæ conto armatus inſiſtens, nauta infernalis eſt, qui defunctorum umbras cymba ſua transvehit, ſingulas oboli unius mercede, quæ merces nomine proprio *naulum* vocatur. Quare veteres admodum ſollicite ſub linguas defunctorum obolum condebant, ut ne naulo deſtituti a Charonte rejice-

 ren-

rentur. Non sepultorum corporum animabus centum annis ad ripam fluminis Acherontis exspectandum vagandumque erat.

7. *Cerberus* canis horrificus tribus capitibus, & tergo anguibus sibilantibus horrido instructus, caudæ loco ingentem draconem habens, janitor & custos inferni est, catenis mille ad ostium inferni devinctus, qui introitum quidem universis, reditum autem mortalium nemini permittit, tam immaniter furens, & tremendo latratu concutiens omnia, ut ipsæ Furiæ accedere vereantur.

8. *Damnati celebriores* ad inferorum supplicia notandi sunt sequentes:

*Gigantes* rebelles in Superos a Jove victi ad Tartara detrusi sunt, *Tiphoeus* præsertim injecta Sicilia; & *Briareus* centimanus imposita Aetna oppressi.

*Tityus* item Gigas violentiam Latonæ intentans in infernum a Jove fulmine præcipitatus est, ubi novem jugerum spatium explet, vulture perpetuo jecur illius identidem renascens exedente.

*Phlegyas* Lapitharum quondam Rex, quod Apollinis templum Delphicum succendere ausus sit, a Deo hoc telis confixus apud inferos sub ingenti saxo sedet ruinam perpetuo minitan-

tante, æterno inde metu diſcruciatus.

*Ixion*, cujus delictum & pœnam ſupra in Junonis factis narravimus.

*Siſyphus* inſignis latro, qui, quoscunque vi in poteſtatem ſuam redegit homines, immani ſaxi pondere iis ſuperpoſito necabat. In pœnam malefacti ingens ſaxum in verticem montis maximo & æterno conatu provolvit; quoniam ad cacumen usque promotum continuo relabitur.

*Salmoneus*, quod ſuperbia adverſus ipſum Jovem elatus in ponte æreo, quem in hunc finem curaverat, circumvectus, & tædas ardentes inter homines projiciens tonitrua & fulmina Jovis imitari voluerit, fulmine ad Tartarum præceps dejectus eſt.

*Danaides*, etiam *Belides* vocatæ, filiæ 50. Danai ſunt, quarum 49. (excepta videlicet Hypermeneſtra) ex patris juſſu nocte nuptiarum ſponſos ſuos trucidarunt, & propterea ad hauriendam cribro aquam perpetuo condemnatæ ſunt.

*Tantalus* ſceleratus rex Achivorum, qui ad periclitandam Deorum apud ſe convivarum Omniſcientiam filium ſuum Pelopem coctum illis apposuerat,

erat, ſed & perjuriis infamis erat, in fluvium infernalem Eridanum a Jove dejectus eſt, ubi crudeliſſima fame ſitique cruciatur, licet poma & aqua palato jugiter adnatent, quæ ipſa tamen continuo fugiunt, ſimul atque comprehendere unum alterumve aggreditur.

c. Forma turpi & terrifica pingitur *Pluto*, vultu torvo, in tenebricoſa ſpecu ſuper throno ſulphureo conſidens, manu ſceptrum, capite coronam ex ebeno geſtans. Sceptri loco aliquando bifurcam tenet, manibusque clavem inſertam, pedibus throni affuſum Cerberum habet. Lateri ejus in throno aſſidet *Proſerpina* ornatu regio, ſed pullo triſtique inſignis.

*Annot.* Plutoni victima taurus niger erat, Proſerpinæ vero vacca ſterilis, aut canis, quod canum ululatu ſpectra diſſipari crederent; arborum vero cypreſſus, buxus, & adiantum Deo huic dicata erant. Sive vero ex armentis, ſive ex gregibus victimæ deputabantur, ſemper nigra ſelecta ſunt, quorum ſanguinem egeſta terra in foſſam fundi oportuit, ut tanto certius ad inferos penetraret. Ceterum Dii omnes inferi exoſi erant, quippe inexorabiles, neque ut conferrent beneficia, ſed ut abſtinerent a maleficiis, ſacrificiis placabantur.

d. Nomina *Plutoni* diverſa obtigerunt, ut:

*Zeus*

*Zeus ſtygius*, id eſt: Jupiter infernus ſeu ſtygius, per fluvium *Stygem* deſignato toto Monarchæ hujus imperio.

*Summanus* Moderator defunctorum, quaſi dicas *ſummus Manium*.

*Dis* quaſi *dives*, quod Deus divitiarum ſub terra conditarum exiſtimaretur, ex quo præſidio nonnunquam *Plutum* appellaverunt, tanquam divinitatem diverſam, cum omnino ipſe idemque rerum ſubterranearum omnium moderator ſit.

*Orcus* ab urgendo dictus, quaſi *Urgum* voces, quod omnes ad mortem urgeat. Etſi Orcus nonnunquam pro loco incolatus illius ſumatur.

*Februus* a purgando, id enim vox antiqua *februare* ſignificat. Hinc ſacer Deo iſti menſis Februarius.

*Quietalis*, quod viventes poſt mortem quiete donet.

*Proſerpina* quoque alis nonnunquam nominibus compellata fuit, cujusmodi ſunt:

*Juno profunda*, aut infera.

*Domina*, intellige: mortuorum.

*Deſpoena*, *Libera*, Baccho enim ſocia aliquando jungitur.

VI. BACCHUS vini, & omnis ſeu ordinatæ ſeu inordinatæ lætitiæ ex uſu vini profectæ Inventor ac Deus eſt, In quo fere omnes ſta-

ſtabiliter conveniunt, cum de ortu ceterisque factis hujus Dei in diverſiſſimas ſententias diſcedant fabularum ſcriptores, modo plures Bacchos inducendo, modo miſere omnes confundendo. Interim de quo nobis in eruditione latina aut græca ſermo eſt.

a. *Jovis* & *Semeles* Thebanæ eſt filius, Thebanus inde dictus. Mater pro fœminea curioſitate Jovem in majeſtate ſua videre cupiens, & voti compos facta, terrore fulguris ſplendorisque repente exanimata eſt, filio immaturo relicto. Itaque pater Jupiter eum femori ſuo inſuit; at ſuccreſcentibus paullatim puero cornibus, petulcientem ferre præ dolore non valens, maturum jam factum in lucem emiſit, atque a *Briſe* Nympha educandum, a *Sileno* autem in litteris & bonis artibus inſtituendum curavit.

b. Facta Bacchi ad vini culturam inventam & propagatam revocantur.

1. Cum ingenio & eruditione valeret, rationem vini colendi principio invenit, & tum artis hujus beneficium, tum pacem, concordiam, vitæ commoda, & lætitiam per omnem Aſiam propagavit.

2. Itaque inter victorias & triumphos continuos ad Indias usque vagatus eſt, comitante eum undique pro copiis mulie-

lierum ebriarum & petulantium choro, quæ *Bacchæ* aut *Mænades* dictæ sunt, corolla pampinea, & pellibus ferarum indutæ, thyrsis hedera circumvolutis armatæ, furibundæ ac vociferantes: *Evohe Bacche!*

3. *Pentheum* cultui divinitatis suæ festisque immodestis obnitentem Bacchus in leonem primum convertit, tum a Mænadibus vivum lacerari fecit.

4. *Lycurgum* regem Thraciæ, qui vites eradicare volebat, ne deinceps Baccho sacrificaretur, in furias egit, ut is sibi ipse tibias succideret, ratus se vitem resecare.

5. Regi *Midæ*, qui in itinere Silenum præceptorem ejus a cœtu exerrantem, ac diu in Phrygia vagatum reduxerat, muneris loco voti faciendi & implendi potestatem obtulit. Qua cum stolidus Rex turpiter abusus esset, optans ac impetrans, ut quidquid contingeret, aurum fieret, ad preces pœnitentis postremo flexus in fluvio *Pactoli* manus eum lavare jussit, quo voti stulti efficaciam ab eo abstulit, auri vero divitem fluvium reddidit.

6. In *Naxum* insulam trajecturum, cum *Piratæ Tyrrheni* in Asiam traducere

meditarentur, dolum ſubodoratus malum navis in draconem convertit, piratas vero in mare præcipites actos *Delphinos* fecit.

b. Forma, qua Bacchum veteres pingebant, tota quanta aliena eſt ab ea, qua pictores poſteriorum ſæculorum illum exhibuerunt, qui cum Bacchum obeſum, pinguedine turgidum, temulentumque repræſentarunt, exemplaria formæ ſuæ a qua neſcio cauponula mutuaſſe videntur. Sane veteres Bacchum ceu juvenem, formoſumque virum pinxerant, qui in capite coronam ex pampinis, ſceptri loco manu Thyrſum geſtat, id eſt, lanceam palmitibus circumvolutam. Caput præterea cornua parva duo obſident, & ex tergo pellis pantheris defluit: manuum altera ſæpe cornu item oſtentat, quod apud veteres bibendi erat inſtrumentum. Nonnunquam in triumpho ſuo proponitur ſublimis vectus curru aureo, tracto a tygribus, lyncibus, leonibus, aut pantheris; Sileno tamen equite bene ebrio pompam ducente in aſello, Mænadibus vero, Faunis & Satyris currum ambientibus, qui poculis thyrſisque univerſi armati ſunt. Alias etiam humeris Panis inſidet, aut in amplexu Seleni ſui quieſcit, manu una uvam, altera poculum ferens.

*Annot.* Festum Bacchi legitimum *Liberalia* dictum est Romæ, quo ei liba ex melle offerebatur; mellis enim etiam inventio Baccho abscribitur. Immolabatur huic Deo hircus vel caper, nonnunquam etiam aper; hæc enim animalia maxime infesta sunt vineis. *Bacchanalia*, aliter etiam *Dionysia*, & *Orgya* dicta, Sacra erant Romæ honoribus Bacchi dicata, omni genere licentiæ & furoris infamia, ut ea A. U. C. 567. ex SCto. vel a gentili magistratu abrogari necesse visum sit. Reliquias aliquas istius Ethnicismi diebus antecineralibus Christiani in hodiernum diem retinuerunt; frustra hucusque contra nitente sancta Matre Christi Ecclesia.

d. *Bacchi* nomen ab ejulando originem ducere ajunt. Cognomina autem notissima sunt:

*Liber Pater*, quippe vinum curis animum exonerat.

*Liæus* idem est ac Liber.

*Dionysius* ex græco, quasi dicas, *vini dator*, aut etiam *Jovis filius*.

*Dithyrambus* bis venientem significat, quod a duplici Bacchi nativitate desumtum est.

*Biformis* vel a duobus cornibus, vel a duplici forma, qua pingitur, juvenis nimirum & senis.

*Evan*, & *Jachus* a vociferando & tumultuando, unde etiam Bacchæ *Evantes* nuncupantur,

*Le-*

*Lenæus*, aut *Torcularis*, ab inventis vini torcularibus.

VII. SOL idem omnino eſt, qui Apollo, ac propterea multa, quæ ſupra de Apolline attulimus, ad ſolem huc referri poſſunt ac debent; in Theologia tamen gentili Apollo & Sol diſtinguitur; dicitur enim poſterior iſte filius *Hyperionis* & *Thiæ*, nepos Saturni ex fratre; qui ipſe quoque Hyperion aliquando vocatur.

AURORA Solis hujus & Thetyos filia credita fuit, digitis roſeis, manibus nectar exſtillantibus, veſte crocea, candidis & alatis equis duobus vecta; fronti illius ſtella matutina affixa eſt, manuum alteri fax ardens inſerta.

VIII. LUNA eadem itidem eſt cum Diana, imo cum Proſerpina etiam; cum tamen in numero Deorum ſelectorum apud Romanos numerabatur, *Hyperionis* filia eſt, Soliſque ſoror. Superſtitio veterum credebat, eam, cum deficit, incantationibus magicis affligi; ideoque pelvibus æneis aliiſque inſtrumentis ſtrepitum excitabant, ut incantationes hujusmodi, cum non audirentur, fruſtrarentur. Hanc ſuperſtitionem apud varias Orientis gentes vel hodie adhuc vigere recentiorum teſtantur itineraria. Duobus duntaxat equis currus Lunæ trahitur; & ſub nomine *Noctilucæ* Romæ colebatur.

§. II.

## §. II.

### *De Diis minorum gentium.*

a. Minorum gentium Dii appellantur, qui grandi Deorum consilio in Olympo non adhibentur, neque tam frequentem aut stabilem cultum in urbibus præcipuis habent, quam ceteri antea relati.

b. Classis hæc Divinitatum minorum quatuor generibus comprehendebatur apud Romanos; referebantur enim huc Dii *Indigetes*; Dii *Semones*, tum *Virtutes aut animorum affectiones*, denique *Dii peregrini*, qui sigillatim nunc recensendi sunt.

### A. *De Diis Indigetibus.*

Dii *Indigetes* (aliter *adscriptitii* dicti) ii vocabantur, qui propter merita & virtutem in Deos sunt relati, & *Heroës* alias etiam appellati fuerunt. Celebriores tantum aliquos horum afferemus.

I. QUIRINUS Romulus, urbis Romæ Conditor & Fundator est. Quemadmodum a *Curibus* Sabinorum oppido post unionem regnorum Romani *Quirites*, ita Romulus *Quirini* nomen accepit, postquam inter Deos relatus est. Narrant, eum, cum asperius regnaret, concionem ad populum habentem a senatoribus suis eo puncto temporis discerptum

fuisse,

fuiſſe; quo tempeſtas valida ſubito coorta omnem cædis factæ cognitionem trepidanti & confuſo populo abſtulit. Sed ut ſuſpicionem cædis etiam & invidiam a ſe amolirentur, *Proculum* quemdam ſubornarunt, qui juraret, ſe Romulum in cœlum euntem vidiſſe; eumque juſſiſſe, ut divini a Romanis honores ſibi impenderentur. Itaque templum Quirino exſtructum, & Sacerdos eidem aſſignatus *Flamen Quirinalis* appellatus.

II. HERCULES totius antiquitatis heros fortiſſimus, & varietate ac eminentia factorum celeberrimus fuit.

a. *Jovis* & *Alcmenæ* Thebanæ filius ab incunabulis ſtatim fortitudine ſua inclaruit. Cum enim Juno matris cauſſa filium exoſa eſſet, ſerpentes validos duos ad opprimendum puerum immiſit, quos intrepide apprehenſos heros iſte in cunis ambos ſuffocavit. Adoleſcentem de ſtabili vitæ genere deliberantem, cum voluptas & fortitudo obviæ in ſui ſequelam allicerent utraque: Hercules repudiata voluptate fortitudini ducendum ſe tradidit. Aerumnis & laboribus plurimis, præſertim ex Euryſthei inimicitia exantlatis, poſtremo per veſtem, quam ei uxor *Deianira Neſſi* Centauri ſanguine infectam imprudens miſerat, dolore veneni ſerpentis in rabiem

actus

actus in monte *Oeta* pyram construxit, conscendit, atque se ipsum cremavit, & ad cœlos evolavit.

b. Factorum Herculis alia ad *Eurystheum* Regem Mycenarum ejusque jussus referuntur, quibus fatali nativitatis ordine, & Divinitatis obtinendæ conditione subjectus erat: alia autem ad ceteram ejus vitæ rationem pertinent.

1. Primi quidem generis duodecim facta numerantur passim *ærumnæ* seu *labores Herculis* appellati, quos ex mandato Eurysthei obivit, suntque sequentes:

a.) *Leonem* immanem invulnerabilem ex Luna delapsum, & in *Nemea silva* omnia devastantem laceravit, exuviis illius in tegumentum assumtis.

b) *Serpentem* ad lacum *Lernam* capitibus duodecim ita terribilem, ut uno absecto continuo aliud in locum absecti pullularet; occidit capitibus omnibus abscissis, & exustis, ne succrescerent.

c.) *Aprum* immanem ex monte *Erymantho* Regi Eurystheo vivum adduxit.

d.) *Cervum* æreis pedibus, & aureis cornibus insignem, tantaque veloci-

tate

tate præditum, ut curſu æquari a nemine poſſet, aliunde vero a vulnere quocunque immunem anno toto fugientem fruſtra inſecutus, cepit tandem, & vivum in humeris Mycenas deportavit.

e.) Aves turpiſſimas ſimul & rapaciſſimas ad lacum *Stymphalum*, quæ carnibus humanis veſcebantur, partim occidit, partim abegit.

f.) *Amazones* devicit, & Reginæ earum *Hippolytæ* pretioſiſſimum cingulum ſpolium abſtulit.

g.) Stabulum Regis *Augiæ*, in quo 3000. boves alebantur, & triginta tamen annorum ſpatio non repurgatum, fluvio *Alpheo* immiſſo intra biduum mundavit.

h.) Infeſtiſſimum ferociſſimumque *bovem in Creta* inſula capit ligavitque atque ad Euryſtheum attulit.

i.) *Diomedem* Thracem equos ſuos humanis hoſpitum ſuorum carnibus alentem occidit, & equos Euryſtheo adduxit.

k.) *Geryoni* Regi Gaditano tricopori non tantum boves ſuos rariſſimos (quippe punicei coloris) paſtore gigante,

gante, & cane bicipiti ac dracone custodibus interfectis abstulit, sed ipsummet etiam dominum, quamvis auxilio Junonis suffultum occidit, eaque occasione Junonem in pectore vulneravit.

l.) *Draconem ignivomum* ad custodiam malorum aureorum in hortis *Hesperidum* excubantem interemit, malaque aurea Eurystheo reportavit.

m.) *Cerberum* tricipitem canem, janitorem infernalem, ut reluctantem, in lucem eduxit, expletoque Eurysthei jussu eodem reduxit.

2. Alterius generis facta Herculis magis memorabilia sequentia recensentur:

a.) *Atlantem* orbem terrarum humeris gestantem aliquanto tempore succollavit.

b.) *Cacum* famosum & crudelem latronem vias Italiæ infestantem occidit.

c.) *Antæum* gigantem terræ filium secum luctantem, & ex terra novis semper viribus auctum, quoties eo dejectus erat, tandem in aërem sublatum compressit.

d.) Ab *Omphale* tamen Lydiæ Regina fortissimus hic heros adeo edomitus

 est,

eſt, ut ejus amore veſtes muliebres ſumeret, & ad nendum, acu pingendum, ſtamina ducenda, ceterosque gynæceorum labores ultro ſe demitteret.

e.) *Neſſum* Centaurum, transportato primum Hercule per fluvium *Evenum*, nunc in altera ripa fluminis moratæ Herculis uxori *Deianiræ* petulanter inſultantem (monitis nihil proficientibus) ſagitta emiſſa medium transfixit; ex cujus morientis conſilio Deianira veſtem Herculis Centauri ſanguine tinxit, & Herculi philtri loco ad conciliandam ſibi amoris conjugalis conſtantiam infelici eventu obtulit.

f.) In expeditione Africana & Hiſpanica columnas binas tanquam metam laborum itinerumque ſuorum in littoribus maris ædificavit, alteram quidem in Africa *Abylen*, alteram autem in Europa *Calpen* dictas; unde hodieque fretum Gaditanum *fretum Herculeum* vocatur.

c. Pingitur viri robuſti, lacertoſi, & prope nudi forma, capite & tergo pelle leonis Nemæi infecto, clavam manu tenens illique innixus.

*Annot.* Sacra Deo huic a propriis Sacerdotibus fiebant, qui ex *Potitiorum* & *Pinariorum* nobi-

bilibus familiis Romæ propterea aſſumebantur, quia horum majores Hercules ipſe ritum Sacrorum ſuorum docuiſſe tradebatur. Familiis his extinctis ſervi publici publicitus ſuffecti ſunt. Nec vero unquam Dei hujus Sacris aſſiſtere mulieribus licuit. Ex arboribus *populus alba* Herculi dicata putabatur.

d. Nomine alio Hercules appellatus fuit:

*Alcides* ab avo Alcæo.

*Muſagetes*, dux aut comes Muſarum; vel quod templa Muſarum multis in locis templo Herculis adjuncta eſſent; vel quod fortitudo pacem & tranquilitatem litteris præſtare debeat.

*Medius fidius*, quaſi filium Jovis nomines.

*Gaditanus*, a Gadibus, ad quas Geryonis debellandi cauſſa penetraverat.

## III. CASTOR & POLLUX.

a. Fratres uterini ex eadem matre *Leda* Spartana, ſed diverſis patribus prognati: Pollux Deo *Jove*, Caſtor autem *Tyndaro* homine.

b. Cum ex hoc ortu Caſtor hominum filius morti eſſet obnoxius, Pollux autem ob divinam ex parte originem immortalis, pollux Jovem patrem tamdiu deprecari non ceſſavit, dum impetraſſet, ut immortalitatem ſuam cum fratre chariſſimo Caſtore ſic partiri liceret, alternis vicibus apud inferos ſuperosque agerent.

*Annot.* Phoſphorus nimirum ſunt & Heſperus, quorum altero occidente alter oritur.

c. Pinguntur forma juvenum duorum albis equis inſidentium, & ſtellas ſplendentes ſuper pileis ſuis laconicis exhibentes.

d. *Tyndaridæ* alio nomine vocabantur, quamquam unus eorum tantum Tyndari filius eſſet.

*Lucida ſidera* & *Fratres Helenæ* ex hiſtoria ortus nota ſunt cognomina.

*Soteres* præſertim a nautis periclitantibus appellati &c.

## IV. PERSEUS.

a. *Jovis* & *Danaes* filius, a Minerva ſcuto in formam ſpeculi polito, a Mercurio alis, a Vulcano autem enſe inſtructus fuit.

b. Facta ejus, quæ memorari merentur, ſunt:

1. *Meduſam Gorgonem* monſtrum horrificum, quod ſolo aſpectu intuentes in ſaxa & lapides convertebat, objecto ſcuto ab ejus aſpectu ſe tuitus, capite mulctavit, reciſumque caput ſcuto ſuo infixit.

2. Cum ex reſecto Gorgonis Meduſæ capite cruor in terram defluxiſſet, repente ex eo *Pegaſus* equus alatus extitit, quo inſcenſo

3. Dum

3. Dum in patriam revertitur, *Andromedam Cephei* Regis Aethiopum filiam a Nereidibus ad vindicandam matris superbiam crudeliter marinis cautibus alligatam, & Ceto monstro marino devorandam expositam feliciter liberat; opposito scuto & monstro trucidato.

4. Scuto hoc eodem deinceps Atlantem hospitalitatis jura negantem in montem transformavit.

c. Pingitur juvenis armati equo alato insidentis, scuto suo protecti, ensem districtum vibrantis specie.

d. Nomen præter consuetum notum est nullum, nisi forte Patronymicis quibusdam aliquando a Poëtis exprimatur.

## V. JASON.

a. Natus est *Aesone* patre, *Alcimede* matre Thessaliæ regibus, aut saltem regis Thessali Peliæ fratre.

b. Præcipuum Iasonis facinus est:

1. Profectio Argonautarum, cujus dux auctorque extitit. Sive enim gloriæ cupiditate incensus Jason, ut vellus aureum tota Græcia celebratissimum referret, sive a patruo Pella ad expeditionem hanc suscipiendam instigatus,

quod a dracone velleris custode interiturum sperabat nepotem, navi Argo ædificata instructaque socios expeditionis fortissimos quosque Græciæ heroës congregavit, inque iis: *Herculem*, *Castorem*, *Pollucem*, *Telamonem*, *Pirithoum*, *Peleum &c.* atque cum iis in Colchidem navigavit. Ibi in Medeæ filiæ regiæ, artium magicarum, ut fabulantur, peritissimæ, amicitiam se insinuavit, a qua edoctus soporiferum draconi semper vigili obtulit, dormientem obtruncavit, vellus aureum rapuit, & Medea comite reditum in patriam suscepit.

2. Medea ut patrem Aetam a persequendo fugitivo secum Jasone, jam conjuge suo, abstineret; fratrem suum natu minorem, Absyrtum membratim dissecuit, sparsisque per iter filii membris patrem morata est.

3. In Thessalia venefica hæc Medea socerum suum Aesonem variis herbis incoctum juventuti restituit, patruum autem Jasonis Peliam, sciscitantibus & idem beneficium pro eo postulantibus stolidis illius filiabus, necari jussit, neque ad vitam unquam necatum revocavit.

4. Cum ob crudelitatem tantam Jason repudiat Medeam, novamque conjugem in-

inducit Creusam, Creontis Regis Corinthiorum filiam, perfidiam mulier impotens vindicatura filios duos Jasonis in conspectu patris suffocat, sponsæ vero novæ munus nuptiale cistellam cum monilibus offert, quam cum curiositate ducta Creusa celeriter aperit, flammæ erumpentes totam regiam puncto temporis incendunt, sponsa totaque familia regia conflagrantibus, ægre, effugiente Jasone; Medea currum draconis junctum conscendit, & triumphans Athenas avolat.

c. Pingitur Jason herois armati forma, eminus nave Argo apparente.

d. Jasonis nomen nonnunquam *Aesonidis* nomine commutatum reperias apud Poëtas, ex patris nomine deducto.

## VI. THESEUS.

a. Atheniensis Regis *Aegei* & *Aëthræ* filius fuit.

b. Ex factis Thesei memorabiliora sunt:

1. Cum forte destinatus fuisset in numerum eorum septem adolescentum, quos victi Athenienses quotannis Cretam ex pacis legibus mittere debebant, ab infami monstro *Minotauro*, quod *Labyrinthum* incolebat, devorandos, is navim

nigris velis instructam conscendit, & in Cretam pervenit, ubi gratiam apud *Ariadnem* Regiam *Minois* filiam inivit, quæ filo tradito ante cetera, ut reditum sibi tutum certumque faceret, consuluit. Itaque ad monstrum intrepide ingressus illud confecit, viamque Ariadneo filo duce salvus relegit.

2. Exiguam vero vitæ conservatæ ingratus Theseus Ariadnæ retulit gratiam; liberatricem enim suam cum eo in patriam reverti volentem in sterili insula *Naxo* inhumanissime expositam deseruit, ubi misera contabuisse fertur.

3. Revertens in patriam, cum nigra vela ex navibus suis tollere pro convento cum patre oblitus fuisset; Aegeus ea ex longinquo speculatus, filiumque interiisse ratus in mare se præcipitem, mari autem *Aegei* maris ex se nomen dedit.

4. Pirithoum amicum in expeditione ad inferos comitatus est, quæ satis infeliciter cecidit; Pirithous enim captus, Cerberoque devorandus objectus; Theseus in vincula conjectus, ex quibus non nisi ab Hercule demum liberatus fuit.

c. Pingitur armatus totus, galeam in capite, & nonnunquam etiam exemplo Herculis clavam in manu gerens.

d. Nomina nulla alia præter ſolitum Theſei de hoc heroe innotuerunt.

VII. ORPHEUS Muſica & Poëſi græca ex æquo celeber ab Horatio *Interpres Deorum* vocatus tam inſolenti ſuavitate citharam pulſabat, ut arbores, ſaxa, lapides, & feræ ad eum audiendum commoverentur. Fluvii curſum ſtitiſſe, & venti a flando conquieviſſe narrantur, cum canere cœpiſſet. Cum uxor ejus *Eurydice* mortem obiiſſet, ad inferos deſcendit, cantusque ſui efficacia a Plutone impetravit, ut uxorem ſecum in vitam reducere liceret, modo ne ad illam reſpectaret, donec ad ſuperas auras emerſiſſet. Sed Orpheus præcepti immemor, cum reſpicit, Eurydicem perpetuo amittit.

VIII. AMPHION ab Apolline & Muſis adeo dulciter lyram tractare doctus, ut lapides movere ac trahere noſſet; qua arte poſtea *urbis Thebanæ* mœnia condidiſſe ſcribitur, lapidibus ad ſonum lyræ mutuo ad ſe accedentibus.

IX. ARION. Fertur *Neptuni* filius ex *Oncaea* Nympha in inſula *Lesbo* natus, contemporaneorum ſuorum omnium Muſicæ calientiſſimus, tantaque virtute citharam tractare pe-

ritus, ut cum ex Italia mari revertentem servi nautæque interficere pararent, opibus, quas sibi arte musica maximas comparaverat, inhiantes; ille vero a sanguinolentis veniam saltem adhuc impetrasset lessum suum cantandi ludendique: ad citharæ vocisque ejus sonum Delphines repente navim cinxerint, musica hac stupefacti. Itaque his salutem suam quam sceleratis hominibus credere malens in mare ex navi desiliit, atque a Delphinorum maximo tergo exceptus, & incolumis in littore expositus fuit.

*Annot.* Ad horum Deorum Indigetum censum referebantur item postremis Romanæ reipublicæ temporibus, quando adulatio & dissolutio simul invaluerunt, Imperatores, imo uxores eorum, sorores, filiæ, & aliquando vilioris conditionis adulatores, id quod per solennes *Apotheoses* seu *Consecrationes* fiebat. Signum consecrationis in nummis Imperatorum est *aquila*; in nummis Augustarum *pavo* De ritu autem consecrationis vide in Antiquit. Roman.

## B. *De Diis Semonibus.*

*Dii Semones*, quasi Semihomines, erant *ii*, *quos nec coelo adscriberent propter meriti paupertatem, nec terrenos deputare vellent pro gratiæ veneratione*, ut Fulgent, inquit. Ex horum genere paucos sequentes notabimus:

I. PAN

I. PAN *Mercurio* patre natus, matre ſatis incerta. Deus & Præſes eſt gregum & paſtorum, inventor arundineæ fiſtulæ in uſum eorumdem paſtorum. Cum Galli templum *Delphicum* ſpoliaturi erant, terrore tanto tamque ſubito eos repleviſſe *Pan* dicitur, ut fugam ſuâ deque caperent. Hinc *terror panicus* vocatus eſt, ſi quis ſubitus improviſus, nec ſatis rationabilis invaſiſſet. Proponitur figura partim hominis, partim hirci, cornibus & corona abiegna in capite, vultu ridente, labris rubeis, pedibus & cauda caprina, villis obſitus, manu una fiſtulam ex ſeptem arundinibus compactam, altera pedum geſtans. Cultus ejus ab *Evandro* ex Arcadia in Italiam allatus dicitur, unde etiam *Arcadiæ Deus*, item *Lycæus*, & *Tegæus* a quibusdam Arcadiæ locis appellatus fuit. Lac & mel potiſſimum a paſtoribus in poculis Deo huic offerebatur. Romæ Pani feſta publica celebrabantur, *Lupercalia*, ejusque honoribus conſecrati Sacerdotes *Luperci* dicti ſunt.

II. FAUNUS cum pluribus ſui ſimilibus Numinibus plurali numero *Fauni* fere vocitati, agreſtes Dii ſunt, nihil forma diverſi a Pane. Non ab agricolis tantum, ſed a nobilibus etiam peragebantur Diis iſtis feſta ruri, vel in lucis, plerumque agna vel hœdo immolato; quamquam Romæ in inſula Tiberina ædem publicam haberet Faunus, in qua

Nonis

Nonis Decembribus & idibus Februariis ei publice immolabatur.

III. SYLVANUS Deus ſylvarum, ruris præſes ac finium cuſtos, a paſtoribus lacte vel porco placari ſolitus. Hujus quoque Dei forma fere eadem, niſi quod aliquantum ſenior pingebatur.

IV. VERTUMNUS a vertendo dictus, quia in omnes formas ſe vertere poſſe credebatur.

V. POMONA Dea frugum fructuumque. Vertumno nupta dicitur, quo fortaſſis diverſus fructuum, dum matureſcunt, ſtatus deſignatur. Habuit Romæ Flaminem proprium *Pomonalem* dictum.

VI. PALES Deus curando pabulo, tutandoque felici illius proventui, ac incolumitati pecoris præfectus Sacra Dei hujus *Palilia* ſive etiam *Parilia* vocata ſunt.

VII. FLORA Dea florum habita fuit; finxerunt enim *Zephyro* vento nuptam a marito poteſtatem in omnes flores accepiſſe. Celebrabantur vero feſti Deæ huic dies initio menſis Maji, vocatique ſunt *Floralia*. Pingitur forma virginis capite floribus omnis generis redimito, & veſtem floribus conſitam induta.

VIII. Ter-

VIII. TERMINUS agrorum finibus defendendis & conservandis præfectus fuit. Erat vero Deus effictus forma lapidis quadrati, vel ſtipitis dedolati, finibus agrorum infixus. Apud Romanos jam inde ex lege Numæ ſpeciali ſanctione de Termino cautum erat, ſacerque fuit, quisquis terminum loco moviſſet. Deum hunc feſto illi die coronabant, juxta eum libabant, & liba eidem offerebant, appellabanturque feſta hæc *Terminalia.*

*Annot.* Nihil fere in vita humana & quotidiana occurrebat, cui non Romani peculiares fabricaſſent & coluiſſent Deos. Itaque alii Dii infantibus primum natis deſtinabantur, ut: *Levana*; alii eorum cunis, ut: *Cupina*; alii eorum eſui potuique præerant, ut: *Potina* & *Educa*; alii, cum fabulari inciperent, pro iis interpellabantur Dii, ut: *Fabulinus*; orbati parentibus liberi in tutela Deæ *Orbonæ* erant. Ab erroribus viarum liberabat Dea, *Vibillia* &c. *Laverna* furum Dea, *Hippona* equorum curam gerebat, &c. &c. Sed quis hæc ſomnia prolixius exequatur.

## C. *De Virtutibus & Affectionibus animi.*

a. Romani gens Deorum cultui, ſi quæ unquam in orbe terrarum, addictiſſima, nihil fere inſolitum, aut quotidiana cogitandi agendique ratione majus vidit, quin id continuo non ſolum opi aut adjutorio Deorum ſuorum, ſed plane effectioni ſolius Divinitatis alicujus adſcriberent; quod nimirum in rebus hujus-

modi

modi vim aliquam humana majorem intervenire suspicarentur.

b. Fluxit hinc ingens Divinitatum Romanorum multitudo, ut Varro non dubitaverit asserere, triginta Deorum millia a Romanis adorari. Nulla enim virtus aut actio illustris, nulla prope affectio animi erat, imo nullum vitium & quandoque turpitudo, cui non ædem aliquam Romæ dedicassent, in qua hujus generis numina publicis honoribus afficerentur, invocarenturque.

c. Ex copiosissimis pauca perstricta referre libet, quæ juventus nostra memoria retinebit, & suo tempore indubitate augebit.

I. MENS ædem publicam in principe Urbis loco capitolio habebat, ubi divinis honoribus colebatur.

II. VIRTUS & HONOR ædes duas extra Urbem ita positas habuerunt, ut ad ædem Honoris non nisi per ædem Virtutis aditus pateret. Cujus quidem rei ratio in promtu est, facileque perspici potest.

III. PIETAS in foro Olitorio colebatur in æde sibi dicata.

IV. PUDICITIA duplici in templo colebatur altera in foro boario *Pudicitia patricia* dicta; altera in vico longo, sub titulo *Pudicitiæ plebejæ.*

V. Con-

V. CONCORDIA quinque Romæ templa habuit, quorum illud ceteris memorabilius, quo ſub nomine *Concordiæ virilis* extitit.

VI. PAX magnificentiſſimum juxta forum Romanum ab Imperatore Veſpaſiano extructum templum obtinuit, in quo etiam vaſa ſacra ab excidio Hieroſolymitano relata aſſervabantur.

VII. SALUS. FELICITAS. LIBERTAS. In Deorum Romanorum numero computabantur, atque ſuum quæque templum poſſidebat.

VIII. FORTUNA, quamquam *inconſtans, ſæva, coeca, lubrica* paſſim nominata & credita, Deæ tamen loco habita, & frequentiſſimo cultu honorata fuit. Effingebatur forma mulieris velo unico veſtis loco circumdatæ, oculis velatis, globo aut rotæ pede uno inſiſtens, clavo ſeu navis gubernaculo manu innixa; aut etiam cornu copiæ effundens. Romæ plurima illi exſtructa templa reperiebantur, inter quæ præcipua erant *Fortunæ Primigeniæ* in Capitolio; *Fortunæ muliebris* extra Urbem; & *Fortis Fortunæ*. Sed *malæ* quoque *Fortunæ* templum dedicatum fuiſſe legimus. *Antii* & *Præneſte* ædem Dea hæc habuit, cultumque jam olim inde a republica conſtituta celebrem.

IX. VOLUPTAS. PAVOR. PALLOR. AUDACIA. Sacris ſuis Romæ non caruerunt,

fa

ſanis propriis his Divinitatibus erectis, in quibus Sacra facere non erubuit Scipio.

X. FEBRIS tandem (quis crederet?) tria Numini ſuo dedicata Romæ templa habuit. Sed plus quam ſatis jam de his.

D. *De Diis peregrinis.*

a. Etſi primis reipublicæ Romanæ temporibus *Sacra peregrina* Romæ nullo pacto tolerata ſint, tamen prolatis ſenſim imperii ſinibus nulla fere gentium exterarum fuit ſuperſtitio, quam Romani non adſciſcendam putaſſent.

b. Aegyptiorum Romam recepta Sacra ceterorum omnium memorabiliora ſunt, quod aliæ divinitates earumque Sacra fere ſic permiſcerentur propriis, ut vix peregrima jam haberentur, aut haberi liceret. Tria autem Aegyptiorum Numina peculiaria & cultu & *peregrinorum Deorum* nomine eminuerunt.

I. ISIS Aegyptium Numen præcipuum *Inachi* Argivorum Regis filia, quæ in Aegyptum advecta homines agriculturam, multaque alia vitæ humanæ commoda docuiſſe fertur. Præcipue a mulieribus colebatur, & a nonnullis Dea eadem cum Cerere judicata eſt; ab aliis cum Cybele Deorum matre confunditur. In Sacris Deæ hujus *Siſtrum* adhibebatur, genus crepitaculi, acutum ſonum fere-

re ad similitudinem spicarum vento motarum edens.

II. OSIRIS (aliter etiam *Serapis* vocatus) Isidis frater & Conjux, post saluberrimas quasque Aegyptiis latas leges, agriculturamque doctam ac promotam a fratre *Typhone* interemtus est. Ajunt ejus animam in *bovem* migrasse, qui *Apis* deinde dictus & Deus cultus fuit. Bos iste niger erat, certisque maculis resspersus, quem stato tempore Sacerdotes fonte sacro submergebant, alium deinde priori similem undique conquirentes, quem si forte invenissent, maxima lætitia *Memphim* deducebant. Sub nomine *Serapidis* ægrotantibus de valetudine consulentibus per somnia respondere credebatur. Statuarum illius capitibus modius frumentarius appingitur,

*Annot.* Non desunt, qui fabulam hanc ex Josepho Patriarcha, Aegypto frumenta procurante, & somniorum conjectura celebri male consarcinatam fuisse nihil dubitarunt.

III. ANUBIS comes & minister Isidis dicitur, qui illi tum in quærendo Osiride, tum in perfido Typhone puniendo fidelem operam præstitit. Fere cum Græcorum *Herme* & Romanorum *Mercurio* convenit, pingiturque vel canina forma, aut saltem canino capite ob sagacitatem fidelitatemque exhibitam.

# APPENDIX II.

## DE ENCYCLOPAEDIA.

a. Cognitionum humanarum ingens est numerus; neque adeo tamen adhuc omnia sunt detecta, ut non possit novis amplificari; imo experientia docet, novas quotidie in omnibus prope scientiis accessiones fieri.

*Annot.* Non mirum igitur, scientiarum magnum quoque esse numerum, eumque inde præsertim a restauratione litterarum seculo XV. susceptа, ad nos usque notabiliter auctum.

b. *Encyclopædiam* dicimus orbem omnium scientiarum, & complexionem omnium ex iis cognitionum. Variæ omnino & diversissimæ sunt inter se scientiæ: at cognatio & vinculum commune inter eas intercedit tale, ut in nulla perfectus evadere possis, nisi ceterarum prima saltim principia noris.

c. Encyclopædiam congerere vires hominis unius superat, proponere ediscendam juvenibus res ipsa vetat; primas illius lineas ducere, stadium humaniorum litterarum egressuris ostendere, operæ pretium judicamus.

*Annot.* Videbunt juvenes, quid & quantum sit, quod discendum superat: videbunt, cum non nisi paucissimi omnia complecti possint, quid eligere

-gere ceu utile & maxime necessarium debeant: videbunt, si unum aliquod elegerint, quanta desiderentur, ut in uno hoc excellant.

d. Ceterum nemo expectet hic, nisi primas lineas, id est, rudem delineationem & velut sceleton: dicetur, quod scientiæ cujusque objectum, quæ illius partes, quæ illi affines & cognatæ. Eum in finem scientias omnes octo classibus comprehendimus, quæ sequuntur: 1a. Philologia: 2a. Historia: 3a. Artes: 4a. Mathesis: 5a. Philosophia: 5ta. Physica: 7a. Jus: 8a. Theologia.

§. I.

## *De Philologia.*

a. *Philologiæ* nomine venit complexus regularum & observationum, quæ ad linguas recte condiscendas pertinent.

*Annot.* Studium linguarum magni prorsus est momenti, tum quod neque scientiæ ipsæ recte disci aut doceri possint sine exacta linguæ cognitione: tum quod eloquentia seu soluta seu ligata ad aliquem perfectionis gradum perduci nequeat, nisi lingua, qua utitur, exculta sit & perpolita.

b. Ad linguas cujusque cognitionem obtinendam vero plura desiderantur: ac quidem

1. Opus est collectione omnium vocum, addito earum significatu seu proprio seu

translato & tropico: collectione item formularum loquendi cuilibet linguæ propriarum: liber, qui hæc omnia complectitur, *Lexicon* dicitur, cujusmodi pro pluribus linguis habemus, necdum pro patria noſtra abſolutum.

*Annot.* Lexicorum porro tria ſunt genera: *Idioticon*, ſi voces unius linguæ formulasque loquendi unius alicujus provinciæ comprehendat: *Etymologicum*, ſi originem & derivationem vocum ex alia vel eadem lingua oſtendat: *Gloſſarium*, ſi voces antiquatas atque jam extra uſum poſitas explicet.

2. Alterum linguam addiſcendi inſtrumentum non minus neceſſarium, eſt *Grammatica*: docet hæc nimirum voces, mutatis præcipue ultimis ſyllabis, inflectere: docet quoque plures inter ſe conjungere & conſtruere ita, ut non modo ſinguli cogitatus, actiones, paſſiones rite exprimantur, ſed diverſæ etiam horum omnium modificationes: docet præterea formulas loquendi, idiotiſmos & phraſes, quibus lingua una ab alia differt.

C. Linguæ paſſim in *mortuas* & *vivas* diſpeſcuntur: priores illæ olim apud gentes quasdam in uſu quotidiano erant: poſteriores hodie ſunt. Ad illas referuntur Hebraica, Græca, Latina, ad has Germanica, Gallica, Italica, Angelica &c.

*An.*

*Annot.* Leges & regulas linguarum omnium conſtituit, firmavitque usus; hoc tamen diſcrimine, quod tum ſignificatus vocum, tum formulæ loquendi in linguis mortuis immutabiles, in vivis contra novis quotidie viciſſitudinibus obnoxiæ ſint.

d. Linguæ *mortuæ* diſci nequeunt, niſi ex libris & ſcriptis auctorum, qui præcipue in illis excelluerunt. Verum imparato ad eorum lectionem accedere non licet; & quidem

1. *Ars Critica* eſt neceſſaria: tradit hæc leges, quibus textus genuinus a corrupto internoſci, & ſubſidia, quibus reſtitui poſſit; ſcripta enim Veterum non niſi ſæpius alia ex aliis deſcripta ad nos pervenerunt: ſcribæ vero ſæpius ea tum ignorantia tum oſcitantia corruperunt, ut proinde complura textus loca ſub mendo cubent.

2. *Studium Antiquitatum* alterum ad veteres ſcriptores intelligendos ſubſidium eſt; oportet nimirum noſſe conſuetudines, leges, rationem vivendi, politicam, artes, item geſta gentis, cujus linguam diſcere velis. Quanti hoc ad intellectum veterum ſcriptorum ſit momenti, norunt ii, qui antiquitates *hebraicas*, *græcas*, *romanas* &c. ſingularibus libris complexi ſunt & explicuerunt.

e. Qui eruditionem profitentur, ii linguas omnes norint neceſſe eſt, in quibus ſcripta ad augumentum ſcientiarum & artium edita ſunt.

I. Ex mortuis huc pertinent *hebraica*, *græca*, *latina*.

a. *Hebraicæ* & affinium (puta Syriacæ, Chaldaicæ, Arabicæ) cognitione carere non poteſt, qui Sacram Scripturam rite intelligere & interpretari vult.

b. *Græcæ* linguæ cognitio videri ſupervacanea aut minus utilis poteſt ſolum illi, qui omnino ignorat, qui quantive pretii hac lingua ſcripti ſint libri; præterquam enim, quod Novum Teſtamentum græce ſcriptum eſt, habemus in omni genere litterarum exemplaria græca, ſeu Poëſin ſeu Oratoriam ſeu Hiſtoriam ſeu philoſophiam ſpectes: horum lectione profecerunt Romani, profecerunt omnes hodierni.

c. *Latinæ* linguæ ſtudium autem jure multo majore eſt commendandum; doctus quidem certo ignorare hanc linguam nequit, ſeu ad Theologiam, ſeu univerſam Jurisprudentiam, ſeu Medicinam, ſeu Philoſophiam ſeu ad Hiſtoriam animum appellat. Quid quod lingua hæc *Religionis Catholicæ* lingua eſt, atque in compluribus provinciis Domus Auſtriacæ *publicis negotiis* dicata ita, ut ne quidem ſufficiat, ſcripta ſolum intelligere.

*Annot.*

*Annot.* Sed jam elegantioris litteraturæ cultores errant graviſſime, dum neglectis fontibus ſatis eſſe putant, ſectari rivulos, ſcriptores nempe recentiores Gallos, Italos, Anglos, Germanos, qui ipſi non niſi veterum auctorum Græcorum & Latinorum lectione ad aliquam laudem emerſere; quis enim Recentiorum adhuc a Cicerone, Virgilio, Horatio, Ovidio, Salluſtio, Iul. Cæſare, Livio &c. non longiſſime retro abeſt, & longius multo, quam hi ab exemplaribus græcis?

e. Ex hodiernis Europæ linguis *Gallica*, *Italica*, *Anglica* & *Germanica* commemorari præcipue debent, in quibus multa præclara edita ſunt opera de rebus, quæ tum ad ſeveriores ſcientias, tum ad politiorem litteraturam & bonas artes pertinent: merito hinc *eruditarum linguarum* nomen adeptæ, atque hinc doctis neceſſariæ.

f. Optatum pridem eſt, ut ne tantum temporis in addiſcendis linguis hodiernis ponendum eſſet, inventa *lingua univerſali* ſeu philoſophica; equidem in hac laboravit multum Leibnitius, laborarunt ante & poſt alii complures, nuperrime *Kalmar*; ſed denique necdum votis doctorum quisquam ſatisfecit.

## § II.

## *De Historia.*

a. *Historia* generatim est dilucida narratio eorum, quæ facta sunt. Patet igitur tam late, ac tota rerum natura complectitur omnia quæ in mundo fiunt; omnia item, quæ eo continentur, vitæ expertia & vitam habentia. Nos autem hoc loco agemus solum de *Historia* seu narratione *factorum humanorum*, de aliis alio loco acturi.

b. Facta hominum inter se sunt diversissima, prout homines ipsi diversis modis spectari possunt; unde complura Historiæ sunt genera; nempe

1. Historia *Ecclesiastica* facta & conatus recenset, in quantum homines plures eadem religione conjunguntur, & tum in ratione cogitandi de Deo, tum in modo colendi Deum consentiunt:

2. Historia *Civilis* enarrat actiones hominum, in quantum communibus societatis politicæ vinculis inter se sunt conjuncti:

3. Historia *Litteraria* narrat facta hominum in inveniendis, promovendis & augendis scientiis atque artibus.

c. Alia porro Historiæ est divisio in *universalem* & *particularem*; & quidem

1. Hi-

1. Historia *Universalis* dicebatur hucusque ea, quæ omnium totius orbis imperiorum, regnorum, & gentium res gestas enarrabat: sed hodie aliam longe viri docti illius proponunt ideam; ex istorum mente historia universalis complecti facta debet solum memorabilia, id est, ejusmodi, quæ magnarum mutationum & vicissitudinum in universo genere humano aut præcipuis orbis populis caussæ extiterint.

2. Historiam *Particularem* eam dicimus, quæ facta regni aut populi unius alicujus enarrat: hujus autem iterum diversi sunt gradus: aut enim inde ab initio omnia repetit: aut certam temporis partem seu periodum exequitur.

*Annot.* Sæpe etiam historici res gestas unius exiguæ provinciæ aut urbis recensent. His proxime adjungendi sunt ii, qui vitas illustrium virorum scribunt, quos *Biographos* dicimus.

d. Si temporis rationem habeas, historia aut *veteris* aut *medii* aut *recentioris ævi* est;

1. Historia *veteris* ævi complectitur omne illud spatium ab orbe condito usque ad seculum septimum post Christum natum: ac proinde fata regnorum, quæ pridem jam sunt extincta: puta Hebræorum, Assyriorum: Chaldæorum, Græcorum, Romanorum &c.

2. Hiſtoria *medii* ævi a ſeculo ſeptimo ad decimum quintum æræ vulgaris pertingit, quo labente tempore pleraque ſurrexerunt regna, quæ hodiedum vigent.

3. Hiſtoria *recentioris* ævi res a ſeculo XV. geſtas narrat.

*Annot.* Plures ſunt præterea Hiſtoriæ, partitiones: ut Hiſtoria *ſacra*, *profana*, *imperii Romano Germanici*, *Imperatorum*; Hiſtoria *Pontificum*, *Dogmatum*, *Hæreſum*; Hiſtoria *Philoſophiæ*, *Theologiæ*, *Iurisprudentiæ*, *Medicinæ*, & ſic porro: ſed eas hoc loco explicate proponere, nec libet, nec inſtituti noſtri ratio patitur.

c. In ſubſidium Hiſtoriæ plures aliæ ſcientiæ quoque ſunt vocandæ: *Geographia*, *Chronologia*, *Genealogia*, *Heraldica*, *Diplomatica*, *Numiſmatica*.

1. *Geographia* eſt ſcientia, quæ cognitas orbis regiones enumerat, tum ſitum, limites, ſolum, producta naturalia, incolas, rationem vivendi, artes, ſcientias, conſuetudines, inſtituta publica &c. verbo: quidquid de regione ſciri poteſt, recenſet; præterea vero etiam *Chartas geographicas* deſcribere docet, iſt eſt, tum majorum tum minorum orbis partium delineationes, ex quibus ſitum, magnitudinem, fluvios, lacus, urbes, pagos &c. diſcas.

*An-*

1. *Annot.* Studium Geographiæ, etsi Historia illo carere posset, ipsum per se jucundissimum est & utilissimum, quod remotissimas a nobis regiones nosse, quid ad nostra aliorumque commoda conferre possit, quid proprium, quid cum aliis commune habeant, discamus.

2. Geographia, ut Historia, in *veterem*, *mediam* & *novam* abit. Multum perfectionis huic scientiæ ex *Itinerariis Recentiorum* & *Ephemeridibus* peregrinationum ab Anglis, Gallis, Russis &c. susceptarum accessit, acceditque adhuc; Veterum enim Itineraria pleraque fabulis sunt referta.

2. *Chronologia*, alterum Historiæ subsidium, docet, quæ ad mensuram temporis pertinent: nempe tempus definit, quo quidlibet factum est; proinde primum quidem in durationem anni naturalis, in durationem anni ex mente veterum gentium, in durationem ipsius orbis a creatione inquirit: deinde certas epochas, periodos &c. constituit, earum initium & durationem definit; tabulas chronologicas condit.

*Annot.* In Chronologia, præsertim veteris Historiæ multa adhuc sunt oscura, dubia, confusa, sibi etiam contradicentia; etsi præcipui quidam viri in ea emendanda & stabilienda multum desudaverint.

3. *Genealogia* originem illustrium familiarum, quæ aut principatum tenebant, aut a quibus magnæ res gestæ sunt, docet; enumerat item magnorum virorum avos, paren-

rentes, filios, affines, cognatos: & tabulas genealogicas componit.

*Annot.* Cognitiones istæ non tantum Historiæ sæpe lucem affundunt, sed etiam ad dirimendas de jure successionis in regnis, provinciis &c. lites plurimum valent.

4. *Heraldica*, non minus utile Historiæ subsidium, est scientia insignium, quæ nonnullæ familiæ sibi propria ita sumserunt, aut obtinuerunt, ut ab aliis primo intuitu dignoscerentur. Ponebant ea Veteres primum in armis, speciatim in galeis & clypeis, vexillis: deinde in sigillis: videmus denique hodie in supellectili, in frontibus domorum in curribus, in numorum faciebus aversis: imo vestes quoque famulorum ea produnt.

5. *Diplomatica* est scientia ea omnia pertractans, quæ ad antiquarum chartarum lectionem, intelligentiam, & usum pertinent. Docet igitur diplomata, manuscripta, & monumenta genuina a suppositis discernere, tum ex characteribus & formis litterarum cuivis seculo propriis; tum ex sigillis, tum ex monogrammatis, tum ex materia, quibus inscripta sunt, tum denique ex aliis indiciis.

6. *Numismatica* agit de numis, sive iis, qui pecuniæ loco serviebant. sive iis, qui virum illustrem aut factum aliquod insigne poste-

posteritati commendare debebant; docet proinde adulterinos a veris secernere, atque omnia explicat, quæ ad ætatem, materiam, formam &c, numorum tum veterum, tum mediæ ætatis, tum hodiernorum spectant.

*Annot.* Forte hic *res Lapidaria* & *Epigrammatographia* quoque Veterum commemorari inter subsidia Historiæ veteris deberet; sed eas docti passim ad studium Antiquitatum referunt.

f. De utilitate studii historici multa, si liberet, hic dici possent: nos illud solum adducimus, quo vel sola cognitio rerum ab aliis gestarum jam mirifice plerosque delectat: etsi ceterum scopus ejus præcipuus sit, ex alienis experimentis discere prudentiam vivendi & agendi.

## §. III.

## *De Artibus.*

a. *Artium* aliæ sunt *mechanicæ*, aliæ *liberales*: priores illæ præcipua ad vitam sustentandam subsidia parant: posteriorum scopus est *delectare*, h. e. ingenua hominem voluptate demulcere, & *docere*. Nos hic de postremis, quas hodie etiam *pulchras* vocant, agemus etsi ceterum principia mechanicarum nosse virum doctum omnino non dedeceat, imo maxime sit utile.

b. In-

b. Inter *liberales* seu pulchras artes numerantur; *Architectura*, *Pictoria*, *Statuaria*, *Musica*, *Oratoria*, *Poëtica*.

1. *Architectura* est ars ædificia exstruendi ita, ut scopo suo ex asse respondeant: id est, ut pulchra simul, firma, & commoda sint. Docet, quæ præcipue ad pulchritudinem ædis conferant; explicat ideas ordinis, rationis, symmetriæ, aliasque: item regulas, quibus usi veteres & quomodo iis utendum, dato quolibet casu, hodie.

2. *Pictoria* est ars objecta sensibilia in plano ope lucis & umbræ aut variorum colorum oculis exhibendi. Agit de pulchritudine objectis ipsis concilianda, tum extremarum linearum ductu, tum temperamento pigmentorum; neque enim talia semper exacte pingit, qualia nobis natura exhibet: imo id præstat pictor coloribus, quod Poëta versibus; hinc illud: *Ut pictura Poësis.*

*Annot.* Ad Pictoriam etiam, si opus effectum attendas, revocari *Chalcographica* potest.

3. *Statuaria* est ars imagines objectorum sensibilium ex ligno, marmore, aut alio lapide, ope scalpri, effingendi: seu homines, seu alia denique exhibeant.

*Annot.* Statuaria & *Plastica* in eo differt, quod hæc doceat materiam fluidam in modulos cavos conjicere, & hac ratione imagines effingere.

4. Mu-

4. *Musica* est ars aures & animos demulcendi ope sonorum inarticulatorum, qui seu voce hominum, seu usu diversorum instrumentorum formantur. Docet igitur, qui soni, quo ordine sibi succedentes, efficacissime animos cieant: item, qui conjungi debeant, ut harmonia oriatur.

*Annot.* De Musica Veterum certi nihil admodum habemus: recentioribus temporibus Itali omnibus aliis palmam præripuerunt: hodie Germani reliquos vincunt.

5. *Oratoria* est ars benedicendi & persuadendi: id quod obtinere Orator nequit, nisi doceat, placeat, & moveat; primum narrando & argumentando: alterum apta & ornata dictione: tertium affectus concitando.

*Annot.* Diffusius, quæ ad artem oratoriam pertinent, explicare, hoc loco supervacaneum ducimus, quod id in libro scholastico jam sit præstitum.

6. *Poëtica* est ars animos hominum movendi fictione, apto sermone expressa. Scopus Oratoriæ & Poëticæ idem est: placendo movere; sed duo præcique sunt, quibus differant: *elocutio* & *fictio*.

a. *Elocutio* poëtica multo majorem desiderat sermonis elegantiam; hinc non libere, ut in oratione soluta, syllabæ quælibet, aut quovis numero se invicem consequi

ſequi poſſunt, ſed certò ordine & numero poni debent; ut *verſus* exurgat.

b. *Fictio* omnium operum poëticorum eſt anima: Poeta non vera ſemper, ſed veriſimilia paſſim præfert, phantaſias concipit ſublimiores, figuris utitur extantioribus, deſcriptionibus, metaphoris, ornamentis aliis liberius.

C. Scopus omnium harum artium non ſola eſt ſenſuum voluptas, ſed nobilior longe alia, nempe animorum motus; pulchritudo nempe & ſuavitas eo fine ſollicite curatur, ut facilius, quod optas, obtineas. Quis neſcit Pictoriam, Statuariam, Plaſticam potiſſimum conſervandæ illuſtrium & bene de republica meritorum virorum memoriæ ſervire: ipſa autem opera excitandis ad imitationem egregie factorum poſteris? De Muſica quidem nemo ignorat, quanta ejus ſit in animos hominum efficacia; quamobrem antiquiſſimi jam populi in celebrandis divinis & humanis laudibus ea utebantur, utunturque hodie omnes gentes. De oratoria & Poëtica nihil eſt, quod addendum putem.

*Annot.* Enumeratæ omnes illæ *artes* ſummam jam perfectionem florentiſſimi græcarum rerumpublicarum temporibus attigerunt ita, ut hodiedum alia, quam græca exemplaria vix habeamus at contra evenit in *ſcientiis*, iſtæ enim priſcis temporibus imperfectiſſimæ, majora inde usque ad nos incrementa cepere, ut

ut complures a perfectióne hodie non longe absint: quæ caussa? illud forte quod ad artes plus ingenii, contra ad scientias plus rationis desideretur.

## §. IV.

## *De Mathesi.*

a. *Mathesis* est scientia metiendi quantitatem seu magnitudinem. Objectum illius sunt omnes illæ res, quarum magnitudo mensurari & determinari ex certis principiis potest.

b. Mathesis generatim dividitur in *puram* seu universalem, & *mixtam*, seu applicatam.

### A. *De Mathesi pura.*

a. Mathesis *pura* dicitur, quæ agit de magnitudine & ejus proprietatibus generatim, id est, quin attendat ad corpus, in quo illa inest.

b. Atque hujus duæ præcipuæ sunt partes: *Arithmetica* & *Geometria*.

1. *Arithmetica* est scientia quantitatis discretæ; dantur nimirum ejus generis quantitates seu magnitudines, in quibus ad solum numerum & multitudinem partium attenditur; ut dum exercitum, acervum tritici &c. cogitas. Docet Arithmetica ex cognitis quibusdam quantitatibus invenire inco-

gnitam. Porro autem Arithmetica duplex est: *numerica* & *litteralis*.

a. Arithmetica *numerica* in suis operationibus utitur numeris Arabicis, quorum fixus est valor.

b. Arithmetica *litteralis* (dicta alias etiam speciosa, Algebra, Analysis) utitur litteris latinis, germanicis, græcis &c. quarum quælibet cuilibet quantitati repræsentandæ servire potest.

*Annot.* Analysis iterum est aut *finitorum* aut *infinitorum*: prior de quantitatibus finitis, altera de infinite parvis agit. Posterior novum inventum est recentiorum temporum *Leibnitii*, *Neutoni* & aliorum.

2. *Geometria* est scientia quantitatis continuæ; sunt nempe etiam quantitates, in quibus nexus, situs, & ordo partium attenditur, non numerus; ut cum altitudinem turris metiris, nihil tua interest, quam multis ex partibus composita sit, sed quantam hæ a summo ad imum usque extensionem efficiant. Docet Geometria 1.) *longitudinem* seu extensionem in longum. 2.) *superficiem* seu extensionem in longum & latum simul: 3). *soliditatem* corporis seu extensionem in longum, latum & profundum simul, determinare. Est porro Geometria *elementaris* aut *sublimior*.

a. Geo-

a. Geometria *elementaris* seu *Euclidea* agit de lineis rectis, de superficiebus (triangulis, figuris quadrilateris, pentagonis &c.) & corporibus rectilineis, atque de circulo.

b. Geometria *sublimior* agit de lineis curvis reliquis, excepto circulo: atque earum proprietates, in primis ope Analysis, pertractat.

1. *Annot.* Geometriae pars est *Trigonometria* seu resolutio triangulorum, quae ex datis tribus trianguli partibus reliquas tres determinare, ope calculi, docet. Trigonometria, si triangula rectilinea resolvere doceat, *plana* audit: si curvilinea *sphaerica* vocatur.

2. Geometria nomen *practicae* obtinet, cum non proprietatibus solum contemplandis occupatur, sed ipsis jam ad metiendos agrorum limites, ad ichnographias terrae tractuum & fluminum construendas utitur.

## B. *De Mathesi mixta.*

a. Mathesis *mixta* seu applicata nuncupatur, quae quantitatem non generatim spectat, sed jam in certis rebus & corporibus.

b. Possunt igitur tot esse partes, quot sunt genera rerum, in quibus extensio inest; sunt autem huc usque sequentes:

1. *Mechanica* agit de motu, de aequilibrio duorum aut plurium corporum firmorum, de

de machinis & viribus, quibus motus produci poteſt. Docet machinas judicare, non invenire.

2. *Hydroſtatica* de gravitate & preſſione corporum verſus omnem partem, item de actione fluidorum in ſolida tractat.

3. *Hydraulica* explicat leges motus fluidorum a propria gravitate, & curſum fluminum; tum motum & præcipue elevationem aquarum partim ope aëris, partim ope machinarum.

4. *Aërometria* agit de legibus motus fluidorum elaſticorum, quorum præcipuum eſt aër. Perſequitur hæc ſcientia gravitatem, compreſſionem, expanſionem, elaſticitatem, humiditatem, ſiccitatem & reliquas proprietates aëris, easque calculo ſubjicit: tum & machinas indicat, quibus commovendis aër ſervire poteſt.

5. *Opticæ ſcientiæ* radios lucis & eorum proprietates metiri docent: & quoniam radii lucis diverſis modis ſpectari poſſunt, plures diverſæ exortæ ſunt ſcientiæ; nempe

a. *Optica*, ſpeciatim ſic dicta, eſt ſcientia viſionis per radios directos ſeu linea recta incidentes.

b. *Catoptrica* eſt ſcientia viſionis per radios reflexos, id eſt, in ſpeculum ſeu ſuperficiem politam opacam incidentes; tractat igitur de ſpeculis planis, cavis, & convexis, atque de phœnomenis inde oriundis.

c. *Dioptrica* eſt ſcientia viſionis per radios refractos, id eſt, qui corpus diaphanum permeant, & in tranſitu a linea recta deflectunt: corpora ejusmodi ſunt aër, aqua, præcipue autem vitrum; unde agit Dioptrica de lentibus cavis & convexis: item de machinis inde compoſitis, nempe de tubis opticis, de teleſcopiis, de microſcopiis &c.

d. *Perſpectiva* docet figuras corporum in plano ita delineare, quemadmodum intuenti in certa oculi altitudine & diſtantia apparent; neque enim ſemper talia apparent objecta oculo, qualia ſunt. Uſus ejus, imo neceſſitas, eſt in pictoria & cognatis artibus, ſumma: principia vero ex Matheſi petenda.

6. *Aſtronomia* eſt ſcientia motuum cœleſtium; agit proinde de ſiderum motu, magnitudine, diſtantia, & mutuis eorum poſitionibus. Hæc ſcientia omnium eſt vaſtiſſima, atque tum Arithmetica & Geometria,

tum Optica & Mechanica ceu fundamentis innititur.

7. *Geographia mathematica* de figura & magnitudine telluris ejusque partium, & de situ locorum agit: docet præterea mundum & ejus partes in tabulis depingere.

*Annot.* Pars illa Geographiæ mathematicæ, quæ speciatim mare considerat, *Hydrographiæ* nomen obtinuit.

8. *Gnomonica* seu Sciaterica est scientia delineandi in quocunque plano horologia solaria; atque docet horas cognoscere ex situ umbræ, quam gnomon erectus projicit.

9. *Chronologia mathematica* est scientia tempus rite metiendi, agit de duratione anni & ejus divisione in menses, hebdomadas, dies &c.

*Annot.* Tres modo dictæ scientiæ propagines veluti sunt Astronomiæ, atque ejus principiis præcipue nituntur.

10. *Pyrotechnia* est scientia ignium tam festivorum, quam, & præcipue, bellicorum, quorum in munimentorum oppugnatione & propugnatione usus est. Inquitit inprimis in vires pulveris pyrii, atque pertractat instrumenta & machinas bellicas ad hunc finem necessarias.

11. *Architectura militaris* est scientia muniendi operibus loca quælibet ita, ut pauci ad-

adverſus multos ſe defendere queant. Docet hæc ſcientia, non modo generatim formas muniendi optimas, ſed cuilibet etiam loco ſpeciatim utiliſſimam.

*Annt.* Hæ ſunt partes Matheſeos mixtæ, quas ita picti *Curſus Mathematici* paſſim complecti ſolent, & quarum numerus conatibus doctorum virorum, ſine dubio, augebitur; quemadmodum a prima inde ſcientiarum ætate ad nos usque auctum novimus: ſunt enim aliquæ recens inventæ, ut Aërometria, Pyrotechnia: aliæ a veteribus exortæ, ſed exiguis adeo initiis, ut ſcripta eorum conſulere vix operæ pretium ſit, cum recentioribus temporibus ita profecerint, ut complures a ſumma perfectione parum abſint.

e. Uſus Matheſeos eſt incredibilis, non tantum in omnibus ſcientiis, ſed etiam in pleriſque vitæ negotiis, quoniam omnia in numero pondere, & menſura: nemo id ignorare poteſt, qui allatas ſingularum partium definitiones intellexerit. Sed illud commodum *puræ Matheſi* proprium eſt, quod mentem & facultates animæ excolat, & ad recte acriterque de quibuslibet rebus judicandum formet multo felicius, quam omnes aliæ ſcientiæ.

## §. V.

## *De Philoſophia.*

a. *Philoſophia* (ex vi nominis, *amor* vel *ſtudium ſapientiæ*) eſt ſcientia recte cogitandi & de rebus omnibus judicandi.

*Annot.* *Philoſophia*, prout in ſcholis paſſim docetur, Logicam, Metaphyſica, Phyſicam, & Ethicam complectitur.

b. Philoſophia, quemodmodum Matheſis, recte in *puram* ſeu generalem, & *applicatam* dividi poteſt.

I. *De Philoſophia pura.*

a. Philoſophiæ *puræ* nomine intelligitur ſcientia eorum, quæ generatim ad recte cogitandum & judicandum requiruntur, id eſt, non de objecto quodam ſingulari.

b. Duæ ſunt Philoſophiæ puræ partes: nempe *Logica* & *Ontologia*.

1. *Logica* proprie eſt ſcientia rectas ex cognitionibus veris concluſiones ducendi. Docet igitur regulas, quibus intellectus dirigatur; ne falſas concluſiones formet: explicat intellectus operationes, perceptionem, judicium, ratiocinium, methodum: quid verum & falſum, quid certum & incertum, probabile, dubium, quid demonſtratio &c. exponit.

2. *On-*

2. *Ontologia* est scientia primorum principiorum omnis cognitionis humanæ, quæ solo lumine naturæ innotescunt: evolvit proinde ideas generalissimas entis, possibilis, impossibilis, necessarii, contingentis, entis compositi, simplicis &c.

*Annot.* Partem hanc alteram, id est, Ontologiam ad cogitandum & judicandum necessariam esse facile intelligitur; siquidem rectæ conclusiones duci non possunt, nisi ex veris principiis & cognitionibus.

II. *De Philosophia applicata.*

a. Philosophia *applicata* est scientia eorum, quæ ad recte cogitandum & judicandum pertinent de certis & determinatis speciatim quibuslibet objectis.

b. Philosophia applicata, si partium ejus scopum attendas, aut *theoretica*, aut *practica* est.

A. *De Philosophia theoretica.*

a. Omnis *Philosophia theoretica* eo primario tendit, ut intellectus veris, &, quantum fieri potest, certis informetur cognitionibus: & contra a falsis opinionibus, erroribus, & præjudiciis liberetur.

b. Cum objecta & plurima, & diversissima sint, patet quoque, illius plurimas esse posse partes: receptæ passim sunt sequentes:

1. *Cosmologia* de mundo & corporibus generatim agit.

2. *Pneumatologia* est scientia spirituum creatorum, seu entium intellectu & voluntate præditorum. Hanc etiam *Psychologiam* dicunt, quod præcipue animam humanam contempletur.

3. *Theologia naturalis* est scientia Dei Creatoris, ejus attributorum atque operum.

*Annot.* Ontologia, Cosmologia, Pneumatologia, & Theologia naturalis in scholis generali *Metaphysicæ* nomine continentur.

4. *Physica* est scientia, quæ proprietates viresque corporum speciatim persequitur.

*Annot.* Physica vastissima est scientia, quæ ipsa alias plures complectitur, ut merito de illa continuo infra speciatim acturi simus.

B. *De Philosophia practica.*

a. *Philosophia practica*; est scientia perficiendi voluntatem humanam; considerat igitur hominem ceu ens liberum, id est, bonarum & malarum actionum, & consequenter beatitudinis etiam atque miseriæ capax.

*Annot.* Scientia hæc (aliis *Ethica*; aliis *Philosophia morum* &c. dicta) tanto aliis est præstantior, quanto virtus doctrina; sed principia sua a Philosophia theoretica mutuatur.

b. Phi-

b. Philoſophia practica hominem non ſolum ut hominem, ſed ſimul ut civem ſeu partem ſocietatis majoris conſiderat; inde plures ejus partes enaſcuntur, quas jam enumerabimus:

1. *Ethica* ſeu *Philoſophia practica univerſalis* agit de principiis generalibus circa doctrinam morum: evolvit ideas actionis humanæ, bonæ, malæ, obligationis, beatitudinis, miſeriæ, virtutis, vitii, præmii, pœnæ, conſcientiæ, imputationis, & alias: atque fundamenta præſtruit ſequentibus partibus.

2. *Jus Naturæ* eſt ſcientia legum moralium, quæ ſolo lumine naturæ innoteſcunt: docet officia hominis erga Deum, erga ſeipſum, & erga alios.

3. *Jus Gentium* eſt ſcientia officiorum, quæ ſocietates civiles, non dependentes, ſibi mutuo debent. Jus Gentium igitur non eſt niſi Jus Naturæ ad ſocietates applicatum, quarum quælibet ceu perſona ſingularis conſiderari poteſt.

4. *Ethica ſpecialis* eſt ſcientia rationis ad virtutem perveniendi; ſeu ſcientia modorum & mediorum, quibus homo facilitatem acquirat legibus tum naturalibus tum divinis obediendi. Conſiderat facultates, inſtinctus, & appetitus naturales hominis: docet eos temperare, & ad rectum finem con-

convertere: proponit motiva ad virtutem amplectendam; ostendit modum impedimenta virtutis tollendi.

*Annot.* Explicatæ adhuc Philosophiæ practicæ partes hominem ut hominem seu nulli societati adstrictum considerant; sequentes hominem in societate aliorum possum.

5. *Oeconomica* est scientia salutem minorum societatum, in quibus homo vivit, promovendi: sunt autem societates illæ, conjugalis, paterna & herilis. Docet igitur officia mutua conjugum, parentum erga proles, dominorum erga servos, & vicissim.

6. *Politica* est scientia practica promovendi salutem reipublicæ seu majoris cœtus hominum sub eodem summo imperio ad communem finem colligatorum. Salus reipublicæ in securitate tum externa, tum interna, atque in facilitate omnia ad vitam honeste ducendam subsidia comparandi consistit. Præcipua hujus scientiæ capita sunt: de republica rite constituenda, administranda, & defendenda.

*Annot.* Quoniam infinita & diversissima ad firmandam promovendamque felicitatem reipublicæ desiderantur; nemini mirum videri debet, *Politicae* nomine complures alias scientias contineri, quæ speciatim tractari merentur; ut sunt illæ, quæ sub nomine *politicarum & cameralium* hodie in Academiis docentur.

§. VI.

## §. VI.
## *De Physica.*

a. *Physica* generatim est scientia corporum naturalium. Finis illius est, investigare proprietates, vires, effectus, mutationes, leges mutationum corporum, atque caussas, quantum fieri potest, omnium phœnomenorum hujus universi visibilis; unde amplitudo hujus scientiæ facile intelligitur.

*Annot.* Corpora hujus universi sunt entia contingentia & mutabilia, id est, aliter esse poterant & possunt, quam actu sint, igitur discere, qualia sint, non possumus, nisi *observatione* & *experientia*: hæc sunt Physicæ fundamenta, & ipsa proinde proprie *experimentalis* est scientia.

b. Physica plures complectitur partes, quæ ipsæ autem nomina specialium scientiarum obtinuerunt. Nos duas statuemus, quibus reliquæ omnes contineantur; Prima est *Physica generalis*, altera *specialis*.

I. De *Physica generali*.

Physica generalis pertractat proprietates & vires omnibus aut saltem pluribus corporibus communes. Agit proinde

1. De generalibus seu universalibus proprietatibus & viribus; nempe de divisibilitate, porositate, impenetrabilitate: de gravitate, vi attrahente & repellente, vi inertiæ &c.

2. De

2. De motu corporum tum firmorum, tum fluidorum, atque de legibus, secundum quas omnes mutationes fiunt.

3. De elementis seu corporibus iis, quæ in omnibus aliis deprehenduntur, atque illa constituunt:

a. De *aëre*, illius gravitate, elasticitate &c. ventis, sono.

b. De *aqua*, ejus proprietatibus, de frigore, glacie, vaporibus: de maris salsedine, æstu: de fluminum origine &c.

c. De *igne*, calore, luce, electricitate, magnetismo.

d. De *terra*, ejusque natura, de montibus &c.

4. De meteoris seu phœnomenis in atmosphæra nostra evenientibus; ut sunt: pluvia, nix, pruina, fulgur, tonitru, fulmen, iris &c.

*Annot.* Nemo miretur hic nomina rerum occurrere, quæ superius in Mathesi jam sunt adducta; plura enim ad Physicam & simul ad Mathesim, sed diverso respectu, pertinent: Physica nempe est scientia *qualitatum* Mathesis vero scientia *quantitatis*; unde observare vires & phænomena Physici est, metiri Mathematici.

II. *De*

II. *De Physica speciali.*

a. Physica specialis proprietates & vires jam corporum singularium investigat. Objectum ejus sunt omnia, tum in superficie, tum in visceribus telluris nostræ contenta corpora.

b. Physica specialis, quam recte *Historiam naturalem* quoque dixeris, contemplatur tria naturæ regna: minerale, vegetabile, & animale; unde in tres quoque partes abit: *Mineralogiam*, *Botanicam*, & *Zoologiam*.

A. *De Mineralogia.*

a. *Meneralogia* agit de *mineralibus*, id est, de corporibus, quæ sola partium aggregatione oriuntur; nec proinde crescunt, nec vivunt, nec sentiunt, cujusmodi sunt terræ, lapides, salia, inflammabilia, & metalla. Hæc scientia

1. Enumerat omnia corpora mineralia.

2. Indicat characteres & notas distinctionis singulorum; atque redigit ea in classes, ordines, genera &c.

3. Tradit proprietates, vires, & usum tum in artibus & opificiis, tum in re domestica.

b. Mineralogia diversis utitur aliis scientiis subsidiariis: *Chemia*, *Montanistica*, *Metallurgia*.

1. *Chemia* generatim est scientia practica, quæ corporum terrestrium partes separare & varie iterum conjungere docet. Investigat præ-

præſertim ope ignis, principia quorumcunque corporum: & multa generi humano utiliſſima parat.

1. *Annot.* Chemiæ ſubſidio aliæ quidem ſcientiæ etiam opus habent; ſed illa carere Mineralogia penitus nequit, quod characteres & proprietates mineralium alia ratione nunquam certo innoteſcant.

2. Chemia ipſa iterum in alias plures ſpecies abit; hinc nomina Chemiæ *phyſicæ*, *mechanicæ*, *pharmaceuticæ*, *oeconomicæ* &c. Spuria ejus propago *Alchemia*, quæ mutandis ignobilioribus in nobiliora metallis occupatur, niſi deceptrix, ſaltem ars eſt incerta.

2. *Montaniſtica* eſt ſcientia practica eruendi corpora metallica ex locis ſuis natalibus. Docet venas metallorum detegere, effodere, proferre, & impedimenta, partim a copia aquarum, partim a ſtagnatione aëris oriunda, tollere.

3. *Metallurgia* eſt ſcientia practica eliquandi metalla e mineris. Docet omnia heterogenea a metallis ſeparare, & ipſa denique metalla penitus depurare, dum monetæ cudendæ aut commerciis ſerviant.

B. *De Botanica.*

a. *Botanica* contemplatur plantas ſeu corpora, quæ introſuſceptione, ut ajunt, ſuccorum proprie creſcunt, & vivunt, ſed non ſentiunt, neque ſe ipſa loco movent; ut ſunt fungi,

mu-

musci, arbores, frutices, gramina, & ceteræ omnes plantæ. Enumerat omnes plantas, describit, ist est: characteres indicat, revocat singulas ad suas classes, ordines, genera &c.

b. Scientiæ, quæ circa plantas etiam, sed diversa ratione occupantur, atque huc referri possunt, sunt *Physiologia* & *Anatomia* plantarum, *Oeconomia* ruralis.

1. *Physiologia* & *Anatomia* plantarum inquirit in structuram partium externarum & internarum, quibus plantæ tum succum nutritium attrahunt, crescunt, & conservantur, tum novas ex se producunt.

2. *Oeconomia ruralis* culturam plantarum ad nutritionem hominum & bestiarum, atque ad usus reliquos vitæ socialis utilium docet.

*Annot.* Oeconomia ruralis præcipue, etsi non solo neque toto, regno vegetabili occupatur: siquidem & res pecuaria ad illam spectat.

C. *De Zoologia.*

a. *Zoologia* agit de *animalibus*, ist est, corporibus animatis, quæ proprie vivunt, crescunt, sentiunt, & ipsa a loco se movere possunt, ut sunt: homo, quadrupedia, aves, pisces, amphibia, insecta, vermes. Enumerat singula, describit, redigit in classes, ordines, genera &c.

b. Scientiæ huc pertinentes vel de animalibus ratione carentibus, vel de homine agunt; suntque: Physiologia, ars veterinaria, & Medicina generatim sumta.

1. *Physiologia* & *Anatomia* generalis animalium, structuram, partes, functiones, & omnia ad vitam animalium spectantia exponit.

2. *Ars veterinaria* argit de tuenda & restituenda animalium, præcipue homini utilium, ut equorum, boum &c. sanitate.

3. *Medicina* est scientia tuendi & restituendi sanitatem corporibus hominum. Scientia gravissima quidem perinde ac amplissima; cujus proinde ambitu plures aliæ continentur.

a. *Anatomia* partes corpus humanum, machinam artificiosissimam, efficientes examinat.

b. *Physiologia* corporis humani, in functiones singularum partium inquirit: atque statum corporis sani contemplatur.

c. *Pathologia* statum corporis humani morbis afflicti persequitur; explicat originem, naturam, & habitudinem morborum.

d. *The-*

d. *Therapeutica* eſt ſcientia mediorum, quibus morbi corporis levari, & ſanitas reſtitui poſſit.

e. *Materia medica* enumerat corpora omnium trium regnorum, quæ mediis ejusmodi componendis aut parandis ſerviunt.

f. *Pharmaceutica* eſt ſcientia practica parandi adverſus morbos media.

g. *Chyrurgia* eſt ſcientia practica externas in primis corporis partes, læſionem paſſas, ſanandi.

## §. VII.

## *De Jurisprudentia.*

a. *Jurisprudentia poſitiva* eſt ſcientia legum poſitivarum, h. e. legum, quæ ab arbitrio entis cujusdam intellectu & ratione præditi pendent. Docet leges poſitivas non modo recte intelligere & interpretari, ſed etiam ad obvenientes ſpecies dextre applicare.

1. *Annot.* Iurisprudentia generatim eſt ſcientia legum quarumlibet, perinde naturalium ac poſitivarum: ac proinde ipſa quoque in *naturalem* & *poſitivam* diſpeſcitur, ſed nos hoc loco poſteriorem ſolum perſequimur, cum de priore jam (§. V.) egerimus.

2. Leges poſitivæ non ideo *arbitrariæ* dicuntur, quod ad lubitum ſtatui poſſint; verum quod ex ſole

solo jure naturæ non manent, sed ex conditione & natura societatis magis determinentur.

b. Jurisprudentia positiva universa iterum pro diversitate objecti in duas species abit: prior est Jurisprudentia *civilis*, altera *ecclesiastica*.

I. *De Jurisprudentia civili.*

a. Jurisprudentia *civilis* de iis agit legibus, quæ ad felicitatem civium & civitatis temporalem pertinent.

b. Jurisprudentia civilis pro ratione personarum, quæ civitatem quamlibet constituunt, duas iterum habet partes, quarum altera *Jus publicum*, altera *Jus privatum* audit.

1. Jus *publicum* jura & obligationes mutuas Imperantis & subditorum civilium explicat. Atque hoc iterum est vel *universale*, vel *particulare*.

a. Jus publicum *universale* hæc jura & obligationes omnibus regnis & imperiis communia, proinde ex legibus naturalibus manantia, docet.

b. Jus publicum *particulare* jura & obligationes singulis regnis proprias declarat. Atque hujus tot sunt genera, quot diversa in mundo sunt imperia. Hinc aliud Jus publicum *Poloniæ*, aliud *Angliæ*, aliud *Germaniæ*, & sic porro.

*An-*

*Annot.* Germanorum attentionem *Ius publicum Germaniae* in primis meretur, etiam ex eo capite, quod Imperium Romano - Germanicum longiſſime ab omnibus aliis differat, cum membra illud componentia ſint ipſi Imperantes & Principes. Solet id eam ob rem, in plerisque Germaniæ Academiis doceri. Fontes illius ſunt: *Aurea Bulla*, *Pax publica*, *Pax Weſtphalica*, *Capitulationes Caeſareae* &c. Subſidium *Hiſtoria Imperii Romano - Germanici.*

2. Jus *privatum* jura & obligationes mutuas civium explicat. Jus hoc pro ratione regnorum iterum valde diverſum eſt, & apud plerosque nomen *Juris civilis* generatim obtinuit; atque ſecundum objecta in diverſas ſpecies abit. Præcipuæ ſunt: *Jus criminale*, *Jus judiciarium*, *Jus feudale.*

a. Jus *criminale* complectitur leges, quæ ad pœnas pro delictis infligendas pertinent. Determinat actionum malitiam, gradus malitiæ, & pœnas iis actionibus reſpondentes.

b. Jus *judiciarium* obligationes judicum in dicendo, & litigantium in perſequendo jure determinat: explicat formam judiciorum, ordinem proceſſus &c.

c. Jus *feudale* explicat mutua Dominorum & Vaſallorum jura & obligationes.

II. *De Jurisprudentia ecclesiastica.*

a. Jurisprudentia *ecclesiastica* est scientia legum ad ecclesiam quomodocunque pertinentium. Ecclesia nempe est societas; igitur legibus, ut societas alia quælibet, carere non potest. Jus *Canonicum* passim audit, quod *Canones* Conciliorum ejus erant fontes.

*Annot.* Quoniam ecclesiæ auctor, magister, & fundamentum est Christus, fontes & principia hujus Juris præcipua sunt: S. Scriptura, Traditio, Concilia; sequuntur: Consensus ecclesiarum, decreta Pontificum, auctoritas SS. Patrum, constitutiones Principum, Jus naturæ.

b. Jurisprudentia ecclesiastica dividitur in *universalem* & *particularem* cujusque regni.

1. *Universalis* leges omnibus imperiis & ecclesiis communes explicat.

2. *Particularis* leges particulares ecclesiarum atque proprias docet. Nobis curæ in primis *Jus ecclesiasticum particulare Germaniæ* esse debet.

## §. VIII.

## *De Theologia.*

a. *Theologiæ* nomine, hoc loco, venit scientia omnium eorum, quæ ad revelatam a Deo religionem pertinent, seu credenda illa sint seu facienda.

An-

*Annot.* *Theologia* tractationem quamlibet de Deo significat, seu ex naturalibus, seu ex revelatis principiis; sed de illa jam (§. V.) egimus.

b. Theologiæ *scopus* est, non tantum credenda & facienda nitide proponere, sed illa etiam ex certis principiis demonstrare. Fontes illius sunt: S. Scriptura, Traditio, Concilia.

c. Habet Theologia pluribus aliis scientiis subsidiariis opus; nempe cognitione *linguarum hebraicæ* & *græcæ*, *historia ecclesiastica*, *Hermeneutica* & *Patrologia*. De prioribus duabus jam (§. I. & II.) aliquid diximus: de posterioribus hic breviter agemus.

1. *Hermeneutica* est scientia practica verum auctoris alicujus verborum sensum investigandi. Explicat igitur primum regulas generales: deinde speciales etiam pro intelligentia S. Scripturæ; & subsidia necessaria, uti sunt: Antiquitates, historia &c. ministrat.

*Annot.* Sacra Scriptura tum Vetus, tum Novum Testamentum complectitur; atque plerique V. T. libri hebraica; N. T. libri contra græca scripti sunt: patet igitur, duplicem esse Hermeneuticam, unam *Veteris*, alteram *Novi* Testamenti.

2. *Patrologia* seu *Patristica* est scientia Ecclesiæ Patribus ad Christianæ religionis doctrinam eruendam aut illustrandam recte utendi. Docet hæc, quanta sit Patrum au-

auctoritas, qui genuini eorum libri, quomodo rite intelligendi.

*Annot.* Magnum in SS. PP. esse subsidium ad illustranda & confirmanda Christianae religionis dogmata, atque ad stabiliendam doctrinam morum disciplinamque ecclesiasticam, nemo dubitat; erant enim illi aut coaevi discipulorum Christi, aut non multum ab illis tempore remoti: atque adeo multa ad religionem Christianam pertinentia didicerunt, quae deinde scriptis consignarunt. Unde etiam ab ipsis Acatholicis studium SS. PP. suis multum commendatur.

d. Theologia, si scopum illius consideres, in duas partes abit, quarum altera *theoretica*, altera *practica* nuncupatur.

I. *De Theologia Theoretica.*

a. Theologia *Theoretica* est scientia seu habitus propositiones credendas de Deo ex certis principiis demonstrandi.

b. Theoretica Theologia iterum duas habet partes: *dogmaticam* & *polemicam*.

1. *Dogmatica* Theologia, alias etiam *positiva* & *thetica* dicta, omnibus iis propositionibus occupatur, quarum veritas ex fontibus suis ostendi potest.

2. *Polemica* praecipue illas propositiones seu dogmata persequitur, quae a nonnullis revelatae religionis sectis impugnantur. Docet

cet igitur in primis hæc dogmata ab adversariorum objectionibus defendere.

*Annot*. Dividebatur, non in ita pridem, Theologia in *dogmaticam* & *ſcholaſticam*: prior dogmata ſeu propoſitiones de fide ſolum pertractabat: poſterior plurimas alias præterea quæſtiones ſubtiles, parum utiles: de quibus acerrime diſputabatur in ſcholis, ſed cuilibet liberum erat ſentire, quod judicaſſet.

## II. *De Theologia Practica.*

a. Theologia *Practica* eſt ſcientia doctrinæ moralis Chriſtianæ; unde alias etiam *Theologia moralis* audit. Enarrat hæc officia hominis Chriſtiani, non tantum quæ totidem verbis expreſſa in ſacris litteris habentur, ſed etiam illa, quæ legitime inde ducuntur: affert præterea motiva ad virtutem, non jam naturalia, ſed ex ipſa revelata religione petita, atque hoc ipſo naturalibus multo efficaciora.

b. Capita practicæ Theologiæ nonnulla ſpeciatim & curatius tractari merebantur, atque inde ſingularium ſcientiarum nomina orta ſunt: nempe Theologiæ *aſceticæ*, *caſuiſticæ*, *homileticæ*, & *lithurgicæ*: & quidem

1. Theologia *aſcetica* eſt illa Theologiæ practicæ pars, quæ viam & media ad perfectionem Chriſtianam perveniendi docet. Agit ergo de iis, quæ non præcepta

ſunt, ſed cujuslibet liberæ electioni relicta.

2. *Caſuiſtica* verſatur circa caſus conſcientiæ, id eſt, circa actiones hominis ſecundum regulas Chriſtianæ moralis judicandas, circa ſcrupulos timoratorum tollendos, & circa moderandas lapſorum conſcientias. Docet proinde leges Chriſtianæ moralis ad caſus particulares recte applicare.

3. *Homiletica* eſt ſcientia accommodate ad concionem populi dicendi, ſeu ad dogmata ſtabilienda, ſeu ad capita moralia inculcanda ſermo ille ſpectet. In ſcholis Theologorum ſub nomine *Eloquentiæ ſacræ* docetur.

4. *Lithurgica* de ritibus & ceremoniis, in externo Dei cultu decore obeundo, ſervandis agit.

*Annot.* Equidem multas alias tum Theologiæ, tum aliarum ſcientiarum diviſiones afferre potuiſſemus, ſed eas præterire, adumbrationem ſolum Encyclopædiæ parantibus, integrum eſſe judicavimus.

AP-

# APPENDIX III.

## ANIMADVERSIONES AD POESIM GERMANICAM.

# Anhang von der teutschen Dichtkunst.

## Vorerinnerung.

Das innere Wesen der Dichtkunst ist in allen Sprachen gleich; es ist daher alles, was wir immer von der inneren Einrichtung der lateinischen Dichtkunst gelehrt haben, auf die teutsche anzuwenden, um zu einem teutschen Dichter gebildet zu werden. In dem äußerlichen Kleide und Zierrathen der teutschen Dichtkunst giebt es einigen Unterschied, welchen man unserer Jugend in folgenden fünf Abschnitten anzeigen will.

## §. I.

### Von der Tonmessung und den poetischen Füssen.

a. Der Ton ist in Ansehung des Verses die Rührung, welche eine ausgesprochene Sylbe in dem Ohre verursachet.

b. Der

b. Der Ton ist in Beziehung auf diese Rührung des Gehöres dreyfach:

1. Der steigende Ton, wenn der Ton sich erhebt, und folglich die Rührung scharf ist.
2. Der fallende Ton, wenn der Ton sinkt, und das Ohr sanft gerühret wird.
3. Der gezogene Ton, wenn der Ton etwas gedehnet wird, und die Rührung des Ohres länger anhält. Ein Beyspiel von allen drey Tönen ist in dem Worte Wahrhaftig; in welchem die erste Sylbe einen gezogenen Ton, die zweyte einen steigenden, die dritte aber den fallenden Ton hat.

Anmerk. Die gezogenen und steigenden Töne heißt man auch lange Töne; die fallenden aber kurze Töne.

c. Die Sylben werden von den darauf liegenden Tönen lange Sylben oder kurze Sylben genannt: Zweifelhafte Sylben aber nennet man jene, derer Ton wegen Verschiedenheit des Verstandes, oder Setzung des Wortes manchesmal steigt, manchesmal fällt, und eben darum bald lang, bald kurz ist.

d. Ob eine Sylbe steige, falle, oder gezogen werde, muß aus der richtigen Aussprache, und aus dem Gehöre erlernet werden; alle andere Regeln über die Länge und Kürze der Sylben sind unzulänglich oder unnütz: Anfängern kann man aber doch nachfolgende Anmerkungen als Regeln für die drey Gattungen der Sylben mittheilen:

1. Re-

I. Regeln für lange Sylben sind:

a. Zusammengezogene Sylben sind lang, z. B. geht, wählt, anstatt gehet, wählet.

b. Einsylbigte Haupt, und Zeitwörter sind meistens lang, besonders wenn sie Geschlechtswörter, Fürwörter, Beywörter 2c. neben sich haben, z. B. der Mann, er ist.

c. Einsylbigte Wörter, welche in der Rede einen besonderen Nachdruck haben, sind allzeit lang, z. B. Er ist auch todt noch grausam.

d. Die Wörtchen: ab, an, auf, aus, bey, dar, durch, ein, für, her, hin, mit, nach, um, vor, will, zu, sind in zusammengesetzten Haupt- und Zeitwörtern allzeit lang, sie mögen gleich beysammen bleiben oder nach Erfoderniß der Wortfügung getrennet werden, z. B. absetzen, aussuchen, geh durch, schenke ein.

Anmerk. Doch auch diese Wörtchen werden von den heutigen Hexametristen kurz gebrauchet, wenn sie mit vielsylbigten Zeitwörtern zusammengesetzet sind, als unaufhaltsam.

e. Die nämlichen einsylbigten Wörtchen: ab, an, auf, bey 2c. sind allzeit lang, wenn sie in was immer für einer Zusammensetzung ans Ende kommen, z. B. hinab, herauf, Bergan, Himmelan, dabey 2c.

f. Ein-

f. Einsylbigte Nebenwörter, die von Beywörtern herkommen, sind allzeit lang, z. B. groß, stark, tief.

g. Jedes vielsylbigte Wort hat wenigstens eine lange Sylbe, z. B. Alter, gefahren.

2. Regeln für kurze Sylben sind folgende.

a. Die Anfangssylben: be, ent, emp, er, ge, um, ver, zer, sind kurz z. B. bewegen, entgehen, empfangen, erweisen ꝛc.

Anmerk. Wenn um wegen der Wortfügungsregel getrennet und nachgesetzet wird ist es lang als: gib mir den Mantel um.

b. Die Endsylbenben e, el, eln, em, en, ern, est, et, sind in vielsylbigten Wörtern allzeit kurz.

c. Von zwey zusammengesetzten Hauptwörtern machen einige das letztere öfters kurz, z. B. Hauptstadt, Selbstmord. Allein der öftere Gebrauch hievon machet den Vers ganz gewiß unrein, schwer und rauh.

3. Regeln für zweifelhafte Sylben mögen seyn:

a. Einsylbigte Wörter, welche nicht zu den obigen Regeln gehören, sind alle bald kurz, bald lang.

b. Die Endsylben bar, haft, heit, keit, lein, inn, lich, niß, sal, sam, schaft, thum, ung, sind bald lang, bald kurz: und zwar nach einer langen Sylbe in zweysylbigten Wörtern kurz; nach einer kurzen Sylbe aber in einem vielsylbigten Worte lang, z. B. wahrhaft, Fassung — innerlich, Kaiserinn.

Anmerk. In daktylischen Versen bleiben sie dennoch manchesmal kurz.

c. Die Geschlechtswörter vor den Hauptwörtern; und die Fürwörter vor den Zeitwörtern sind zweifelhaft.

1. Anmerk. Doch mag man als beständig annehmen; wenn das Haupt= oder Zeitwort mit einer langen Sylbe anfängt, wird das Geschlechts= oder Fürwort kurz, und im Gegentheile lang gebrauchet, wenn die folgenden Anfangssylben der Haupt- und Zeitwörter lang sind, z. B. die Hoffnung, der Vater sind kurze, der Verstand, die Geburt aber lange Sylben.

2. In daktylischen Versen laufen sie doch ohne Unterschied fast immer kurz fort.

3. Wenn das Geschlechtswort als ein beziehendes Fürwort gebrauchet wird, sodann klingt es besser lang.

e. Eine Sammlung von Sylben, sie mögen in einem oder mehreren Wörtern seyn, nennet man einen Fuß oder Tritt.

Am

Anmerk. Die teutsche Benennung Fuß ist von den Lateinern entlehnet, welche eine Sammlung der Sylben (pedem) einen Fuß nennen, und da nun der Fuß eine Sammlung von Sylben ist, folget, daß er wenigstens zwey Sylben haben muß.

f. Die Namen der Füsse bey den teutschen sind die nämlichen, welche bey den Griechen und Lateinern gewöhnlich sind. In den teutschen Versen sind folgende die gebräuchlichsten:

1. Spondäus zwey lange Sylben, z. B. Ankunft, Vortrag; oder in mehreren Wörtern: Nein, Kai—ser.

2. Jambus, die erste Sylbe kurz, die zweyte lang, als: gelehrt, bezieht: der Him—mel winkt.

3. Trochäus (dieser heißt auch Choräus) die erste Sylbe lang, die zweyte kurz, also ein umgekehrter Jambus, z. B. Waffen, siegen, von dem — Helden.

4. Daktylus, die este Sylbe lang, sodann zwey kurze, als: Fröhliche: Gäste ver—gnügen.

5. Amphibrachys besteht aus einer langen zwischen zweyen kurzen stehenden Sylbe, z. B. beschaffen: da hast du die Zeugen.

6. Choriambus, als sagte man Choräus und Jambus, hat die erste Sylbe lang, die zwey folgenden kurz, und die letzte abermal lang, als: unbe—ruffen zum Scherz.

Anmerk. Dieser Fuß ist nicht leicht in einem Worte anzutreffen.

## §. II.

## Von den verschiedenen Versarten.

a. Ein Vers ist eine bestimmte Sammlung der Füsse, sie mögen von der nämlichen Gattung, oder von verschiedenen seyn.

Anmerk. Verse von einem Fusse sind also im eigentlichen Verstande keine Verse, sondern man geduldet, daß sie diesen Namen des Reimes wegen führen, und nur in Arien, Recitativen, und Erzählungen gönnet man ihnen bisweilen einen Platz.

b. Die teutschen Versarten, welche unter uns bekannt und üblich sind, haben ihre Benennungen meistens von den Füssen erhalten, aus denen sie zum größten Theile zusammengesetzet sind.

c. Wir können sie Deutlichkeit halber ganz füglich in einfache, und vermischte Versarten untertheilen.

## A. Von den einfachen Versarten.

Einfache Versarten nennen wir die, welche aus einerley Füssen bestehen. Die bekanntesten aus dieser Klasse sind:

1. Der jambische Vers, welcher zwar aus Jamben besteht, doch auch des Nachdruckes und Pracht halber sowohl zu Anfang als nach dem Abschnitte einen Spondäus zuläßt.

Anmerk. Jambische Verse kommen bey unsern Schriftstellern von einem bis auf acht Füsse vor; so daß die Füsse nach der Zahl der Jamben bestimmet werden. Es wird demnach ein jambischer Vers von einem Fuße seyn, welcher nur aus einem Jambus besteht, ein jambischer Vers von zwey Füssen, welcher aus zwey Jamben besteht, u. s. f. Hier folgen Muster von allen Gattungen:

a. **Jambische Verse von einem Fusse:**

In Noth,
Und Tod,
Zu kommen 2c.

Anmerk. So lange man reimet, kömmt die letzte Sylbe bey der Benennung der Füsse nicht in Betrachtung, sie mag gleich überflüssig seyn oder abgehen, z. B. Zu kommen ist ein einfüssiger jambischer Vers.

b. **Jambische Verse von zwey Füssen, welche doch nicht leicht außer Arien, Recitativen, Liedern, und scherzhaften Oden zu finden sind:**

Das will die Pflicht.
Zu meiner Zeit.
Der Liebe Freuden. 2c.

c. **Jambische Verse von drey Füssen taugen gut zu Liedern und Oden, die sich nicht viel erheben; mit dem weiblichen Ausgange aber sind die das eigene Sylbenmaaß des anakreontischen Verses.**

Die düstre Nacht ist hin,
Die Sonne kehret wieder.
Ermuntre dich mein Sinn,
Und dichte Freudenlieder. Uz

d. Jambische Verse von vier Füssen, die in Oden herrschen, und wie die obigen in Erzählungen eingemischet werden.

Der Frühling wird nun bald entweichen,
Die Sonne färbt sein Angesicht:
Er schmachtet unter welken Sträuchen,
Und findet seinen Zephir nicht. Uz.

e. Jambische Verse von fünf Füssen:

O reicher Quell der Langmuth und Geduld!
Getreuer Gott, du Zuflucht aller Armen!
Beströme mich mit günstigem Erbarmen!
Und spüle weg den Unflat meiner Schuld.
Canitz.

Zween Freunde sing' ich, die voll Edelmuth
Sich gegen ein gewaltig Heer Athens
Mit kleiner Macht beherzt vertheidigten.
O Kriegesmuse sey dem Vorsatz huld!
Kleist.

f. Jambische Verse von sechs Füssen taugen zu allen Arten der Gedichte, und werden manchmal so gar in der Ode eingeschaltet.

Kein Erdreich in der Welt, so angenehm und reich
Ihn die Natur erschuf, ist dieser Insel gleich,
Hier prangt der junge Lenz in stetem Feyerkleide,
Hier ist Elisien, hier ahmet alles Freude.
**Dusch.**

Ich singe von der Wuth der bürgerlichen Kriege.
Die dort Emathiens berufnes Feld verheert:
Wo Bosheit Recht behielt, und wo ein mächtig Volk
Mit sieggewohnter Faust sein eignes Eingeweide
Ganz tobend aufgeritzt.

Anmerk. Zum sechsfüssigen iambischen Verse hat Ramler versuchet ein neues Sylbenmaaß anzusetzen, hauptsächlich um ihn für das Theater durch die Manchfältigkeit tauglicher zu machen; dennoch aber scheint der ungereimte fünffüssige iambische Vers zu Trauerspielen der geschikteste zu seyn, besonders wenn man den Abschnitt manchesmal übergeht, und sich an den männlichen oder weiblichen Ausgang nicht bindet.

g. Iambische Verse von sieben Füssen sind noch niemal gebrauchet worden.

h. Iambische Verse von acht Füssen sind eigentlich doppelte vierfüssige, aber wenig im Gebrauche.

Die

Die rohe Wildheit hatte längstens der Sitten sanften Reiz geschwächt,
Das Laster herrschte ohne Larven, an blut'gen Schwertern hieng das Recht,
Erhitzt auf viehische Begier, zu dumm der Menschenheit Reiz zu spüren.
Schied das verwilderte Geschlecht nur noch der Name von den Thieren.

Curtius.

2. Der Trochäische Vers besteht nothwendig aus puren Trochäen, und wenn sich etwan ein Spondäus einmischet, so machet er ihn träg.

Anmerk. Die trochäischen Verse werden, wie oben die iambischen, ein, zwey, drey, achtfüssig von der Zahl der Trochäen genannt, die sie haben. Die Muster zeigen es deutlicher.

a. Trochäische Verse von einem Fusse.

Liebe,
Triebe.

b. Tröchäische Verse von zwey Füssen.

Aus den Reben
Fleußt das Leben.

Anmerk. Diese zwey Gattungen werden nur in Arien, Recitativen, Liedern, und noch dazu selten eingeschaltet.

c. Trochäische Verse von drey Füssen taugen zu Liedern, anakreontischen, und andern leichten Oden.

Seht der Hirten Freuden,
Die auf sichern Weiden
Grosse nicht beneiden:
Wie vergnügt sind die!

Hagedorn.

d. Trochäische Verse von vier Füssen schicken sich zu anakreontischen Oden und Liedern; sie lassen sich auch in erhabenern Oden brauchen, doch behält der jambische Vers in diesen den Vorzug, weil er majestätischer ist.

Weiser Damon, dessen Haupt
Lorber um und um belaubt,
Soll dir Gram und Misvergnügen
Ewig Stirn und Wange pflügen?

Kleist.

e. Trochäische Verse von fünf, sechs, und sieben Füssen sind bey den Teutschen ungewöhnlich.

f. Trochäische Verse von acht Füssen mögen in Erzählungen dienen.

Von dem Helden will ich singen, dessen Arm sein Volk beschützt,
Dessen Schwert auf Teutschlandes Feinde für sein Vaterland geblitzt;
Der allein vermögend war des Augustus Stolz zu brechen,
Und des Erdenkreises Schimpf in der Römer Schmach zu rächen.

Schönaich.

1. Anmerk. Der trochäische achtfüssige Vers hat zwar mehr Manchfältigkeit, als der sechsfüßige iambische, doch fasset sich hingegen dieser vor jenem kürzer, und ist ernsthafter.

2. Außer den anakreontischen Oden findet man nicht leicht einen trochaischen Vers ohne Reim.

3. Der Daktylische Vers wird also aus Daktylen zusammengesetzet, und nimmt zu Ende bald eine lange Sylbe, bald einen Trochäus an, nachdem es der Reim erfodert.

Anmerk. Dieser Vers ändert seinen Namen ebenfalls, wie die vorhergehenden, nach der verschiedenen Anzahl der Daktylen. Er ist außer den musikalischen Stücken wenig im Gebrauche, und von mehr als drey Füssen kömmt schwerlich einer vor. Nachstehendes Beyspiel zeiget einige Gattungen an.

Einigkeit — Kleinod der — Länder!
Schmücke doch — ferner mein — glückliches — Reich!
Mache die — Prinzen,
Mache die — weiten Pro — vinzen
Friedlich ver — knüpften Fa — milien — gleich.
Eintracht und — Liebe sind — köstliche — Pfänder!

Gottsched.

4. Der amphibrachysche Vers besteht aus puren Amphibrachys, wenn der Ausgang weiblich ist; bey dem männlichen Ausgange aber kömmt an die Stelle des letzten Amphibrachys ein Jambus.

Anmerk. Es giebt ebenfalls amphibrachysche Verse von zwey, drey, und vier Füssen, mit mehreren Füssen aber ist dieser Vers noch nicht erschienen. Hier folgen Beyspiele:

a. Amphibrachysche Verse von zwey Füssen.

Dir schallen zur Ehre,
Du spielende Fluth!
Die singenden Chöre,
Der jauchzende Muth.

Hagedorn.

b. Amphibrachysche Verse von drey Füssen.

Der Nachtigall reizende Lieder
Ertönen, und locken schon wieder
Die fröhlichsten Stunden ins Jahr.

Hagedorn.

c. Amphibrachysche Verse von vier Füssen.

Ich werde viel älter, und Schwermuth und Plage
Droht meiner schon sinkenden Hälfte der Tage:
Kaum wallet noch weiter mein zögerndes Herz
Bey winkenden Freuden, bey lockendem Scherz.

Hagedorn.

Anmerk. Ohne Reim findet man diese Gattung Verse niemal.

## B. Von den vermischten Versarten.

In dieses Fach gehören alle jene Versarten, welche aus Jamben, Trochäen, Daktylen, und auch aus Spondäen zusammengesetzet werden. Sie behalten alle ihre bey Griechen und Lateinern gewöhnliche Namen, und haben auch das gewöhnliche Sylbenmaaß; nur mit der Freyheit: wegen Mangel der teutschen Spondäen, an derer Stelle Trochäen zu gebrauchen. Sie sind größtentheils ohne Reime. Hier folgen sie diese Versarten:

1. Der Hexameter ist ein Vers von sechs Füssen, von denen die ersten 4 Spondäen, Trochäen, oder Daktylen sind; der fünfte aber ist allzeit ein Daktylus, und der sechste nur ein Spondäus oder Trochäus.

Seinen eröffneten Geist umschatten heilige
Träume. Klopstock.
Singe mir Muse den Mann, der aus den
Bergen von Persis. Wieland.

a. Anmerk. Wenn der Vers auf dem fünften Fusse einen Spondäus annimmt, rückt er dafür den Daktylus auf den vierten Fuß hinvor, und heißt sodann ein spondäischer Hexameter z. B.

Wäre nicht unter ihnen Gamaliel aufgestanden.
Klopfstock.

b. Es trägt zur Zierlichkeit des Hexameters vieles bey,

1.) Wenn Daktylen und Spondäen oder Trochäen abwechseln, z. B.

Also wallet sein Herz von seiner erhabnen Bestimmung. Wieland.

2.) Wenn der Abschnitt des Verses auf der ersten Sylbe des dritten Fusses; oder auf der ersten Sylbe des vierten, oder endlich auf den ersten Sylben des zweyten und vierten Fusses zugleich beobachtet wird. Z. B.

Unten am Fusse des Bergs — in mitternächtlicher Stille. Klopstock.

Und zum Hirten der Völker geweiht — der göttliche Cyrus. Wieland.

Fanden sie ihn — Kein fürstlicher Staat — kein tyrischer Purpur. Eben ders.

c. Hingegen schadet es dem Hexameter, und macht ihn rauh:

1. Wenn viele Trochäen hintereinander folgen, z. B.

Mit dem konischen abgestutzten Schnabel; dieß Volk rühmt. Bodmer.

Noch war am stillen Licht der Tag, den vorigen Tagen. Eben ders.

2. Wenn der Abschnitt vernachläßiget wird, als:

Daß du seine schreckliche Strafe, sein ewiges Elend. Zachariä.

3. Wenn jeder Fuß ein Wort hat. z. B.

Andere Triebe, nicht mehr so zärtliche himmlische Triebe. Bodmer.

4. Wenn

4. Wenn man Daktylen brauchet, die in der zweyten Sylbe nicht kurz genug sind, z. B.

Jeder schwieg. Nur daß unterweilen der
Bethenden einer. Klopstock.
Doch sie erkannten ihn nicht, so nah er
auch da stand, und drangen.
Eben ders.

5. Wenn er gar zu viele einsylbigte Wörter hat, als:

Daß, der ewig ist, sah, und Gottes Stimm
ihm von Gott sprach.
Eben ders.

6. Wenn der Abschnitt zwar beobachtet, aber die Rede getrennt wird. z. B.

Sollst du selbst sorgen, denn — Gott will
auch ihre Geschlechter erhalten.
Bodmer.

7. Wenn der Hexameter zwey gleiche Halbverse hat, als:

Seinen sanftfließenden Brüdern — vollkommen ähnlich gewesen. Eben ders.

8. Wenn man die Selbstlauter zusammen stossen läßt, als:

Mandel und Feigen, saftige oder getrocknete Früchte.

9. Wenn sich der Vers verschieden abmessen läßt. z. B.

Die

Die du, als du gebohren warst, weintest!
Um jener Entzückung.
Klopstock.

Anmerk. Einige haben es gewaget, auf den ersten Fuß einen Amphibrachys oder den zweyten Päon zu setzen, beobachten aber dadurch weder das teutsche noch das lateinische Sylbenmaaß. So sehen sie aus:
Empfangt mich heilige Schatten! Ihr hohen belaubten Gewölbe.
Die flüchtigen Tage nicht mehr. Es mag die sklavische Ruhmsucht. Kleist.

